



J.B. ROLLAND & FILS
Libraires,
RUE SAINT VINCENT,
MONTREAL.





4 libris
F. J. Connolly

HOMO APOSTOLICUS

INSTRUCTUS IN SUA VOCATIONE

AD AUDIENDAS CONFSSIONES.

HOMO APOSTOLICUS

INSTRUCTUS IN SUA VOCATIONE

AD AUDIENDAS CONFESIONES,

SIVE

PRAXIS ET INSTRUCTIO CONFESSARIORUM,

AUCTORE ILLUSTRIS. ET REVERENDISS.

D. ALPHONSO DE LIGORIO,

OLIM EPISCOPO S. AGATHÆ GOTHORUM, ETC. ETC.

CUM NOTABILIORIBUS DOCTRINIS SUPER OMNIBUS TRACTATIBUS THEOLOGÆ MORALIS ERUTIS, ET IN COMPENDIUM REDACTIS EX ALIO OPERE EJUSDEM AUCTORIS, IN QUO UBERIORI CALAMO QUÆSTIONES MORALES FUSIUS EXPOSITÆ INVENIUNTUR.

ADSUNT IN FINE OPERIS APPENDICES PERUTILES.

EDITIO NOVA,

Ab innumeris mendis maxima cum cura expurgata. Citationes porrò quas ex sua Theolog. mor., et ex aliis auctoribus hic adjecit auctor, accuratè recensuimus. Ad calcem denique tomi 3. additur index alphabeticus rerum notabilium totius Operis non parùm locupletatus et in meliorem ordinem redactus, quibus accedit Elenchus quæstionum, quas reformavit Auctor.

TOMUS SECUNDUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET IN PARTICULARI: DE CENSURIS, ET IRREGULARITATIBUS.

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.



MECHLINÆ.

H. DESSAIN, SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA
FIDE ET ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS. — 1868.

HOMO ATOSTOLOS

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

STANDARD LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

D. ALFONSO DE FIGUEROA

THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY
1827 SPADINA AVENUE, TORONTO, ONTARIO, CANADA
M5S 1A5

BX1757

.L5

1867

+2

71198



UNIVERSITY OF TORONTO

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY
1827 SPADINA AVENUE, TORONTO, ONTARIO, CANADA
M5S 1A5

ORDO ET SUMMA OPERIS.

TOMUS II.

TRACTATUS XIV. *De Sacramentis in genere, et in specie,*
Hic de Baptismo, et Chrismate.

TRACTATUS XV. *De Eucharistia.*

TRACTATUS XVI. *De Pœnitentia.*

TRACTATUS XVII. *De Extrema-Uncione, et Ordine.*

TRACTATUS XVIII. *De Matrimonio.*

TRACTATUS XIX. *De Censuris, et Irregularitatibus.*

INDEX

TRACTATUUM ET CAPITUM,

Quibus adduntur omnia summaria, ad hoc ut præ oculis habeantur cunctæ materiæ, quæ in hoc secundo tomo continentur.

TRACTATUS XIV.

De Sacramentis in genere, et præsertim de Baptismo, et Confirmatione.

- CAPUT I. De Sacramentis in genere.** pag. 1
De attentione et intentione 1. Quæ intentio requiratur in ministro 2.
De administratione sub conditione 3. An denegandum sit Sacramentum peccatori 4. Quando Communio 5. Si sponsi sint in peccato 6.
- CAP. II. De Sacramento Baptismi.** pag. 5
PUNCTUM I. De materia, forma et ministro Baptismi. ibid.
Quotuplex est Baptismus 7. De materia remota 8. De proxima, et an possit abscindi mater 9. An possit baptizari proles in utero, etc. et in quo membro 10. 11. et 12. An requiratur trina ablutio 13. De forma 14. De ministro 15. De ordine ministrorum 16. De exteris qui baptizantur 17. De Baptismi dilatione; et de Baptismo domi, etc. 18.
- PUNCT. II. De iis qui baptizare possunt.** pag. 13
Pœna rebaptizantium 19. De foetibus abortivis, et de filiis infidelium 20. Si parentes repugnant 21. An liceat vendere filios infidelibus 22. De baptismo sub conditione 23. De infantibus expositis 24. De baptizatis à laicis 25. Ab hæreticis 26. Si baptismus est dubius 27. Dispositiones ad Baptismum 28. De cæremoniis, et I. de aqua consecrata 29. II. De ecclesia 30.
- PUNCT. III. De patrinis et eorum munere.** pag. 18
Munus patrinorum 31. Qualitas 32. Quando et a quibus contrahitur cognatio, etc. 33. An parentes, etc. 34. An patrini debeant designari. 35. Cujus sexûs 36. Quibus sit vetitum esse patrinos 37. Quando in hoc peccat parochus. 38.
- CAP. III. De Confirmatione.** pag. 9
De materia remota 39. An chrisma debeat esse benedictum; et an à simplici sacerdote possit, etc. 40. De materia proxima, et an sit materia extensio manuum quam adhibet Episcopus, etc. 41. An manu dextrâ aut instrumento, etc. 42. De forma 43. De ministro. An possit esse simplex sacerdos 44. Quid si exterus sit chrismandus 45. De obligatione ministrandi Confirmationem 46. De obligatione eam suscipiendi 47. An qui suscipit ordines, etc. 48. An amentibus et infantibus, etc. 49. De cæremoniis 50. De patrino 51. De aliis cæremoniis 52. De effectibus Confirmationis 53.

TRACTATUS XV.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAP. I. De essentia Eucharistiæ.

pag. 51

In quo consistit essentia Eucharistiæ, et in quo ratio specifica, et undè desumitur unitas 1. An sit necessaria necessitate mediæ 2. An consecratio in unica specie sit illicita et invalida. Non licet consecrare in una specie tantum 3. Casus excepti 4. Effectus Eucharistiæ 5. An quamdîu durant species, etc. 6. Qui communicat cum veniali 7. De cæteris agetur in *appendice III. de examine Ordinand.* §. 11. de *Sacris. Missæ ex n. 95. et seq.*

CAP. II. De administratione Eucharistiæ.

pag. 55

Quomodò teneantur parochi servare Eucharistiam, et ad eam dispensandam. An Regularis et quilibet sacerdos possit Communionem ministrare 8. Et an diaconi 9. An Viaticum possit in necessitate administrari clericis, et etiam à laïcis, et an a seipsis, etc. 10. An sacerdos ex devotione possit communicare ex seipso 11. Quomodò debeatet possit dari Viaticum 12. An possit dari Viaticum digitis posterioribus, et an Communio 15. An in utraque specie; et an pars Hostiæ majoris. An pueris et amentibus 14. An peccatoribus publicis, et an cõdemnatis 15. An in Missa defunctorum 16. In qua hora potest dari Communio 17. Si remanent fragmenta 18.

CAP. III. De perceptione Eucharistiæ.

pag. 45

PUNCT. I. De obligatione sumendi Eucharistiam.

ibid.

De Viatico, et quando sumendum est 19. Si infirmus vexatur vomitu 20. Si tussi 21. De præcepto paschali, vide *Tom. 1. Tr. XII. n. 39.*

PUNCT. II. De animæ dispositione.

pag. 44

De confessione præmittenda 22. Qui post confessionem reminiscitur peccati 23. Quænam necessitas excuset à prius confitendo 24. Si sacerdos in celebrando recordetur peccati aut censuræ 25. Si desit confessarius 26. Si peccatum est reservatum 27. An tunc dicendum sit reservatum 28. Si annexa est excommunicatio 29. Quomodò intelligendum est *quamprimum* 30. An tale præceptum obliget post consecrationem 31. An obliget celebrantem sacrilege 32. An obliget laicos 33. An possit communicare qui dubitat de peccato 34.

PUNCT. III. De dispositione corporis.

pag. 52

De jejunio naturali. In dubio jejunii. Si horologia sint discordantia. Frangit jejunium quod ab extrâ suscipitur 35. De reliquiis ciborum 36. De reliquiis aquæ, sacchari, etc. 37. De tabaco per nares sumpto 38. An fumus tabaci, etc. 39. De tabaci foliis, et aromãtibus dentibus contritis 40. De aqua, aut similibus per narices voluntariè haustis, aut casu 41. An capilli, lapilli, charta, etc. frangant jejunium 42. et 43. Qui, non factâ digestionem, etc. 44. Exspuere statim à Communionem 45. In quibus casibus non requiratur jejunium, et I. In Viatico. An possit replicari Viaticum 46. et quoties 47. An qui ex devotione paucis ante diebus communicavit, etc. 48. An qui eodem mane 49. An possint omitti verba: *Accipe Viaticum* 50. An possit celebrare non jejunos ad dandum Viaticum 51. II. Non requiritur jejunium, si temetur de injuria Sacramenti 52. III. Si timeatur scandalum. Si celebrans recordetur se non esse jejunum 53. IV. Si

perficiendum sit Sacrificium. Quid agendum si advertatur error vini: et quid in dubio, etc. 54. V. An ad evitandam mortem possit celebrare non jejunos 55. An pollutio impediatur Communionem 56. An copula conjugalis 57. Qui externè est sordidus, aut leprosus, vel menstruata, aut accedit immodestè. Sacerdos qui laïcorum more communicat 58.

CAP. IV. *De Sacrificio Missæ.*

pag. 65

Videnda quæ dicuntur in examine Ordinandorum in III. Tomo in append. III. Licitum esse recipere stipendium etiam divitibus 59. Qui pro una Missa recipit duplex stipendium 61. Potest exigi majus taxâ; sed potest prohiberi minus; an qui accipit minus, possit diminuerè Missas 62. Qui omittit celebrare Missam, quam promisit pro parvo stipendio 63. Qui paciscitur de stipendio 64. Qui retinet sibi partem; aut celebrat per alium, collato ei minori stipendio; et cui restituenda est pars retenta 65. Si eleëmosyna pinguis data est intuitu personæ 66. De capellanis 67. De administratoribus ecclesiarum 68. Si celebrans partem retentam remittit; et si executor testamenti, etc. 69. Qui colligit eleëmosynas, etc. 70. Qui permutat Missas 71. Pro quo debent applicare Missas curati 72. Pro quo alii beneficiati, et capellani Monialium, etc. Et an aliquando possint applicare pro aliis, aut abstinere. Si infirmantur, etc. De Missa conventuali 73. An Missæ præscribantur 74. An capellanus possit mutare ecclesiam, altare, etc. Si non celebrat in altari privilegiat. Si celebrat per alium 75. De reductione 76. Deficientibus redditibus, an possit Episcopus diminuerè Missas 77. An possit reductionem facere capellanus. De Missis Gregorianis 78. An religiosus possit applicare contra voluntatem Prælati 79. An sufficiat applicatio habitualis 80. De applicatione in confufo 81. De conditionata 82. Si in die defunctorum, etc. De altari privilegiato 83. Peccat graviter qui festinanter celebrat 84. ad 86 De resolutionibus sacræ Congregationis Rituum 87. Catalogus Decretorum sacræ Congregationis 88. De requisitis ad celebrandum, vide *Tom. III. Append. III. in fin. ex num.* 97.

Catalogus quorundam Decretorum notabiliorum sacræ Congregationis circa celebrationem. pag. 80

TRACTATUS XVI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAP. I. *De materia et forma.*

pag. 89

De materia remota, et proxima 1. An Religiosi debeant confiteri semel in mense 2. An peccata confessa sint materia apta 3. An distinguenda peccata jam confessa a non confessis 4. An sit necessarium verbum *te*. An verba à *peccatis tuis*. An cætera verba. An per verbum *absolvo* possint absolvi censuræ. Requiritur præsentia pœnitentis 5. De absolutione sub conditione 6.

CAP. II. *De contritione et proposito.*

pag. 91

PUNCT. I. *De contritione.*

pag. 92

In quo consistit contritio 8. Ex quo motivo producitur 9. Quando tenemur ad contritionem 10. An in articulo mortis, etc. 11. An sufficiat dolor generalis 12. An actus Fidei, Spei, etc. 13. An sufficiat attritio sine amore prædominante 14. 15. et 16. An sufficiat attritio ex timore pœnarum temporalium 17. An detur Sacramentum vali-

dum et informe 18. An dolor debeat præcedere confessionem 19. Quantum temporis perduret dolor 20. An dolor debeat elici in ordine ad confessionem 21. Qui mox se reconciliat, an novum dolorem elicere debeat 22. De dolore peccatorum venialium 23.

PUNCT. II. *De proposito.*

pag. 105

Propositum I. debet esse firmum. An qui credit se lapsurum, etc. 24.

II. Debet esse universale 25. III. Debet esse efficax. An relapsus sit semper signum invaliditatis confessionum; et an propositum debeat esse explicitum 26.

CAP. III. *De confessione.*

pag. 105

PUNCT. I. *De conditionibus confessionis.*

ibid

Confessio I. debet esse *vocalis*. II. Debet esse *secreta* 27. III. Debet esse *vera*. Qui mentitur in confessione, etc. 28. IV. Debet esse *integra*. De circumstantiis aggravantibus 29. De peccatis dubiis 30. 31. et 32. De peccatis dubiè confessis 33. Qui confessus est peccatum dubium, cum novit esse certum, etc. 34. Quomodo excuset impotentia physica mutos, surdos, ignorantes linguam, et moribundos 35. De moribundo qui dedit signa pœnitentiæ per testes 36. De iis qui nullum dant signum 37. De iis qui in actuali peccato corripiuntur 38. Quando excuset impotentia moralis 39. Qui debet complicem aperire, etc. 40. Non potest confessarius inquirere nomen complicitis 41.

PUNCT. II. *Quandonam confessio sit invalida, et quomodo revalidanda.*

pag. 117

Quandonam confessio sit nulla ex parte confessarii 42. Quandonam ex parte pœnitentis. De complice in peccato turpi 43. Quomodo convalidanda confessio apud eundem confessarium; et an sufficiat recordari pœnitentiæ impositæ 44. De rudibus qui non explicarunt nec species, nec numerum 45. Quando repetenda est confessio 46.

CAP. IV. *De satisfactione, sive de pœnitentia.*

pag. 121

PUNCT. I. *De impositione pœnitentiæ.*

ibid.

De obligatione imponendi pœnitentiam. An post absolutionem, etc. 47. Pœnitentia debet imponi ex obligatione 48. Quando possit diminui. De infirmis corpore 49. De infirmis spiritu 50. et 51. Quæ species pœnitentiarum debent imponi 52. 53. et 54.

PUNCT. II. *De acceptance et satisfactione pœnitentiæ.*

p. 129

Obligatio acceptandi pœnitentiam 55. Obligatio adimplendi eam 56. Qui differt pœnitentiam 57. An requiratur intentio satisfaciendi 58. Si pœnitens obliviscatur pœnitentiæ. 59. Quid si adimpleat in mortali 60. Quis possit mutare pœnitentiam 61.

PUNCT. III. *De satisfactione per indulgentias.*

pag. 135

De indulgentiis 62. An quis possit lucrari plenariam ex parte 63. De jubilæo, et de pluribus declaratis circa jubilæum à Benedicto XIV. 64. An opera debeant omnia in una hebdomada adimpleri; et hic de oratione et eleemosyna, et etiam de commutatione 65. An ex invalida confessione auferantur reservatio et censura 66. An peccet absolutus postea non adimplendo opera 67. Qui reservati obliviscitur 68. Qui peccat in confidentiam jubilæi 69. An antequam damno satisfiat, etc. 70. In Jubilæo à quibus casibus et censuris potest absolvi 71. Nonnulli circa annum sanctum adnotantur 72.

CAP. V. *De ministro Sacramenti Pœnitentiæ.*

pag. 135

PUNCT. I. *De approbatione confessarii.*

pag. 140

Necessitas approbationis 73. Non est necessarium examen 74. Si approbatio injustè revocetur. An successor possit ad examen revocare,

etc. 75. An sacerdos simplex possit absolvere à venialibus 76. An parochus possit sibi adsciscere parochum alterius diœcesis 77. An ejusdem diœcesis 78. Quinam Episcopus approbare possit 79. An Regulares approbati in una diœcesi, etc. 80.

PUNCT. II. *De jurisdictione confessarii.* pag. 144

Quinam habeat jurisdictionem ordinariam, et quinam delegatam 81. An delegata spiret morte, etc. Si habetur à principe, aut ad causarum universitatem 82. De consensu præsumpto Episcopi 83. Qui absolvit cum jurisdictione dubia 84. Quis possit sibi eligere confessarium 85. Quilibet potest confiteri approbato 86. Cuinam confiteri possunt peregrini 87. Cuinam Religiosi 88. Cui Moniales 89. De titulo colorato et de errore communi 90. De jurisdictione probabjli 91. An excommunicati, etc. possint absolvere moribundos 92. An sacerdotes simplices coram approbatis 93. Casus excepti 94. De confessario complici in peccato turpi 95. An confessarii simplices coram Superiore possint absolvere 96. An à casibus papalibus 97. An moribundus teneatur per litteras facultatem petere à Superiore 98.

CAP. VI. *De officio, et aliis muneribus confessarii.* pag. 157

De scientia necessaria confessario 99. et 100. Quot sunt munera confessarii 101. I. De examine 102. et 103. II. De judicio peccatorum 104. III. De instructione 105. IV. De admonitione 106. et 107. Si admonitio non est profutura 108. ad 112. Si matrimonium est nullum 113. Si sponsi sint parati ad nuptias 114. Si adest obligatio restitutionis. Si admonitio sit postmodum profutura 115. Si pœnitens interrogat, etc. Si adest damnum commune. In dubio an admonitio, etc. 116. V. De absolutione 117. Quæ certitudo ad absolutionem, etc. 118. Si pœnitens pro se habeat opinionem probabilem 119. Si pœnitens negat aut tacet peccatum 120. VI. De corrigendis erroribus. De errore circa Sacramenti valorem 121. Circa restitutionem à qua pœnitens dissuasus est, etc. 122. Aut ad quam non fuit obligatus 123. An possit admoneri pœnitens licentiâ ejus non petità 124. VII. De obligatione administrandi hoc Sacramentum. An cum periculo mortis, etc. 125. An sacerdos simplex teneatur ad se habilem reddendum 126. et 127.

CAP. VII. *De casuum reservatione.* pag. 185

Reservatio est jurisdictionis restrictio 128. Ignorantes non excusantur à casu, benè quidem à censura. Differentia inter casus papales, et episcopales 129. Qui reservare possit, etc. De casibus Regularium 130. De reservatione injusta, et an Superior absolvendo possit ad alium remittere pro non reservatis, etc. 131. An peccata venialia, aut interna, aut non consummata, etc. 132. Quando inferior potest absolvere, etc. Et an pœnitens debeat se præsentare, etc. 133. Si injustè negatur facultas, etc. Si negatur à Prælato regulari 134. De peregrinis, quando casus est reservatus tantum extra, aut tantum in patria 135. Quando intelligendum: *In fraudem reservationis* 136. An qui peccat in patria possit absolvi extra illam ab habente facultatem 137. An possit absolvi in patria qui peccat extrâ. Et an peccans in patria possit absolvi à censura extra illam? et an peccans extra incurrat censuram ibi reservatam 138. Qui recipit in bona fide absolutionem à simplici confessario 139. Qui obliviscitur de reservato apud Superiorem, etc. 140. An ex confessione nulliter facta apud Superiorem, etc. 141. An simplex confessarius possit absolvere dubiè reservatum 142. Qui post confessionem cognoscit, pro certo reserva-

tum 145. Qui peccat in confidentiam licentiæ 144. An licentia extendatur ad peccata post illam commissa 145. De facultatibus Episcoporum et Regularium remissivè 146.

CAP. VIII. *De sigillo confessionis.* pag. 194

Obligatio sigilli 147. De iis qui tenentur ad sigillum 148. An teneatur qui est requisitus de consilio à confessario ex pœnitentis licentia 149. An consultus ab ipso pœnitente 150. An qui legit folium confessionis 151. Cadunt sub sigillo I. peccata etiam levia. II. Peccata complicitis, sed ex licentia pœnitentis potest admoneri complex 153. III. Objectum peccati. IV. Pœnitentia. V. Circumstantiæ; sed non impertinentes. VI. Revelationes, et virtutes, quando, etc. VII. Scrupuli 153. VIII. Defectus naturales 154. Casus de pœnitente surdo 155. Casus in quibus non adest obligatio sigilli. De licentia pœnitentis; et an liceat eum admonere intra confessionem, quin ab eo petatur licentia 156. Casus in quibus læditur sigillum. I. Qui diceret in monasterio, etc. 157. Qui diceret in oppido, etc. 158. II. Qui utitur notitiâ confessionis ad gubernationem cum gravamine, etc. 159. Si redit pœnitens malæ conscientiæ 160. An confessarius possit sibi cavere de damnis, etc. 161. An possit præberi schedula confessionis 162. Si pœnitens minetur mortem, etc. 163. An liceat uti opinionibus probabilibus, etc. 164.

CAP. IX. *De sollicitatione in confessione.* pag. 209

Bulla Gregorii XV. 165. PUNCT. I. Clausula I. *In actu*, etc. 166. Claus. II. *Sive antè*, etc. 167. Claus. III. *Occasionè confessionis* 168. *Prætextu confessionis* 169. Claus. IV. *Extra confessionem*, etc. An requiratur simulatio, etc. 170. PUNCT. II. Casus in quibus denunciandum est 171. Casus in quibus non 172. Si mulier sollicitat confessarium. 173. An confessarius divertens ad tactus, etc. 174. Si emendatus, etc. 175. PUNCT. III. An pœnitens possit absolvi antequam denuntiet; an teneatur per epistolam, etc.; et si cum possit ex se, repugnet, etc. 179. De excommunicatione quam incurrit 177. Si admonitio non est p. rofutura 178. Debet fieri denunciatio, licèt non probetur, etiam ab aliis qui sciunt, etc.; et licèt sit occulta sollicitatio 179. PUNCT. IV. Quid si sollicitatio est dubia 180. Qui laudat pulchritudinem, etc. 181. Casus particulares 182. De inhabilitate sollicitantium ad celebrandum 183.

PUNCT. I. *Expenduntur clausulæ appositæ in Bulla Gregorii.* pag. 209

PUNCT. II. *Qui denuntiari debeant.* pag. 215

PUNCT. III. *Quis teneatur ad denunciandum.* pag. 216

PUNCT. IV. *De sollicitationibus dubiis.* pag. 219

TRACTATUS XVII.

De Sacramentis Extremæ-Uctionis, et Ordinis.

CAP. I. *De Extrema-Uctione.* pag. 221

De essentia, et effectibus Extremæ-Uctionis 1. I. De *materia remota* 2. De *materia proxima* 3. An necessaria sit unctio omnium sensuum 4. II. De *Forma* et quomodò aptanda est 5 III. De *ministro* 3. IV. De *subjecto* cui ministranda est Extrema-Uctio 7. Quando replicari possit 8. De dispositione 9. An ministranda sit pueris 10. An amentibus, ebriis, impœnitentibus, mutis, etc. 11. An adsit gra-

- vis obligatio suscipiendi hoc Sacramentum 12. De administratione 15.
 CAP. II. *De Sacramento Ordinis.* pag. 253
 An quilibet ex septem Ordinibus sit Sacramentum 14. An materiæ et
 formæ Sacramentorum sint in specie à Christo Domino determinatæ
 15. Quæ sit materia Ordinis, an manuum impositio, aut instrumento-
 rum traditio 16.
 De cæteris ad Ordinem spectantibus sermo erit in *examine Ordinan-*
dorum in appendice III. à n. 25.

TRACTATUS XVIII.

De Sacramento matrimonii.

- CAP. I. *De sponsalibus.* pag. 257
 PUNCT. I. *De natura sponsaliorum.* *ibid.*
 Definitio sponsaliorum. An pueri ante septennium, etc. Qui promittit
 sine animo se obligandi, aut adimplendi. Qui dolo aut errore, etc.
 1. Si conditio dederit causam contractui 2. De sponsalibus metu
 initis 3. An promissio debeat esse mutua 4. An externata signis.
 Quid si promittit pater pro filio præsentem, et quid si pro absente 5.
 An in dubio favendum sit libertati. Qui promittit in futurum, etc.
 Quid si mittatur annulus, etc. An requiratur dispensatio, etc. 6. De
 impuberibus, etc. De tactibus inter sponsos 7.
 PUNCT. II. *De sponsaliorum obligatione.* pag. 242
 Quomodo et quando sponsalia sint exequenda 8. Quid si unus promit-
 tit duabus mulieribus 9. An filius possit insciis parentibus se obli-
 gare 10. Qui à sponsalibus recedit, etc. et de pœna apposita rece-
 denti 11. An debeat legatum relictum sub conditione si nubat, etc.
 aut si non nubat 12.
 PUNCT. III. *De sponsaliorum dissolutione.* pag. 247
 Solvuntur sponsalia I. ob *nuptias* cum alio initas. An deobligatus re-
 stet nocens 13. II. *Mutuo consensu*, licet intercesserit juramentum.
 Quid de impuberibus 14. III. Ob *impedimentum* superveniens. An
 teneatur petere dispensationem 15. An disparitas dirimat sponsalia
 16. An parentum dissensus 17. IV. Ob *delictum atrocæ*. An ob forni-
 cationem. Et an talis fornicatio malitiam contineat diversam 18. V.
 Ob *notabilem mutationem*, v. gr. odii, æris alieni, morbi, etc. An ob
 novam hæreditatem. An si melior occasio, etc. 19. IV. Ob *disces-*
sus in longinquam regionem 20. VII. Ob *terminum elapsus*. 21.
 VIII. An ob *religiosam professionem*, aut ob *Ordines sacros*. An ob
 ingressum, etc. 22. An si ante ingressum, etc. 23. An peccet qui
 Sacris initiatur 24. An votum castitatis, aut sacros suscipiendi Or-
 dines dirimat, etc. 25. An requiratur iudicis auctoritas, etc. 26.
 Quænam probatio requiratur, etc. 27.
 CAP. II. *De matrimonio.* pag. 256
 PUNCT. I. *De materia, forma, et ministro matrimonii.* *ibid.*
 Quænam sit materia, forma, et quinam sit minister 28. Illatio-
 nes. An cum convalidantur, requiratur præsentia parochi, etc.
 29. De finibus matrimonii 30. An sufficiat consensus per signa 31.
 De matrimonioper procuratorem, aut epistolam 32. De consen-
 sensu conditionato 33. An adimpletâ conditione novo opus sit consen-
 sensu 34.

- PUNCT. II. *De usu licito matrimonii.* pag. 263
 Usus conjugii est illicitus, I. Si matrimonium est nullum. II. Si est dubium. An liceat contrahere cum dubio impedimenti 35. An liceat petere aut reddere urgente dubio 36. Quid si nuptiæ fuerint contractæ cum dubio 37. III. Si adsit periculum sanitatis 38. IV. Si ob solam voluptatem, etc. V. Si mente adulterà, etc. VI. Si modo indebito 39. Si conjux se retrahat à seminatione 40. VII. Si loco indebito. VIII. Si tempore indebito, scilicet prægnationis 41. Si conjux sit impeditus ob votum aut incestum 41. An tactus et delectationes morosæ conjugibus permittantur 42.
- PUNCT. III. *De usu præcepto matrimonii.* pag. 269
 Quando conjux tenetur petere 43. Si negat semel aut bis 44. Si plures nascantur filii 45. Si alter petat cum mortali 46. Si velit vir seminare extra vas 47. Si petat cum veniali 48. Si petat amens, vel ebrius. De impedimento petenti ob incestum. Si immineat damnum sanitatis, aut prolis 49. Si conjux cohibeat seminationem. Si uxor surgit, aut mingit. An puella oppressa possit semen expellere: si senex sæpè effundit extra vas 50. De cohabitatione, et de alimentis uxori debitis 51.
- PUNCT. IV. *De impedimentis impediens.* pag. 274
 Quænam sint impedimenta 52. I. Vetitum. II. Tempus feriarum. An tempore feriarum vetetur consummatio. De benedictione sacerdotis. III. Catechismus. IV. Crimen. V. Sponsalia 53. VI. Votum. An Episcopus possit dispensare in voto castitatis 54. De clandestinitate et proclamationibus 55. De obligatione denunciandi impedimenta et quando denunciatio impedit 56. An sufficiat fama. Si sponsi interrogati, etc. Si parochus sciat impedimentum 57. Quandonam Episcopus possit et debeat dispensare in proclamationibus 58. An possit Vicarius aut parochus dispensare, aut declarare, etc. 59.
- PUNCT. V. *De impedimentis dirimentibus.* pag. 280
 Innuuntur impedimenta dirimentia 60. I. De impedimento erroris circa personam, et circa qualitatem 61. II. De conditionis impedimento III. Voti. IV. Cognationis 62. V. Criminis 63. VI. De disparitate cultûs. VII. De violentia et metu 64. VIII. De impedimento Ordinis IX. Ligaminis. X. Publicæ honestatis 65. XI. Ætatis 66. XII. Affinitatis 67. De impedimento ad petendum 68. Quinam dispensare potest in hoc impedimento 69. XIII. De clandestinitate, et assistentia testium. De parochi assistentia 70. et 71. De vagis et exteris 72. Quænam assistentia parochi requiratur 73. XIV. De impotentia 74. et 75. XV. De raptu 76.
- PUNCT. IV. *De matrimonii irriti revalidatione.* pag. 296
 Quandonam impedimento dicendum est occultum 77. Quid si parochus et testes conscii erant impedimenti, etc. 78. Qui fictè contraxit, an teneatur verum præstare consensum 79. An qui contraxit ex metu, aut fictè, teneatur patefacere nullitatem 80. An ablato impedimento debeat patefieri nullitas ignorantibus 81. Quomodò exigi debeat consensus ab ignorante 82.
- PUNCT. VII. *De dispensatione super impedimentis matrimonii.* pag. 302
 In quibus impedimentis potest Papa dispensare 83. (Et in quibus Episcopus; remissivè ad Tom. III. Tr. XX. n. 54. et seq.). De causis justis ad dispensandum; an omnia impedimenta explicanda sint 84. An omnes circumstantiæ præcipuè incestus 85. An omnes gradus 86. De clausulis S. Pœnitentiariæ 87. De formulis supplicacionum 88. De formula exequendi dispensationem 89.

- CAP. III. *De divortio.* pag. 308
 De divortio quoad *vinculum*. 90. Quoad *torum*, et quot causis fieri potest divortium. I. Causa delicti. II. morbi. III. Consensus 91. IV. Timoris damni. V. Adulterii 92. Sed 1. requiritur adulterium perfectum et certum 2. An teneatur conjux se separare 93. Casus in quibus non potest separari ab adultero 94. De jure revocandi adulterum 95. An possit propriâ auctoritate 96. Facto divortio quis conjugum potest religionem ingredi, etc. 97.

TRACTATUS XIX.

De censuris et irregularitatibus.

- CAPUT. I. *De censuris in genere.* pag. 315
 PUNCT. I. *De censurarum emanatione.* ibid.
 Quid et quotuplex sit censura 1. Quando dicitur latae, et quando ferendae sententiae 2. Quis potest ferre censuras. De censurâ metu inflicta 3. Quid requiritur ut subditus censurâ feriat, etc. An Episcopi aut reges, etc. An communitas, etc. 4. An praelatus possit extra diocesim existens censuras ferre in subditos; et quid si subditus fuerit extra diocesim 5. An possit censurare peregrinos 8. Quale peccatum requiritur, ut imponatur censura. De mandante, consulente, etc. 7. An excuset ignorantia et metus; et an censura possit imponi pro delictis praeteritis 8. De solemnitate ad censurarum promulgationem requisita 9. Quid si causa est falsa aut dubia 10.
 PUNCT. II. *De absolutione à censuris.* pag. 322
 Quis potest absolvere à censuris 11. De censuris per sententiam generalem. Episcopus existens extra, etc. Alia notabilia 12. An requiratur formula, et an praesentia censurati, etc. De absolutione conditionata, et an extra confessionem 13. De requisitis ad absolutionem 14.
 CAPUT. II. *De censuris in specie.* pag. 325
 PUNCT. I. *De excommunicatione majori.* ibid.
 De communicatione cum toleratis, et vitandis 15. Cum percussoribus clericorum 16. De effectibus excomm. maj. I. Privat usu passivo Sacramentorum 17. II. Suffragiis, etc.; et an possit orari, etc. III. Usu activo Sacramentorum. IV. Usu divinorum officiorum, Sacramentalibus, etc. 18. V. Beneficiis, dignitatibus, et pensionibus 19. VI. Communicatione forensi. VII. Jurisdictione. VIII. Sepulturâ. IX. Communicatione civili (de qua in puncto sequenti.) 20.
 PUNCT. II. *De excommunicatione minori, et ejus effectibus.* pag. 332
 Actus quibus incurritur excommunicatio minor sunt: I. *Os*. II. *Ora-re*. De expellendis vitandis. III. *Vale*. De resalutatione, et rescriptione. IV. *Communio*. V. *Mensa* 21. Quale peccatum sit communicare cum vitando, et quando est grave 22. Pro quibus causis potest quis communicare cum vitando. I. Causa utilitatis. II. Matrimonii 23. III. Subjectionis 24. IV. Ignorantiae 25. V. Causa necessitatis 26. De effectibus excommunicationis minoris: et an vetet Sacramenta ministrare, et beneficia recipere 27.
 PUNCT. III. *De excommunicationibus non reservatis.* pag. 339.
 I. De excommunicationibus non reservatis 28. De excomm. in cogentes puellas ingredi monasteria, etc. 29. II. De excommunicationibus reservatis Papae 30. De censuris circa quæstionem Conceptionis B. Virginis 31. et 32. De excomm. in frangentes clausuram Mo-

nialium. In ingredientes ad malum finem prætextu facultatum. 33. An licentia debeat esse in *scriptis*; et an specialis 34. A quo petenda est 35. Ob quam causam 36. De confessario 37. De medico, et aliis 38. Si statim non egreditur. Et qui ingreditur ad malum finem, sed cum licentia 39. De prohibitione colloquendi cum Monialibus præsertim regularibus 40. De casu reservato; de parva materia, de conjunctis, et impuberibus 41. An cum Abbatisa, etc. 42. An Regulares incurrant censuram ab Episcopo 43. An peregrini, etc. 44. An Episcopi, etc. 45. De Monialibus frangentibus clausuram. 46. De clausura Regularium 47. In percussores clericorum 48. De mandantibus, ratihabentibus, aut non impediendis percussorem 49. Qui venit nomine clerici, aut monachi 50. Ob quas actiones incurritur 51. Ob quas non incurritur 52. III. De excommunicationibus Bullæ Cœnæ. In hæreticos 53. In fautores 54. In legentes, aut retinentes libros, etc. 55. Requisita ad incurrendam istam censuram librorum, etc. I. Ut scienter, etc. II. Ut auctor sit hæreticus 56. III. Ut liber agat de religione, et contineat hæresim 57. IV. Materia gravis 58. Qui audit legere, aut qui legit litteras, aut manuscriptum 59. De libris prohibitis in Indice 60. et 61. Qui retinet libros, etc. 62. De cæteris casibus Bullæ 63.

I. De excommunicationibus non reservatis. pag. 359

II. De excommunicationibus Papæ reservatis, extra Bullam Cœnæ. pag. 341

III. De excommunicationibus Papæ reservatis in Bulla Cœnæ. pag. 359

PUNCT. IV. De suspensione, degradatione, sive depositione, de interdico, et cessatione à Divinis. pag. 366

I. De suspensione 64. 65. et 66. II. De depositione, et degradatione 67. III. De interdico 68. 69. et 70. IV. De cessatione à Divinis 71.

CAPUT. III. De irregularitate. pag. 371

PUNCT. I. Quid, et quotuplex sit irregularitas. pag. 371

Definitio 72. An irregularitas sit censura 73. Divisiones irregularitatis 74.

PUNCT. II. Effectus irregularitatis. pag. 372

Effectus 75. An irregularis possit acceptare beneficia 76. An possit accepta retinere. 77.

PUNCT. III. Quomodo incurritur irregularitas. pag. 373

Irregularitas debet esse expressa in jure 78. Qui dubitat an sit irregularis 79. Qui dubitat an sit homicida 80. Quid requiritur ad irregularitatem ex delicto 81. Si delictum est omnino occultum 82. An requiratur scientia legis 83. An scientia irregularitatis 84. Quomodo tollenda est irregularitas in genere 85. De dispensatione 86. Quomodo tollitur irregularitas ex defectu 87.

PUNCT. IV. Quenam sint irregularitates ex delicto. pag. 378

I. Ob Sacramentum 88. II. Ob violationem censuræ 89. III. Ob exercitium solemne, etc. 90. IV. Ob illicitam Ordinum susceptionem 91. V. Ob delicta enormia 92. VI. Ob homicidium 93. De homicidio voluntario 94. 95. et 96. De mandantibus, consilium dantibus, etc. 97. et 98. De coöperantibus 99. De ratihabentibus 100. De non impediendis 101. De homicidio casuali 102. ad 105. Qui occidit ob defensionem 106. Qui occidit ad tuenda bona 107. De homicidio in rixa 108. De mutilatione 109. et 110. De dispensatione, remissivè ad 111.

PUNCT. V. De irregularitate ex defectu. pag. 389

- I. Ex defectu animæ 112. De lunaticis, et obsessis 115. De illitteratis 114. De neophytis 115. II. Ex defectu corporis, et I. De cæcis 116. II. De surdis 117. III. De mutis 118. IV. De claudis 119. V. De iis qui manu carent 120. VI. De febris laborantibus 121. De deformibus 122. De leprosis 125. De monstruosis 124. De eunuchis 125. III. Ex defectu natalium 126. ad 128. De expositis 129. IV. Ex defectu ætatis 130. V. Sacramenti, nempe bigamiæ. De bigamia vera 131. De interpretativa 132. Qui ducit corruptam 133. Qui contrahit cum ea invalidè 134. Si vir cognoscit uxorem adulteram 135. Qui contrahit duo matrimonia 136. Si vir accusat uxorem, et reddit debitum, etc. 137. De similitudinaria 138. Quomodo tollatur irregularitas ex bigamia 139. VI. Ex infamia. VII. Ex defectu libertatis. De servis 140. De conjugatis. 141. An conjux possit ingredi religionem, alio relicto in sæculo 142. De curiæ addictis, militibus, etc. 143. VIII. Ex defectu lenitatis; circa bellum 144. Circa iudicium 145. et 146. De dispensationibus 147.

De facultatibus S. Pœnitentiariæ.

pag. 401


TRACTATUS XIV.

DE

SACRAMENTIS IN GENERE,

ET PRÆSERTIM

DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.



CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

*De attentione et intentione 1. Quæ intentio requiritur in ministro
2. De administratione sub conditione 3. An denegandum sit Sa-
cramentum peccatori 4. Quando Communio 5. Si sponsi sunt
in peccato 6.*

1. — De Sacramentis in genere sermo erit fusiùs in *ap-
pendice III. de examine Ordinandorum*. Hic tantùm adnota-
bimus nonnulla principaliora, quæ ibi breviter tacta sunt
in quantum ad Ordinandi notitiam sufficiunt, sed respectu
confessarii animadversione majore indigent. Notandum 1.
quòd *Croix* in ministro, præter intentionem, in conficiendo
Sacramento etiam requirit attentionem, ut validè conficiat.
Sed hæc opinio est singularis et validâ ratione minimè ful-
citur, quia si hoc esset, sequeretur quòd à ministro vo-
luntariè distracto, licèt adesset intentio virtualis, Sacramen-
tum non conficeretur; sed in confesso est apud omnes ad
Sacramenti validitatem nihil aliud requiri, nisi materiam,
formam, et intentionem ministri: ideòque docent *Suar. Lugo*,
etc. cum ipso *Croix*, quòd, licèt minister distraheretur, quo-
ties adest intentio ipsius, certè conficitur Sacramentum (1).
An autem graviter peccet minister se voluntariè distrahens in
Sacramentorum confectione, communis est sententia in ceteris

(1) *Lib. 6. n. 14. et lib. 4. n. 177. v. 3. Ratio, et Croix l. 6. p. 1. num. 85.*
Tom. II.

Sacramentis venialiter peccare, modò errandi periculum absit: sed in Eucharistiæ consecratione dicunt *Conc. et Tambur.* (adversùs *Croix* et *Mazz.*) graviter peccare (1).

2. — Notandum 2. certum esse non sufficere intentionem habitualement ministri, et tantò minùs interpretativam, sed requiri actualement, aut saltem virtualement (Quænam autem sit actualis, et quænam virtualis aut habitualis, aut interpretativa, vide *app. III. n. 9. de exam. Ordin.*). Sufficit tamen intentio *coacta*, nempe timore extorta, qui timor non tollit voluntarium. Non obstat autem ministri error circa personam, v. g. putans absolvere unum, et absolvit alium (2). Hæc certa sunt; quod dubitatur est, an sit validum Sacramentum collatum cum materia et forma, sed sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia? Lutherus universè affirmabat, etsi actio ex joco fiebat, sed hoc à Trid. *Sess. 7. Can. 11.* proscriptum fuit. Alii verò, ut *Gonet, Juvenin. Contens. Serry, Milante*, etc. affirmant, cum actio seriò ponitur. Sed vera sententia docet necesse esse intentionem ritum sacramentalem exercendi, quem Ecclesia à Christo Domino edocta facere intendit; ita *Bellarmin. Suar. Vasq. Tourn. Petroc. Conc. Antoine, Salmant. Lugo, Bon.* et alii innumeri cum *Bened. XIV. (3). Cardinalis Bellarminus* dicit contrariam opinionem nihil ab illa novatorum distare: *Card. de Lugo* pariter dicit illam ab omnibus rejici; et non multum differre à Lutheri errore; et *P. Vasq.* vocat jam damnatam. Contrà nostra sententia primò probatur ex Trid. *Sess. 14. c. 6.* ubi dicitur nullam esse absolutionem sacramentalem, *si sacerdoti animus seriò agendi, et verè (nota) absolvendi desit.* Igitur præter actionem, etiam seriò positam, necesse est intentio absolvendi. Prætereà probatur ex propositione 28. ex damnatis ab *Alexand. VII.* quæ dicebat: *Valet Baptismus collatus à ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, non intendo facere quod facit Ecclesia.* Nec valet dicere propositionem loqui de ritu externo jocosò, quia talis propositio non erat hæreticorum quæ jam damnata fuerat à Tridentino, sed erat Catholicorum, inter quos nemo unquam dixit sufficere ritum jocosum. Ratio autem principalis nostræ sententiæ est illa, quam adducit *S. Thomas (4)*, nempe quòd actio cujuslibet Sacramenti ad plura referri potest. v. g. ablutio in Baptismo potest referri ad extergendas aut corporis maculas,

(1) *Lib. 6. n. 14. v.* Utrùm. — (2) *num. 19. v.* Sufficit. — (3) *De Synod. l. 7. c. 4. n. 9.* — (4) *3. p. q. 64. art. 8.*

aut illas animæ, ideòque necessaria est ministri intentio, quæ actionis illius finem determinet faciendi quod facit Ecclesia ; alioquin, si quis puerum lavaret solo fine ne sordidum illum videret, et diceret : *Ego te baptizo, sive lavo in nomine Patris, etc.* jam hic verus esset Baptismus in adversariorum sententia ; quod non video quomodò dici possit. Hinc Angelicus alibi⁽¹⁾ : *Si minister non intendat Sacramentum conferre, non perficitur Sacramentum* ; saltem sapienter dicit Benedict. XIV. loco cit. : Sacramentum juxta contrariam opinionem collatum, illicitè esset collatum, et saltem certè sub conditione repetendum (2).

3. — Notandum 3. licere in casu necessitatis sub conditione Sacramenta conferre ; et non solùm Baptismus, ut expressum est in *cap. 2. de Bapt.*, sed cetera alia, ut dicunt communiter *Castr. Suar. Coninch. Hubert. Ronc. Salm.*, etc., contra *Juven.* ; et non tantùm in casu necessitatis, sed quoties adest gravis utilitas, aut justa causa, ut etiam communiter AA. citati fatentur contra *Antoine*. Contrà sine justa causa esset culpa gravis ; licèt *Tourn.* et *Salm.* non damnent de mortali confessarium absolventem sub conditione, si pœnitens est dispositus, pro majori cautione sua, licèt dispositum illum judicaret (3). Necesse non est autem ut conditio exprimat, sufficit si mente ponatur, ut communiter *Castrop. Tourn.* et *Salm.* (4).

4. — Notandum 4. non esse denegandum Sacramentum occulto peccatori publicè illud petenti ut docet *S. Thomas* (5), et ut exprimitur in *cap. Si Sacerdos, de off. jud. ord.* Excipitur Ordo, quem etiam pro occultis potest Episcopus denegare, ut *Tom. III. append. III. de exam. Ordinand. num. 15.* ; contrà debet denegari peccatori publico, etiam publicè petenti (6). In dubio autem peccati et pœnitentiæ : si peccatum est certum et pœnitentia dubia, etiam denegandum est ; secùs autem si delictum est dubium (7). Si peccatum non est simpliciter publicum, sed est notum majori parti præsentium, et tantùm unus vel alter probus nescit, probabiliter etiam potest denegari Sacramentum, ut dicunt *Croix* et *Diana* ; sed probabiliùs non debet denegari, ut tenent *Suar.* et *Bonac.* vide dicta *Tom. I. Tr. XI. n. 11.* (8). Sed si peccator petat Sacramentum in loco ubi delictum est occultum, licèt alibi esset publicum, dicimus cum *Cabass. Soto, Vasq.*, etc. adversùs alios non posse denegari, quia in eo casu eadem evenirent inconvenientia, ac si dene-

(1) *Opusc. 4. aliàs V. VI. VII* — (2) *L. 5. n. 20. ad 25.* — (3) *n. 27. et 28.* — (4) *n. 29.* — (5) *3. p. q. 80. a. 9.* — (6) *Lib. 6. n. 50.* — (7) *n. 48.* — (8) *n. 45.*

garetur Sacramentum peccatori, cujus delictum nullibi est publicum (1).

5. — Notandum 5. quòd, ut præscribit Rit. rom. (*de Sacr. Euch.*), debet denegari Communio publicis peccatoribus, quoties non constat etiam publicè de eorum pœnitentia, et non priùs quàm scandalo aliis præstito consuluerint. Cui tamen dicunt *Possevinus, Sancius, Busemb. et Croix*, sufficere confessionem coram multis factam, ita ut brevi sit manifestanda aliis, modò non adsit occasio proxima auferenda; nam si talis occasio adest, publicè jam nota, non debet dari publico peccatori Communio, nisi remotà occasione (2). An autem sacerdos possit timore mortis præbere peccatori publico Communionem; admittunt *Bonac. Croix*, etc.; sed nos cum *Ledesma, Conc.* et aliis negamus, quia debet evitari potius Sacramenti injuria, quàm proprium damnum. Nec obstat dicere quòd, cùm jam possit minister (ut suprà dictum est) Communionem præbere peccatori occulto, ad vitandam ejus infamia, tantò magis ad vitandam mortem propriam. Respondetur quòd in tantum potest præberi peccatori occulto Communio ut vitetur illius infamia, in quantum ejus infamia redundaret in damnum commune aliorum proborum, qui perspicientes peccatorem illum publicè propter peccatum occultum esse diffamatum, possent faciliùs terreri à Communionem, timore ne ab aliquo imprudenti sacerdote expellerentur. Sed hæc ratio evitandi publicum damnum non procedit in casu nostro (3). Vide etiam *Tract. XV. num. 15.*

6. — Notandum 6. quòd parochus non potest licitè assistere matrimonio sponsorum qui sunt publici peccatores, ut rectè dicit *Bened. XIV. (4)* contra *Laym. Lug. Croix*, etc. qui dicunt quòd parochus tenetur ex sui officii munere assistere, et quòd assistentia talis sit purè materialis. Nos verò dicimus sponsos in tali statu non habere jus ad parochi assistentiam exquirendam, ideòque cùm ille licitè suam assistentiam possit denegare, tenetur denegare, ne illorum sacrilegii particeps fiat. Et eadem ratio currit de testibus; sed ampliùs parochus obstat quòd ille tenetur ex justitia impedire peccata suarum ovium (5). Et hìc advertendum quòd, juxta Decretum *Clementis XI.* confirmatum à *Benedicto XIV.*, parochus non debet ad publicationes procedere, nisi priùs examinet sponsos, et sufficienter eos

(1) *N. 46.* — (2) *n. 47. et 48.* — (3) *Lib. 6. n. 49.* — (4) *de Syn. l. 8. c. 14. n. 5.* — (5) *L. 6. n. 54.*

in rebus Fidei instructos reperiat (1). An verò licitè possit sponsa nuptias contrahere et consequenter Sacramentum ministrare (ex vera sententia quòd sponsi sint matrimonii ministri, ùt probabimus *Tr. XVIII. n. 28.*) sponso publico peccatori, admittunt *Sanch. Lugo*, et *Croix*, dicentes sponso in hoc se habere ùt privati contrahentes; in matrimonio enim directè initur contractus, indirectè Sacramentum fit; sed hæc ratio non suadet, cùm hujusmodi contractui annexa est etiam Sacramenti administratio. Undè puto tantùm dici posse quòd præfata administratio, ùt à ministris ad id non consecratis, non esset grave peccatum pro ipsis, ùt probabiliter tenent *Gonet, Suar. Tourn. Habert, Juven. Natal. Alex. Conc. Salm., etc.* licèt opinio opposita, quòd sit grave, *Pontii, Lug. Navar. Vasquez, Contin. Tourn. Croix, etc.* mihi videtur probabilior (2), ùt dicetur *Tom. III. append. III. n. 12.* Notandum est autem matrimonia cum hæreticis esse ab Ecclesia vetita (3). Cætera ad Sacramentorum in genere notitiam spectantia notabuntur in præfata *append. III. cap. I. n. 1. ad. 10.*

CAPUT II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

PUNCTUM I.

De materia, forma et ministro Baptismi.

Quotuplex est Baptismus 7. De materia remota 8. De proxima : et an possit abscindi mater 9. An possit baptizari proles in utero, etc. et in quo membro, etc. 10. 11. et 12. An requiratur trina ablutio 13. De forma 14. De ministro 15. De ordine ministrorum 16. De exteris qui baptizantur 17. De Baptismi dilatione : et de Baptismo domi, etc. 18.

7. — BAPTISMUS communiter dividitur in *fluminis, flaminis, et sanguinis*. Dicitur *fluminis*, nempe aquæ, et de hoc est hic sermo, et hic propriè est Sacramentum; *flaminis*, nempè Spiritûs sancti, qui vocatur *flamen*, cùm alludatur ad adventum Spiritûs sancti super apostolos die Pentecostes in flaminis seu venti specie; et propriè intelligitur animæ conversio ad Deum, à divino Spiritu afflata desiderio expresso aut tacito veri Baptismi; et hoc desiderium etiam ad salutem satis est, cùm non possit Baptismus in re haberi: *sanguinis* denique, intelligitur mors pro Fide tolerata; aut etiam pro alia virtute christiana,

(1) De *Synod. l. 8. c. 14. n. 5.* — (2) *Lib. 6. n. 32.* — (3) *n. 56. et 1044.*

ut docet *S. Thomas*. (1), et reverà Ecclesia in Martyrolog. die 28. Febr. ut martyres veneratur aliquos Sanctos in servitio peste infectorum defunctos. Et hoc martyrium æquiparatur Baptismo, quia etiã remittit culpam et pœnam; quoties tamen cum peccatorum contritione sociatur, aut amore puro erga Deum prædominante; nam ad martyrium non sufficeret sola attritio sine amore prædominante, ut tenendum est cum *S. Thoma*, *S. Bonav. Scoto*, *Laym. Petrocor.*, etc. contra *Wigandt*, *Viva* et alios (2). Notandum hìc obiter non licere se offerre martyrio sine speciali Spiritus sancti instinctu, excepto si aliter in aliquo casu se non offerre gravi esset scandalo, ut dicunt communiter DD. Undè dicit *Laym.* peccare qui inter hæreticos versans vellet in quadragesima abstinere à carnibus cum periculo se prodendi esse catholicum et occidi (3).

8. — Sed descendamus nunc ad loquendum I. de materia Baptismi. Materia *remota* licita est aqua consecrata; secùs graviter peccaret si aliam aquam extra necessitatem adhibere vellet, ut dicunt communiter DD. ex *Clem. un. de Bapt.* Cæterùm in Baptismo privato probabile est licere uti aquã non consecratã; *Croix*, *Gobat. Pasqual.* et *Quintan.* (4). Materia *remota* valida est quælibet aqua naturalis, licet sit mineralis, aut marina, aut ex glacie soluta, aut cum alia materia, sed minoris quantitatis, permixta, quæ retineat tamen usum communem aquæ. Contrà non est materia valida vinum, lac, succus ex fructibus, aut herbis extractus, nec aqua dum est congelata (5). Est autem materia dubia jus, lixivium, aut cerevisia (6); item aqua distillata, intellige arte alchymicã ex floribus, aut herbis, etc. educta, quia aqua naturalis simpliciter distillata, rosis aut aliis floribus in aqua infusis, est vera aqua (7); item saliva, aqua congelata, et humor ex arboribus manans (8). Est etiam materia dubia una, vel altera gutta aquæ (9). Materiã dubiã non licet uti, nisi in casu necessitatis, et appositã conditione; sed advertendum quòd in necessitate tenetur minister uti materiã dubiã, licet opinio pro Sacramenti valore esset minùs, imò tenuiter probabilis, ut communiter docent *Suar. Caj. Antoine*, *Holz. Viva*, et alii (10). Vide *Tract. XVI. n. 36. ad 38.* quid dicetur de absoluteione impertienda peccatoribus moribundis sensibus destitutis.

9. — Materia *proxima* Baptismi est eadem ablutio, quæ

(1) 2. 2. q. 124. a. 5. — (2) *L. 6. n. 95. ad 100.* — (3) *Lib. 6. n. 101.* — (4) *n. 102.* — (5) *v. 102. et 103.* — (6) *n. 103. v. III. Materia.* — (7) *n. 104.* — (8) *Ibid. Dub. 2. 5. 4.* — (9) *n. 107. v. Quær. VI.* — (10) *n. 105. ad III. in fine.*

trifariam fieri potest, per immersionem, aspersionem, et infusionem, qui modus hodie est in praxi. Si puer in flumen projiciatur cum prolatione formæ, probabiliter est validus Baptismus: sed hoc nunquam licet, quia non licet aliquem occidere, ut illum baptizet, et licet deinde ille sine Baptismo moriturus esset: et sic nec licet, ut docet S. Thomas (1), ut baptizetur proles, occidere matrem; aut eam incidere cum proximo, aut probabili periculo mortis illius, licet esset moribunda, et consentiret. Dumtaxat licitum est incidere matrem postquam certè animam efflavit. Et hìc *Croix* advertit hoc circa praxim, nempe, ut statim post matris mortem aperiatur os ejus, ut si proles vivit, non suffocetur (2). Ait *Cangiamila* (3) cum *Possev. Gob.*, etc. peccare graviter parentes qui negligunt efficere ut fiat incisio, et etiam chirurgos qui illam negligunt, aut differunt. Et addit parochus totis viribus efficiendum esse quin mater sepeliatur antequam fiat incisio; secùs dicit quòd ipse nescit illum ab irregularitate excusare, cum ex officio teneatur impedire mortem infantis. Sed huic opinioni nescio acquiescere, cum enim in tali casu non sit certa infantis vita, ne certa quidem est mors ejus. Præterea inquit (*cap. 10.*) quod si alter reperiatur, etsi non chirurgus, qui vires habeat faciendi incisionem, tenetur illum operari. Quin etiam dicit *Cangiam.* (*lib. 4. c. 4. n. 5.*) cum infans non adhuc integrè prodiit ex utero, Baptismum dandum esse non à parochò, sed ab obstetrice. Præterea idem (*loc. cit.*) cum *Gob.* et *Quintanad.* notat signa proximæ mortis, nempe 1. Si infans nascitur absque eo quòd vagiat, et ploret. 2. Si parùm respirat, et livet, præsertim facies. 3. Si nascitur multo labore, et auxilio obstetricis. 4. Si nascitur nondum menses septem conceptus (et idem dicitur de omni foetu abortivo). 5. Si cranium habet nimis tenerum et compages nimis apertas, aut alias partes disjunctas. Et idem dicendum de in fantibus illegitimis, quibus timetur ne occidantur à parentibus, aut saltem exponantur in locis, ubi deest rota. Sed si mater esset morti damnata à justitia, vide in opere (4).

10. — Quæritur 1. an liceat in necessitate baptizare prolem in matris utero, medio aliquo instrumentò, quo possit aqua attingere puerum? Negant hoc *Gotti*, *Conc. Juvenin.*, etc., citantes S. Thomam (5), qui dicit: Non

(1) 3. p. qu. 68. a. 11. ad 3. — (2) *Lib. 6. n. 105. et. 106.* — (3) *Cangiam-Embryologia l. 2. cap. 12. n. 1.* — (4) *Lib. 6. n. 106. v. Omnino.* — (5) 3. p. q. 68. a. 11.

debet aliquis baptizari priusquam ex utero nascatur : Ratio istorum est quia nemo potest renasci per Baptismum juxta Evangelium : *Nisi quis renatus fuerit, etc. Joan. 3. 5.* nisi prius fuerit natus. Sed valdè probabiliter affirmant *Suar. Pignatel. Tourn. Elb. Holzm. Coninch. Croix*, et alii ; quibus valdè adhæret *Benedict. XIV. (1)*, quia hujusmodi infans, cum jam sit viator, est capax Baptismi, et qui vivit in utero matris, etiam potest dici natus, ut de Verbo incarnato dictum : *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est, Matth. 1. 20.* Nam, ut dicit *S. Thom. (2)*, duplex est carnalis nativitas, prima in utero, secunda extra uterum. Et hoc clariùs apparet ex *cap. 4. de Bapt.* ubi dicitur : *In carnali generatione, quâ proles ex viro et femina nascitur*, etc. Notandum quòd non dicitur dumtaxat *ex femina*, sed *ex viro et femina nascitur*. Igitur rectè dicitur solâ generatione nasci, et ita intelligi potest quòd proles nascatur etiam à patre : nec à nostra sententia Angelicus aliud sentit, dum loco prius citato (3) dicit quòd in tantum non potest baptizari in utero, in quantum supponit Sanctus quòd *antequam nascatur, non potest aliquo modo abluì aquâ* ; igitur si potest abluì, potest baptizari. Sed quòd possit aquâ attingi infans in utero, dicit *Benedictus*, hodie ex medicorum et obstetricum judicio constare. Et præterea citat *Silvestrum*, et *Vasq.* qui dicunt (et hoc putat probabile etiam *Laym.* cum *Ang. Armil.* et *Præpos.*, etc.) posse baptizari infantem etiam adhuc involutum secundinâ, quæ putatur tamquam infantis pars, cum illius umbilico annexa sit. Undè concluditur in casibus prædictis, cum imminet mortis periculum, semper prolem sub conditione esse baptizandam (4). Advertendum autem hìc cum *S. Thoma (5)* in necessitate, si infans non adhuc ex utero egressus sit, et baptizetur in capite, non esse ampliùs rebaptizandum, quicquid dicat *Sambovius*, dum idem dicit *Ritual. rom.* ; sed si in alia parte est baptizatus, tunc repetendus est Baptismus sub conditione (6).

11. — Quæritur 2. an possit dari baptismus infundendo aquam super solis capillis infantis ? Negant *Bonac. Concin.*, etc. ; sed communius id admittunt *Lugo, Tol. Valent. Conc. Ledesm. Graff.*, etc. quia licèt capilli non sint animati, non sunt tamen pura excrementa, sed veræ corporis partes ; ut est etiam cutis exterior, quæ nec est ani-

(1) *De Syn. l. 7. c. 5. n. 2.* — (2) *4. Sent. dist. VI. q. 1. a. 2.* — (3) *3. p. q. 68. a. 11.* — (4) *Lib. 6. n. 107.* — (5) *cit. a. 11. ad. 4.* — (6) *Lib. 6. n. 107. a. Hic autem.*

mala, et tamen super ipsa infunditur aqua Baptismi. Quare in casu necessitatis benè potest, et debet dari Baptismus super capillis, sub conditione : et tantò magis debet dari super pedibus, aut digitis, et aliis partibus minimis corporis. Baptismus verò super vestibus est certè nullus (1).

12. — Quæritur 3. an sit certè validus Baptismus collatus non jam in capite, sed in pectore, in scapulis aut aliis corporis partibus principalioribus? communior sententia affirmat; sed dubitant *Anacl. Conc. et Platel.* et dubitat etiam *S. Thomas* (2). Undè meritò dicunt *Tourn. Viva. Salm. Trull. Ledesm.* licitè posse rebaptizari sub conditione : *Si non es baptizatus*, etc. (3).

13. — Quæritur 4. an in Baptismo certè requiratur trina ablutio? Quoad validitatem, certum est unam sufficere, ut ex *can. de Trina, D. 4. de consecr.* ubi *S. Gregorius* dicit : *Ter vel semel immergere*. Cæterùm præcipit Rituale ut ablutio sit trina; et hoc præceptum dicimus cum *S. Thoma* (4), et aliis (contra *Holzlm.*) esse grave, cum materia sit gravis; in illa enim exprimitur mysterium SS. Trinitatis. Et hìc advertendum cum *Laym. Reg. Busemb.* non esse terminandam formam ante tertiam abluionem (5).

14. — II. Circa formam Baptismi in Ecclesia latina : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; in græca autem est : *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, etc.*; damnata fuit ab *Alexandro VIII.* Propos. 27. quòd dudùm sufficiebant sola verba *in nomine Patris, etc.* Advertendum quòd mutatio cum est substantialis (nempè cum corrumpitur sensus formæ), tunc redditur invalidus Baptismus; non autem cum est accidentalis, nempè cum servatur sensus. Quapropter est mutatio accidentalis, et per consequens est validus Baptismus, 1. si mutatur idioma aut pronuntiatur forma cum verbis diversis idiomaticis, nam in Sacramentis non requiritur, ut minister aut suscipiens intelligat verba, sed sufficit, ut illa sint per se significativa. Et in conferendo Baptismo meliùs est (ut dicunt multi DD.) ut in necessitate mulieres et rudes adhibeant linguam maternam, ne errent. 2. Si pro *Ego te baptizo*, diceret *Ego te lavo, te purgo*, etc., talis mutatio non excederet veniale, ut dicunt *Laym. Bonac. et Busemb.* Sed si diceret : *In nomine Genitoris, et Geniti, etc.* aut pro *Filii* diceret

(1) *Lib. 6. n. 107. Quær. III.* — (2) *3. p. q. 68. a. 11. ad 4.* — (3) *Lib. 6. n. 107. Qu. IV.* — (4) *3. p. q. 66. a. 8.* — (5) *Lib. 6. n. 107. Quær. V.*

Jesu Christi, tunc saltem esset dubius Baptismus (1). 3. Si diceret: *Battizo* pro *Baptizo*, aut *Fili* pro *Filii*, aut *Patria*, et *Filia*, et *Spiritus sancta*, pro *Patris*, etc.: nam talis Baptismus validus fuit declaratus à Zacharia Papa, c. *Retulerunt*, de consecr. d. 4. 4. Si verba transponuntur, dicendo: *Te ego baptizo, in nomine Filii, et Patris, etc.* (2). 5. Si dicitur: *In nomine Patris omnipotentis, et Filii unigeniti, etc.*, aut si quis ex importuna devotione adderet, *et in nomine Mariæ Virginis*. Contrà esset invalidus si diceretur: *Ego te baptizo in nominibus Patris, aut in nomine SS. Trinitatis: aut in nomine trium divinarum Personarum*. Si autem diceretur: *In nomine Patris, in nomine Filii, etc.* Baptismus esse dubium tenent *Bonac. Tournel. Busemb. Salm.* (3). 6. Si omitteretur verbum *ego* aut *amen*; sed si omitteretur *te*, juxta communem sententiam esset invalidus. Si autem omitteretur particula *et*, dicendo *In nomine Patris, Filii, Spiritus sancti*, alii dicunt esse validum, alii invalidum, propterea sub conditione esset repetendum; sed si particula *et* poneretur ante *Spiritus sancti*, non dubito cum *Croix*, quin esset validus Baptismus, quia juxta usum communem pro nominum distinctione sufficit, ut *et* præponatur ultimo nomini. (4). Dubius est etiam Baptismus, si omittatur particula *in*, quam volunt esse essentialem *Sot. Navar. Conc.*, etc.; nam aliquandò, præfatâ particulâ sublatâ, sensus remanet æquivocus, si dicatur forma ex auctoritate SS. Trinitatis, aut invocando tres divinas Personas. Sed huic se opponunt *Bonac. Coninch. Salmant.*, etc. dicentes non esse de essentia, quia etiam adjectâ particulâ *in*, adhuc sensus remanet æquivocus (5). Est certè invalidus Baptismus tantùm collatus *in nomine Christi*, ut docent omnes cum *S. Thoma* (6) ex c. *Si reverà* 30. de consecr. dist. 4. Nec obstat textus (Act. 8. 12.) *In nomine Jesu Christi baptizantur viri ac mulieres*, quia hoc intelligebatur in quantum ille Baptismus erat institutus à Jesu Christo, non autem à Baptista: contrà ex iisdem Actibus probatur quòd exprimebantur nomina Personarum, dùm illis, qui dicebant ne audivisse quidem utrùm Spiritus sanctus adesset, responsum fuit: *In quo ergo baptizati estis?* Act. 19. 3. nec obstat textus c. *A. quodam*, de consecratione dist. 4. ubi Nicolaus Papa dixit: *Si in nomine sanctæ Trinitatis, vel Christi baptizati*

(1) *Lib. 6. n. 108. et 109.* — (2) n. 110. — (3) n. 111. — (4) n. 112. — (5) *Ibid. Dubit. 2.* — (6) 3. p. q. 66. a. 6.

sunt, rebaptizari non debent. Nam, ut explicat Glossa, verbum Trinitatis, Papa dicendo in nomine SS. Trinitatis, non intendebat expressionem illius Personarum explicitam excludere (1).

15. III. Circa ministrum, notandum 1. quòd validus est Baptismus à quocumque viatore, etiam hæretico, aut infideli collatus (2). Sed extra necessitatem non potest Baptismus licitè conferri nisi à solis sacerdotibus. Imò minister ordinarius Baptismi est proprius pastor, nempe Episcopus, aut parochus, qui cæteroquin possunt aliis sacerdotibus, et in horum defectu, etiam diaconis administrationem committere; sed diaconi sine commissione in necessitate non possunt solemniter baptizare; et hoc faciendo (juxta sententiam probabiliorem *Layman*, *Bon. Tournely*, *Hubert*, etc.) incurrunt irregularitatem; quandoquidem diaconi non ordinantur ad baptizandum, nisi ex sacerdotis commissione. Non dubitatur autem quin clerici non diaconi solemniter baptizando incurrant irregularitatem, ex *c. Si quis 1. de cler. non ordin.*, etc. Contrà probabiliùs dicunt *Lugo*, *Castropal. Bonac.*, *Laym.*, etc. (contra *Sotum*, *Suarez, Conc.*, etc.) laicos solemniter baptizando non fieri irregulares; nam licèt textus sic generaliter loquatur, dicendo, *Si quis, etc.*, ea verba tamen debent referri ad titulum qui tantùm de clericis tractat (3). Cæterùm certum est extra necessitatem baptizantem, sine proprii pastoris commissione, graviter peccare. Sufficit nihilominùs in hoc licentia præsumpta, ut dicunt *Salmanticens.* cum *Mirand.* et *Henriq.* (4).

16. — Notandum 2. circa ministrorum ordinem in baptizando (ex Ritual. romano) sacerdotem esse præferendum diacono; diaconum subdiacono; clericum laico; virum denique mulieri; ratione honestatis tamen aliquandò debet viro præferri mulier (ideòque parochi debent benè examinare obstetrices, ut dictum est *Tom. I. Tract. VII. n. 45. ad 4.*), aut quia mulier esset meliùs viro instructa: et cum vir esset pater baptizandi, tunc omninò debet mulier baptizare, dum parentibus hoc est prohibitum extra necessitatem extremam (5). Certum est autem graviter peccare laicos qui baptizant coram sacerdote, *c. 21. de consecr. dist. 4.*, excepto si sacerdos esset excommunicatus, ut rectè dicunt *Suar. Castropal. Navarr. Silvest.* et *Salmanticens.* (contra *Sot.* et *Sayr.*) quia excommunicato

(1) *Lib. 6. n. 112.* Dubit. 5. — (2) *n. 113.* — (3) *n. 116.* — (4) *Lib. 6. n. 115*
i. Notand. II — (5) *n. 117.*

concessum est baptizare in solo casu necessitatis , quæ non adest quoties potest alius habere (1). Sed si baptizaret coram clerico etiamsi diacono , probabiliter non peccaret nisi venialiter (2). Proculdubio autem graviter peccant parentes qui extra necessitatem extremam permittunt filios à prædicantibus baptizari , licèt hoc efficerent timore edicti principis (3).

17. — Notandum 3. nec Episcopos , nec parochos posse baptizare extra diœcesim , aut parochiam existentes , sine proprii pastoris commissione. Quare certè graviter peccant parentes , qui filios sine illorum licentia ad alios afferunt baptizandos (4). Peregrini et vagi qui non habent proprium domicilium possunt in quacumque ecclesia baptizari , ita *Barbosa* , *Salmant.* et *Croix* , ex cap. *Nec numerus... qu.* 3. Sed hîc quæritur , an exteri debeant baptizari , et alia Sacramenta suscipere à paracho proprio domicilii , si parùm distat : aut possint ea suscipere à paracho loci , ubi incolunt et quasi-domicilium contraxerunt ? Notandum hîc contrahi domicilium ab eo qui in aliquo oppido habitat , non per modum transitûs , sed per majorem anni partem , aut animo ibi manendi majorem , aut notabilem anni partem , alicujus negotii , aut officii causâ. v. g. medici , mercatoris , hospitis , famuli , etc. : ita *Laym. Navarr.* et *Lambert.* (5) cum communi ut asserit. Nunc veniamus ad quæsitum. Respondetur duas adesse probabiles sententias. Prima est *Ledesm. Ang. Rodr.* et *Henriq.* , etc. tenens Sacramenta suscipienda esse à paracho proprii domicilii , quia alias (ut dicunt) exterus haberet duas parochias habitationis. Sed hæc ratio nihil convincit , undè probabilior et communior est secunda sententia *Barb. Sanch. Silvest. Castrop. Pontii* , *Croix* , *Bonac. Salmant.* , etc. cum pluribus decisionibus Rotæ , quæ dicit posse suscipi Sacramenta à paracho domicilii , cum pro quasi-domicilio jam quilibet sit subditus loci ubi habitat , ut habetur ex *capit. fin. de Paroch.* (6).

18. — Notandum 4. graviter peccare eos qui differunt diù Baptismum infantibus. Putant *Laym. Castropal.* gravem esse dilationem ad mensem sine causa , et cum causa ad duos menses. Sed communior et probabilior sententia putat esse grave plerùmque dilationem ultra 10. aut 11. dies (7). Notandum 5. esse vetitum sub gravi domi baptizare infantes solemniter , exceptis filiis regum , vel principum ,

(1) *Ibid.* Dubit. 1. et 2. — (2) *Ib.* Dubit. 3. et 4. — (3) *Ibid.* Dubit. 5. — (4) n. 111. — (5) *Notif.* 52. n. 9. — (6) *Lib.* 6. n. 115. — (7) n. 118. v. Notand. II.

ut dicitur in *Clementina unica*, de *Baptismo*. Et hujusmodi infantibus rectè dicunt *Sot. Castropal. Tol. Novar. Croix*, etc. Baptismum debere solemniter conferri; cæremoniæ enim non sunt omittendæ nisi in sola necessitate. Nomine *principum* nonnulli DD. intelligunt omnes barones; sed probabiliùs *Suar. Tournel. Roncag. Tambur. Elb.*, etc. intelligunt illos tantùm, qui dominio absoluto gaudent; idem tenet *Glossa* in cit. *Clementina* (ad verbum *aliquos*), adducens *cap. Fundamenta 17. §. Proinde, de elect.* ubi dicitur: *Rex, princeps, marchio, dux*, igitur principes distinguuntur à baronibus; ubi tamen introductum jam est domi baptizare filios baronum, saltem magnatum, benè ait *Croix* non facilè damnandum; vide *num. 30*. Notandum 6. nullum esse Baptismum, si alter applicat materiam, alter verò formam; DD. communiter cum *S. Thoma* (1); et licèt adhibeatur forma Græcorum *Baptizetur servus Christi*, etc., quia semper subauditur verbum *per me* (2). Notandum 7. Quòd si eodem tempore plures ministri Baptismum conferrent infanti, proculdubio graviter peccarent: sed quoad valorem Sacramenti, oporteret distinguere cum *S. Thoma* (3): Si quilibet baptizare intendit ut concausa, nempe dependenter ad alio, Baptismus esset nullus; secùs autem si quilibet intenderet baptizare ex se, ut pariter accidit in consecratione Eucharistiæ, cùm neopresbyteri celebrant cum Episcopo (4).

PUNCTUM II.

De iis qui baptizare possunt.

Pœna rebaptizantium 19. De fœtibus abortivis, et de filiis infidelium 20. Si parentes repugnant 21. An liceat vendere filios infidelibus 22. De Baptismo sub conditione 23. De infantibus expositis 24. De Baptizatis à laicis 25. Ab hæreticis 26. Si Baptismus est dubius 27. Dispositiones ad Baptismum 28. De cæremoniis, et I. de aqua consecrata 29. II. De ecclesia 30.

19. — NOTANDUM 1. validè baptizari infantes et perpetuò amentes; illos tamen qui aliquandò habuerunt usum rationis non posse, si priùs Baptismum non requisiverunt (5). Notandum 2. quòd, cùm repetitur Baptismus sine justa causa, tam rebaptizans quàm rebaptizatus, si est rationis compos, incurrunt irregularitatem, *cap. 2. de Apostat.* An autem idem sit de rebaptizantibus sub conditione sine

(1) 5. p. q. 67. a. 6. — (2) *Lib. 6. n. 119.* — (3) 5. p. qu. 67. a. 6. ad 5. — (4) *Lib. 6. n. 120.* -- (5) n. 121.

justa causa: duæ adsunt sententiæ probabiles; negant *Suar. Castropal. Laym. Bonac. Anac, Pont. Tourn. Holzm. Salmantic. et Croix*, quia qui sub conditione rebaptizat, reverà non rebaptizat. Affirmant autem *Sot. Filliuc. Conc. Ren. Barbos. Sayr. et Lambert* cum Catechismo romano; quia, ut dicunt isti, talis conditio apponitur in legis fraudem ideòque habetur pro non apposita (1).

20. — Notandum 3. fœtus abortivos, semper ac non constet esse animâ destitutos (ut judicari debent illi qui non habent aliquam organorum dispositionem), semper baptizandos esse, sub conditione tamen; potissimum cum inter peritos modernos hodiè cum plausu recepta sit opinio, quòd fœtus animetur aut in ipsa conceptione, aut saltem post paucos dies (2). Notandum 4., ut præcipit *Ritual. rom.*, in solo casu necessitatis posse baptizari plures sub una forma. dicendo: *Ego vos baptizo, etc.* (3). Notandum 5. quòd circa filios infidelium, Baptismus collatus est validus, licèt eis ministretur invitis parentibus, ut docet *Benedictus XIV.* in sua *instruct. ad Vicesgerentem*. quæ incipit *Postremo mense*, (*Vide Bull. edit. Mechl. t. 5. p. 6.*) et alii communiter cum auctoritate *S. Augustini*, quicquid dicant *Durand.* et *Catarin.* (4). Sed notandum item circa hoc, quòd si parentes deficiunt à Fide ad infidelitatem, licite possunt eis auferri filii; et sufficit quòd unus solus eorum priùs fidelis fuerit, ut communiter dicunt *Suar. Laym. Ronc. Antonin. Salmant. et Croix*; cæterum sicut est licitum baptizare filios hæreticorum his invitis, et etiamsi illi apud genitores remanendi fuissent, juxta sententiam probabiliorem *Laym. Croix, Aver. Gob.*, etc.; ita contrà non licebit baptizare filios infidelium invitis parentibus, præterquam in casibus sequentibus: 1. Si filius est jam rationis capax et Baptismum efflagitat, ut docet *S. Thomas* (5). Et advertendum quòd Ecclesia benè possit et debeat separare baptizatum à suis parentibus, ut dicunt *Castropal. Laym. Salmant.*; et *Benedictus XIV.* facto declaravit loco cit. num. 29. ex *can. de Judæis, dist. 45.* et in casu quo dubitatur an filius qui petit Baptismum sit vel ne rationis compos, post septennium debet baptizari, sed ante septennium expectandum est ut ibidem dicit *Benedict.*, et interim à parentibus debet segregari, et loco tuto custodiri (6). 2. Debet baptizari filius infidelium quoties in periculo est mortis. 3. Si filius est extra curam parentum, nec timetur ne ad ipsos regre-

(1) *N. 122.* — (2) *Lib. 6. n. 124.* — (3) *Ibid. ad 6.* — (4) *n. 126. r. Quær.* — (5) *3. p. q. 68. a. 10.* — (6) *Lib. 6. n. 128.*

diatur. Et idem currit pro filiis perpetuò amentibus; aut à parentibus derelictis aut expositis. 4. Si parentes in Christianorum captivitatem redacti sunt, aut filii eorum sunt capti in bello. 5. Si unus parentum consentit, ut infans baptizetur, licèt alter positivè repugnet (1).

21. — Sed hìc quæritur 1. An repugnante utroque parente infideli, liceat baptizari infans? Respondetur non licere, si filius relinquendus erit in illorum potestate, ut decrevit S. C., ex eo quia adest certum periculum illius perversionis. Sed contrà casu quo infans abstrabatur à parentibus, est satis probabilis sententia *Scoti, Flas. Tourn. Est. Pichel. Mastr. Holzm.* et aliorum contra *Gonet, Conc. Salm.*, etc. quod possit licitè baptizari, dùm parentes non possunt super filiis habere jus in eorum salutis æternæ detrimentum: et sicut potest auferri filius à parentibus, ut liberetur à morte corporali, tantò fortius, ut liberetur à morte animæ. Advertendum tamen quoad Hebræos, Julium II. justis rationibus prohibuisse, quominùs iis invitatis sui filii baptizentur, antequam ad usum rationis hi pervenerint (2).

22. — Quæritur 2. An liceat vendere parentibus infidelibus filios suos non jam baptizatos. Negat *Hurt.*, sed communiter affirmant *Suar. Laym. Castrop. Vasq. Bonac. Conin. Filliuc.*, etc. quia hoc expedit ad conservandam pacem communiter; aliter infideles difficulter restituerent christianos captivos, et Ecclesiæ magis incumbit, ut fideles Fidem servant sartam tectam, quàm ut infideles eam amplectantur (3).

23. — Notandum 6. quòd juxta regulam generalem ut conferatur Baptismus sub conditione jam baptizato, requiritur rationale et prudens dubium de valore prioris Baptismi, dubium sive negativum sit, sive positivum (4), sicut explicatum est *Tom. I. Tract. I. n. 12.* Advertendum tamen quòd, cùm saltem unus testis ocularis de Baptismo collato testatur, non potest repeti, nisi cùm adsunt testes contrarii qui positivè oppositum deponunt; ita communiter *Suar. Laym. Castrop. Bonac. Holzm. Salm.*, etc. cum *Lambertini.* Advertendum item non esse baptizandos (ne sub conditione quidem) adultos à parentibus christianis natos, et inter fideles educatos, licèt nullus adsit qui de illorum Baptismo testetur, ut exprimitur in *cap. Veniens 3. de Presbyt. non bapt.* ubi dicitur: *Et certè de illo qui natus est de christianis parentibus, et inter Christianos est*

(1) N. 129. ad 131. — (2) Lib. 6. n. 152. — (3) n. 153. — (4) n. 154.

fideliter conversatus, tam violenter præsimitur quòd fuerit baptizatus, ut præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur. Rectè tamen dicunt *Laym.* et *Busemb.* Baptismum sub conditione esse conferendum adultis, etiam inter fideles nutritis, cùm eæ adsint conjecturæ, ut præsumere faciant verisimiliter eos non fuisse baptizatos. Imò S. C., ut refert *Zacchar.* (1), pluries decrevit esse baptizandos sub conditione eos pro quibus nullum Baptismi recepti signum haberi potest, nec parentum matrimonii (2).

24. — Notandum 7. circa infantes (si sint expositi, et scriptum sive habent, sive non, Baptismi recepti) debent baptizari sub conditione, quoties non constat de Baptismo eorum, quia prudenter semper potest dubitari, ita *Nat. ab Alexandro, Petroc. Conc. Rorc. Holz. Tourn. Henno,* et alii cum *Lambert.* qui ad hujus confirmationem producit *Conc. Mediolanen.* et declarationes S. C. et etiam *Rit. rom.* ubi dicitur: *Infantes expositi, si de eorum Baptismo non constat, sub conditione baptizentur* (3).

25. — Notandum 8. quòd infantes ab obstetricibus baptizati, aut à laïcis, tunc solùm rebaptizandi sunt, cùm probabilis de errore habetur suspicio, ut communiter *Suar. Laym. Bonac. Conc. Holzm. Salmant. Croix,* etc. quicquid alii dicant: et ita declaravit S. C. (4); secùs verò cùm parochus, explorato laïco, reperit illum sufficienter instructum, ut dicitur in *Catechismo rom.*, in eo casu tamen in ecclesia suppleri debent cæremoniæ, ut præcipitur in *Rit. rom.* In casu autem quo repetendus erit Baptismus in adultis, non erit præmittenda confessio, sed tantùm contritio (5).

26. — Notandum 9. baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos, nisi cùm certum est, aut saltem prudenter dubitari potest in aliqua parte non servari requisita ab Ecclesia catholica ad valorem Sacramenti, ut declaravit S. C. (6). quod præcipuè accidit in baptizatis à Prædicantibus, Lutheranis, et Calvinistis, ut advertunt *Tournely, Gobat, Dicast.,* etc.; quoniam aliqui ex illis utuntur aquis distillatis, alii solent in baptizando hunc morem servare ut unus proferat formam, et alius applicet materiam; nonnulli infundunt aquam super vestes tantùm; aliique communiùs deficiunt in intentione (7).

(1) *Lib. 4. apud Croix, l. 6. p. 1. n. 310.* — (2) *Lib. 6. n. 134. v.* Hic tamen. — (3) *n. 135.* — (4) *Apud Zach. Adnot. ad Croix l. 6. p. 1. n. 525.* — (5) *L. 6. n. 136.* (6) *Apud Zach. ad Croix l. 6. p. 1. n. 525.* — (7) *Lib. 6. n. 137.*

27. — Notandum 10. peccare ministrum si, cùm rati-
onabile dubium de baptismi collatione habetur, non bapti-
zat (intellige sub conditione). Contrà, cùm testis unicus
oculatus habetur de baptismi collatione, non potest re-
peti (1). Sat est conditionem mente apponere, modò non
adsit scandalum in ea occultanda; sed semper tutiùs est
eam exprimere: *Si non es baptizatus*, etc. Et cùm bap-
tizatur sub conditione, non requiritur patrinus (2).

28. — Quoad dispositionem ad Baptismum recipiendum
requiritur 1. intentio saltem habitualis in adultis (quia in
amentibus et pueris, ut dictum est, supplet Ecclesia).
Quare validè confertur Baptismus illi, qui eum recipit,
non ex mera vi, sed ex metu gravi, sicut etiam amen-
tibus, et dormientibus qui priùs, dùm apud se erant,
illum petierunt. 2. Requiritur ut rebus Fidei calleant,
juxta id quod dictum est *Tom. I. Tract. IV. num. 3.* Re-
quiritur 3. dolor de peccatis; et sufficit attritio sine cha-
ritate prædominante, ut communissimè *Gonet, Can. Sot.*
Suar. Valent. Salm. et alii cum *S. Thoma* (3), qui dicit:
Ad hoc ut homo se præparet ad gratiam in Baptismo, præ-
exigitur Fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præ-
cedens, etsi non contritio (4)

29. — Cæremoniæ tandem, quæ debent adhiberi in
Baptismo, sunt 1. aqua consecrata, cùm Baptismus est
solemnis, ut *num. 8.* Peccaret autem graviter qui sine ne-
cessitate baptizaret omissis unctionibus Chrismatis, et
olei Catechumenorum, aut ungeret baptizandum oleis
veteribus, ut communiter DD. (x *can. Si quis de alio,*
dist. 4. et *Rit. rom.* ubi item præcipitur, ut si oleum
benedictum jamjam defecturum esset, et aliud haberi
non posset, infundatur in benedictum aliud simplex oli-
varum, sed in minore quantitate. Propterea si, ut ha-
beretur oleum novum, expectandum esset per notabile
tempus, v. g. per 10. aut 11. dies, tunc potest conferri
Baptismus, et postea suppleri unctiones; et hoc etiam
licet præcisa necessitas non adesset: *Cùm propter ætatis*
imbecillitatem (dicit *Catech. rom. part. 2. n. XXXIV.* lo-
quendo de infantibus) *infinita penè vitæ pericula illis im-*
pendeant. Sed si abest necessitas, aut alia gravis causa;
et intra dictum tempus de facili possit haberi novum
oleum, differendus est Baptismus (5).

30. — II. Baptismus conferendus est in ecclesia; quare

(1) *Lib. 6. n. 137.* — (2) *Ibid. in fin. Resp. 2* — (3) *In 4. d. 6. q. 1. a. 3. ad*
5. — (4) *L. 6. n. 139.* — (5) *Lib. 6 n. 141.*

grave est conferri domi. Excipe 1. si infans fuerit filius regis, aut principis, ut *n. 18.*; 2. si infans non potest ad ecclesiam deferri sine parentum infamia, aut alterius gravis damni periculo; et eo casu *Croix, Gob. et Jord.* dicunt Baptismum posse tunc domi conferri etiam solemniter; 3. si imminet periculum mortis infanti, v. gr. si mater cum magna difficultate enixa est; aut si infans oritur quin ploret, aut 7. vel 8. mense (1). In hoc tertio tamen casu, si infans vivit, cæremoniæ debent in ecclesia suppleri, ut dicit *S. Thomas* (2), ex *c. 1. de Sacramentis non iter.* Et hoc sub gravi, ut tenent *Pignatel. Croix, et Aver.* contra *Passer.* (3). An autem, putà si Baptismus invalidè collatus sit, debeant repeti cæremoniæ; alii communiùs negant, ut *Suar. Bonac. Busemb.*, etc.; sed alii affirmant, ut *S. Antoninus, Castr. et Salm.* Utraque sententia est probabilis, ideòque secunda uti tutior consulenda (4). Rituale admonet parochos ut curent, quantum possibile est, ne imponantur infantibus nomina risum moventia, aut idolorum, aut idololatrarum, sed Sanctorum. Notandum hìc denique librum baptizatorum plenam facere fidem in omni tribunali; ideò Rituale præcipit præterea parochi ut adnotent diem, et horam nativitatis, parentes infantis, et patrilinos; insuper ut notent, si Baptismus fuerit sub conditione, aut sine cæremoniis collatus; et item si infans fuerit expositus, et ubi fuerit inventus (5). III. Requiritur patrini, sed de his in puncto sequenti.

PUNCTUM III.

De patrilinis et eorum munere.

Munus patrilinorum 51. *Qualitas* 52. *Quando et à quibus contrahitur cognatio, etc.* 53. *An parentes, etc.* 54. *An patrilini debeant designari* 55. *Cujus sexus* 56. *Quibus sit vetitum esse patrilinos* 57. *Quando in hoc peccat parochus* 58.

31. — PATRINI sunt illi qui de sacro fonte suscipiunt baptizatum, et in suam curam eum accipiunt; undè debent eum instruere de rebus Fidei, et morum, si alii negligunt. Cæterùm dicit *S. Thom.* (6). quòd potissimum præsumere possunt patrilini, infantes sufficienter instrui à suis parentibus (7).

32. — Ad hoc, ut quis possit esse patrilinus, dicunt *Salm. cum Laym. Sanch. Nav.* etc. nullam requiri cer-

(1) *N. 142.* — (2) *3. p. q. 71. a. 5. ad 3.* — (3) *L. 6. n. 144.* — (4) *Ibid. v. Si Baptismus.* — (5) *n. 145.* — (6) *3. p. q. 67. a. 8.* — (7) *Lib. 6. n. 147.*

tam ætatem; sed probabiliter tenet *Croix*, requiri saltem ætatem 7. annorum; omninò autem requiritur 1. rationis usus, 2. ut sit baptizatus, 3. ut patrinus talem habeat intentionem, 4. ut ipse per se, aut medio procuratore suscipiat infantem qui baptizatur, aut è manibus baptizantis, et in hoc non sufficit tactus moralis, sed requiritur physicus, juxta communissimam sententiam *Sanch. Castropal. Bonac. Salm.*, etc. cum declaratione S. C. (1), 5. ut patrinus sit designatus à parentibus, vel saltem à parcho: sed parcho (saltem licitè) non potest mutare patrinum designatum à parentibus (2).

33. — Quæritur 1. an in Baptismo privato contrahatur tam à baptizante, quàm à patrino spiritualis cognatio? Quoad baptizantem, non dubitatur quin contrahatur. sed quoad patrinum, negant communiùs, et probabiliùs, *Sot. Sanch. Castropal. Bonac. Tourn. Salm.*, etc. (contra *Suar. Laym.*, etc.); quia juxta Trident *Sess. 24. c. 2. de Ref.* impedimentum dumtaxat contrahitur ab illis qui de sacro fonte puerum suscipiunt; et hic fons tantùm pro solemnì, non autem privato Baptismo institutus est (3). Quæritur 2. an cognationem contrahat, qui pro patrino adhibetur in Baptismo sub conditione collato? Respondetur quòd si de priori Baptismo tantùm habetur dubium negativum, tunc certùm est contrahi; nam cùm nulla habeatur ratio pro illius valore, præsumptio stat pro valore posterioris. Secùs autem, si de priori dubium habeatur positivum, nempe probabilis ratio de illius validitate; ita *Sanch. Dian. et Ren.* (4). Quæritur 3. an contrahat, qui ex errore suscipit unum puerum pro alio quem intendebat? Negant *Sanch. Tourn.*, etc. ex *cap. 2. de Cognatione spirit.* ubi dicitur mulier, quæ ex ignorantia filium mariti suscipit in Baptismo, non privari jure petendi debitum. Sed probabiliùs affirmant *Pontius. Castr.* et alii; modò patrinus non habeat expressam intentionem non levandi alium infantem, quàm eum quem intendit. Et respondet ad textum oppositum quòd ibi lex aufert impedimentum petendi debitum, quia æquum non erat privare sine sua culpa conjugem suo jure; sed hæc ratio non currit in nostro casu (5). Quæritur 4. cùm aliquis levat puerum alterius nomine, quis eorum contrahit cognationem? Aliqui dicunt solùm procuratorem contrahere; ita *Sot. Conc. et Tolet.* Alii dicunt neutrum; ita *Filliuc. Sa*, etc.; sed communissima sententia et verior *Sanch. Castr. Fagn. Navar.*

(1) N. 148. — (2) n. 146. — (3) Lib. 6. n. 149. — (4) n. 151. — (5) n. 152.

Tourn. Croix, et aliorum cum *Pontio*, qui affert Decisionem S. C., est solùm principalem contrahere: qui juxta Trident. ille cognationem contrahit, qui à parentibus ad puerum suscipiendum designatus fuit. Nec refert quòd principalis absit, quia juxta regulam legis: *Qui per alium facit, per se facere videtur* (1).

34. — Quæritur 5. an parentes baptizantes, aut filios de baptismo suscipientes, contrahant impedimentum petendi debitum? Certum est 1. non contrahere, si baptizant in necessitate, ut docent communiter DD. cum *S. Thoma* (2). Certum est 2. peccare graviter parentes, qui sine necessitate baptizant filios (3). Certum est 3. non contrahere parentes, qui baptizant ex ignorantia filium, ex *cap. Si vir 2. de cognat. spir.* Quæstio igitur restat an parentes filium sine necessitate baptizantes contrahant impedimentum, etc.? Affirmant *Sanch. Petroc. Conc.* cum *S. Thoma* (4). quia eadem lex quæ decernit contrahi cognationem inter baptizantem, et parentes baptizati, inducit etiam impedimentum inter parentes qui prolem baptizant. Sed satis probabiliter negant *Suar. Ronc. Viva, Salm. Coninc.* cum *Glossa* in præfato *c. 2. v. Debitum*, quia in nulla lege id invenitur expressum, et nulla pœna incurritur nisi sit expressa in jure, ut concordant omnes; imò in eodem textu dicitur quòd hujusmodi conjuges *non sunt separandi*, et dicitur: *Nec alter alteri debitum debet subtrahere*. Nec valet dicere textum loqui de redditione, non autem de petitione; dùm si alter non posset petere, alter non teneretur reddere; dùm ille amisit jus petendi (5).

35. — Quæritur 6. an patrini, ut contrahant cognationem, debeant esse designati, et à quo? Circa hoc Trident. *Sess. 24. c. 2.* statuit, *Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahent*. Hic dubitatur 1. cum multi tangunt puerum sed nullus est designatus, an omnes contrahant? Alii dicunt tunc nullum eorum contrahere; ita *Croix, Gob, Dian.*, etc. Sed ego adhæreo sententiæ contrariæ quæ est communissima *Nav. Laym. Castr. Bonac. Salm. Viva*, etc. cum declaratione S. C. quâ dictum fuit omnes contrahere, quia licet Concilium requirat ut parochus baptizet adhibitis patrinis designatis à parentibus pueri, attamen non irritat jus antiquum *cap. fin. de cogn. spir. in 6.* quo omnes qui tangunt, cognationem contrahunt:

(1) *N. 153.* — (2) *Suppl. q. 56. v. 1. et ex c. Ad limina 50. q. 1.* — (3) *Ex c. De hic 7. q. 1.* — (4) *Suppl. q. 56. art. 1.* — (5) *Lib. 6. n. 150.*

ibi sic dicitur: *Si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio indè contrahitur*; et hoc currit, ut dicunt *Castr. Cornej. Salm.*, etc. adversus *Croix*, etiamsi præsentés sint patrini designati. Sed si quis ex patrinis designatis puerum tangeret, cæteri non designati certè non contrahunt, ut habetur ex Concilio. Sed si parentes designarent plures quàm duos patrinos, et omnes tangerent (in quo graviter peccaret parochus, eos admittendo contra Concilii præceptum), tunc rectè dicunt *Suar. Sanch. et Croix*, quòd si successivè tangerent, illos duos priores contrahere; sed si omnes unà simul, *Suar.* tenet neminem contrahere; sed probabiliùs dicunt *Sanch. Ronc. Castrop. Salm. Croix*, etc. omnes designatos contrahere: quia Concilium non irritat jus antiquum, nisi cum tangunt alii non designati, præter duos designatos; sed secus si tangunt alii designati ultra duos. Et hoc tantò magis currit, ut declaravit S. C. si de multis designatis nescitur quis eorum priùs tetigerit (1).

36. — Notandum 1. Concilium præscribere, ut duorum patrinorum alter sit mas, et alter fœmina; undè non vacaret culpâ designare duos mares, aut duas fœminas; et ego puto lethalem cum *Bonac.* et aliis (contra *Sanch. et Croix*), si uterque patrinus esset diversi sexûs quàm infans: quia ita multiplicarentur cognationes contra finem Concilii, et in hoc materia est gravis. Si autem designaretur unus tantum patrinus, nihil refert an sit diversi sexûs, ut dicunt probabiliùs *Suar. Filliuc Gobat. et Aversa* (contra *Laym.*), dum Concilium dicit, sive vir sive mulier (2).

37. — Notandum 2. non licere esse patrinos I. monachis, et monialibus, et Regularibus cujuscumque ordinis, ut declarat Rit. rom. (tit. de *Patr. in Bapt.*) cum dicatur ibi: *Admitti non debent monachi et sanctimoniales, neque alii cujusvis ordinis regulares à sæculo segregati.* Intelligitur hoc de suscipiendo non autem de baptizando. II. Vetitum est hæreticis, apostatis et infamibus. Quare peccant, qui advocant hæreticos pro patrinis suorum filiorum. Contra licitè possunt Catholici in Baptismo suscipere pueros hæreticorum, modò hâc re non probetur eorum ritus: *Laym. Croix. Gob.* (3). III. Prohibitum est conjugii esse patrinum alterius conjugis: et parentibus respectu filiorum, præterquam in necessitate. IV. Prohibitum est esse patrinos plures duobus, cum dicat Trid. Sess. 24. c. 2. de Ref.

1) *Lib.* 6. n. 154. — (2) n. 155. — (3) n. 156.

Sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una. Non est vetitum quin duo conjuges unam prolem alterius suscipiant, ut communiter DD. cum *S. Thoma* (1), qui dicit: *Nihil prohibet quin vir et uxor aliquem de sacro fonte levant* (2).

38. — Notandum 3. peccare parochum 1. si respuit patrilinos à parentibus designatos, aut admittit ab illis non electos; 2. si admittit plures quàm duos; 3. si baptizat sine patrino (3). In Baptismo privato tamen non adest obligatio adhibendi patrilinos, juxta communem sententiam; cæterum prababile est etiam in privato licitè posse adhiberi patrilinos (4).

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONE.

De materia remota 39. *An Chrisma debeat esse benedictum, et an à simplici sacerdote possit, etc.* 40. *De materia proxima, et an sit materia extensio manuum quam adhibet Episcopus, etc.* 41. *An manu dexterá, aut instrumento, etc.* 42. *De forma* 43. *De ministro.* *An possit esse simplex sacerdos* 44. *Quid si exterus sit chrismandus* 45. *De obligatione ministrandi Confirmationem* 46. *De obligatione eam suscipiendi* 47. *An qui suscipit Ordines, etc.* 48. *An amantibus et infantibus, etc.* 49. *De cæremoniis* 50. *De patrilinis* 51. *De aliis cæremoniis* 52. *De effectibus Confirmationis* 53.

39. — FIDE tenemus Confirmationem verum esse Sacramentum. ut habetur ex Decreto Eugenii IV. in instructione ad Armenos, et in Trident. *Sess. 7. c. 1.* Et hoc probatur ex traditione Patrum. Dicimus nunc hoc quod refert scire circa materiam, formam, ministrum, necessitatem, et cæremonias hujus Sacramenti. Et 1. de *materia*. *Materia remota* Confirmationis est chrisma ex balsamo et oleo confectum per Episcopi benedictionem, ad differentiam olei Baptismi, et infirmorum, ut distinxit Innoc. III. in *cap. Cùm venisset, de Sacr. Unct.* An autem unum oleum istorum sit materia valida pro alio Sacramento, negant *Suar. Laym. et Henrig.* Sed probabilius affirmant *Bell. Castr. Bonac. et Barb.* (5). Non dubitatur autem quin de Sacramenti necessitate oleum necessarium sit. Balsamum certum est requiri de necessitate præcepti: sed an sit necessarium pro Sacramenti valore, probabiliter negant *Sot, Nav. Juven. Cont. Tourn. ex c. Pastoralis, de Sacramentis non iter.*, ubi Innoc. III. interrogatus an valeret chrismatio cum solo oleo collata, respondit: *Nihil*

(1) *In 4. d. 42. q. 1. ar. 3 q. 2. ad. 4.* — (2) *Lib. 6. n. 157.* 3) *Lib. 6. n. 154. v.* Sed notand. — (4) *n. 158.* — (5) *n. 162.*

esse iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerit prætermissum. Probabiliùs tamen et communiùs affirmant Bellarm. Gonet. Petrocor. Conc. et alii cum S. Thoma (1), et cum Catechism. rom. part. 1. n. 7. Et probatur 1. cit. cap. unic. de Sacr. Unct., ubi Pontifex appellat hoc Sacramentum *chrismationem*, non certè aliâ ratione quàm propter chrisma, quod ex oleo et balsamo conficitur. Probat præterea ex Decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino, ubi dictum fuit materiam Confirmationis esse *chrisma* confectum *ex oleo et balsamo*. Opponit Habert hoc Decretum non fuisse Concilii, dùm emanatum fuit, soluto Concilio, propter Græcorum discessum. Sed respondet Petrocorens. 1. Ipsos Græcos consensisse, ut Concilium continuaretur, ut ad Ecclesiam etiam Armeni unirentur; 2. tale Decretum fuisse receptum ab omnibus Ecclesiis catholicis. Sed nos meliùs respondemus, dicendo, Papâ dogmata docente et uti Ecclesiæ doctore loquente, omnes ejus definitiones ex se esse infallibiles, ut fusiùs in Opere L. 1, ex n. 110. et seqq. Respondetur autem ad textum oppositum quòd in tantùm Papa dixit *nihil iterandum*, quia, ut dicit Glossa: *Non dicitur iteratum, quod priùs actum non fuit*. Cæterùm prima opinio probabilis est, ut videre est in Decr. S. C. Conc. apud P. Ferraris, (2). cùm sit certum Confirmationem sine balsamo saltem esse dubiam, adeòque sub conditione saltem repetendam. Sufficit autem balsamum cujuscumque regionis (3).

40. — Chrisma debet esse ab Episcopo benedictum necessitate præcepti: sed dubitatur an etiam ex necessitate Sacramenti? Affirmant Conc. Petrocor. Salm. cum S. Thom. (4) ex citato Decreto Eugenii, ubi dicitur quòd materia Confirmationis *est chrisma ab Episcopo benedictum*. Sed speculativè loquendo, est probabilis sententia negativa Cajet. Barbos. Got. Juven. Tourn., etc. quia, sicut Papa confirmandi facultatem simplici sacerdoti committere potest (ut dicemus n. 44.), ita potest etiam facultatem chrismatis benedicendi impertiri; Decretum autem Eugenii nihil præter præcepti necessitatem probat. Dictum est *speculativè loquendo*, quia in praxi, cùm de Sacramenti valore agatur, prima tenenda est (5). Præceptum autem grave est ex can. *Litteris de consecr. distinct. 3.* non esse utendum chrismate anno elapso benedicto. Sed in hoc Ecclesiæ præcepto potest Papa dispensare, ut de facto Papa Benedictus

(1) 3. p. j. 72. a. 2. — (2) Ferrar. Bibliot. v. Confirmatio art. 1. n. 10. — (3) Lib. 6. n. 162. — (4) 3. part. quæst. 72. a. 3. — (5) Lib. 6. n. 163.

XIV. in *Const.* 10. *Cùm ad infrascriptam*, die 9. januarii 1741. dispensavit (1). Quare non dubitatur, quin Confirmatio veteri chrismate collata sit valida (2).

41. — *Materia proxima* Confirmationis requirit 1. Unctionem in fronte, 2. in formâ crucis, 3. manu ministri; et hæc tria sunt omnia de Sacramenti essentia, ut communiter docent DD. (3). Sed cum in Pontificali dicatur ut Episcopus antequam ungat, dicere debeat orationem, *extensis manibus versùs confirmandos*, volunt multi auctores moderni, *Merbes. Tourn. Gonet, Juvenin. Conc. Got.*, etc. talem extensionem esse de Sacramenti valore, ex eo quod legitur Actorum c. 8. 12. *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*. Sed communiùs hoc negant *Suar. Laym. Petrocor. Frassen. Antoine, Holzm. Viva, Croix* et alii cum P. Berti, qui fusè hanc nostram tuetur sententiam (4). Et dicimus sufficere extensionem manuum quam adhibet Episcopus in ungendero chrismando. Et hoc probatur ex Decreto Eugenii, ubi dicitur: *loco illius manus impositionis dari in Ecclesia Confirmationem*; et clariùs in *cap. unic. §. Per frontis, de Sacr. Unct.*, ubi Pontifex dixit: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine Confirmatio dicitur*. Igitur Papa pro certo habet in eadem chrismatione haberi jam manuum impositionem. Pontificale enim non dicit, *super confirmandos*, ut dicturus fuisset, si per hoc intellexisset loqui de impositione: prout dicit loquendo de Ordinatione, *tam Pontifex*, quam sacerdotes tenent manus dexteris extensas super illos; sed dicendo *versùs confirmandos*, nihil aliud denotat quam consuetam cæremoniam, quam præcipit Ecclesia suis ministris in dicendis orationibus; nam manus extendere idem est ac eas aperire, et sursùm elevare. Undè dignoscitur sententia opposita valido carere fundamento; ideòque dico dumtaxat tanquam tutam esse consulendam. Episcopus qui vellet eam in praxim producere, potest (ut advertit *Habert*) in diversas classes confirmandos distribuere, et indè super singulas classes præfatam orationem præmittere (5).

42. — Episcopus ungere debet pollice manûs dextræ; quare peccaret, si ungeret illo sinistræ; et ex communiiori graviter; sed *Escob. Trullench. Nugnez, Dic. Aver. Diana*, et *Tamb.* ut probabile habent hoc non excedere

(1) *Bullar. edit. Mechl. tom. 1. pag. 54.* — (2) *Lib. 6. n. 163. ad 5.* — (3) *n. 164.* — (4) *Berti de Theol. disc. l. 32. c. 4. resp. ad 1.* — (5) *Lib. 9. n. 164.*

veniale, et reverà non constat hanc cæremoniam esse gravem. Quare probabiliter dicunt præfati AA. quòd licitè confirmaret Episcopus sinistra, si dextrà confirmare non posset (1). Opinio autem nonnullorum posse dari Confirmationem (sicut potest Extrema-Unctio) medio aliquo instrumento, meritò communi sententià repudiata est. Quia tunc deesset manûs impositio, quæ cæteroquin non est necessaria in Extrema-Unctione. Quoad quantitatem autem chrismatis sufficit illa, quæ satis est ad ungendam frontem in forma crucis; ita *Suarez, Castr. Bonac. et Salm.* (2).

43. — II. Circa *formam*, quæ sit, quatuor adsunt sententiæ. 1. Illi qui volunt solam manuum extensionem Episcopi quæ unctionem præcedit, esse unicam Confirmationis materiam, dicunt solam orationem ab Episcopo tunc recitatam esse formam. 2. Alii autem, qui volunt tam primam manuum impositionem quàm ipsam unctionem esse materias partiales, dicunt formam constare tam ex præfata oratione, quàm ex verbis quæ dicit Episcopus in ipsa unctione: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis; In nomine Patris*, etc. 3. Alii volunt materias esse partiales (ut dictum est), formam verò esse unam, nempe illam quæ dicitur in unctione. 4. Alii denique, qui cum vera sententia tenent materiam totalem esse unctionem, quæ manuum impositionem (ut diximus) secum involvit, dicunt rectè totalem formam esse verba, *Signo te*, etc. quæ illam concomitantur; ita communiter DD. cum S. *Thoma* (3), et cum *Catech. rom. de Confirmatione part. 2. n. IX.* ubi dicitur quòd *Catholicæ Ecclesiæ auctoritas.... non patitur nos ea de re quidquam dubitare.* Et ita reverà declaravit *Eugenius IV.* qui in præfato Decreto dixit: *Forma autem est: Signo te signo Crucis*, etc. (4). Explicat autem *Angelicus* (5) quòd per tò *Signo te*, significatur confirmatus notari in Christi militiam. Per tò *Confirmo* denotari illum virtutem ad præliandum recipere. Per tò denique *In nomine Patris*, denotari à quo hanc accipiat virtutem; itaque sunt de essentia verba *Signo te, Confirmo te*, et *In nomine Patris*, etc. (6). Alia verò est forma Græcorum, *Signaculum doni Spiritûs sancti*; quæ etiam est valida, ut declaravit *Urbanus VIII.* (7).

44. — III. Circa ministrum Confirmationis, certum est solum Episcopum esse hujus Sacramenti ministrum ordi-

(1) N. 165. — (2) n. 166. v. Dicunt. — (3) In 4. d. 7. q. 1 a 3. solut. q. 2. — L. (3) 6. 167. — (5) 3. p. q. 72. a. 4. — (6) L. 6. n. 168. — (7) n. 169.

narium, ut declaravit Trident. (Sess. 7. Can. 3.) : *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit*; sed ex Pontificis concessione, certum quoque est posse esse Confirmationis ministrum simplicem sacerdotem, ut declaravit Benedictus XIV. in sua Constit. *Eo quamvis* 4. Maji 1745. Et antea Eugenius IV. et S. Gregorius Magnus hæc fuerunt potestate usi (1). An autem etiam Episcopi simplici sacerdoti, ut Confirmationem ministret, delegare possint, dicit idem Benedictus in celebri opere de *Synod.* (2) magnam hanc esse quæstionem, pro qua validæ militant rationes ad utriusque partis probationem; sed rectè indè concludit, hodiè talem facultatem summo Pontifici soli, tam consuetudine, quàm Nicolai I. reservatione expressè factâ (*Epist.* 70.) esse reservatam. Et licèt confirmare sit actus episcopalis Ordinis, cujus valor à Pontificis arbitrio non dependet, nihilominus hujus actûs exercitium delegare non ad Ordinem spectare, sed ad jurisdictionem, quæ benè potest à Papa limitari, sicut reverà limitatur Episcopis facultas dispensandi in quinque votis Sede apostolicæ reservatis.

45. — Notandum hîc 1. Episcopum confirmantem in alterius Diœcesi subditos non suos graviter peccare, et suspensionem à Pontificalibus incurrere, etiamsi ille confirmaret subditos suos, ut declaravit S. C., et Trident. Sess. 6. c. 5. Sed si in sua diœcesi confirmaret subditos alterius, per se esset illicitum; sed in hoc præsumitur (juxta usum communiter receptum) consensus interpretativus aliorum Episcoporum, modò non constaret de contraria voluntate alicujus; ita *Castrop. Laym. Salm. Sa, Croix*, etc.: tantò magis hoc currit si Episcopus confirmare deberet Ordinandum, qui cum dimissoriis ipsius Ordinarii ad se venit; quia tunc præsumitur ejus consensus etiam de præsentî, ut communiter præfati auctores cum aliis (3).

46. — Notandum 2. graviter peccare Episcopum (juxta communem sententiam), qui negligit Confirmationem suis subditis diù conferre, v. gr. ad octo aut decem annos, ut dicunt *La-Croix* et *Dicast.*; quapropter tenetur Episcopus Diœcesim circumire, saltem per oppida Diœcesis principaliora; modo non sit moraliter ad hoc impossibilitatus; et suis expensis, nisi adsit justa consuetudo in contrarium: *Castropal.* et *Salmant.* Dicit *Bonac.* Episcopum teneri confirmare etiam moribundos qui eum de hoc ef-

(1) N. 170 — (2) L. 7. c. 8. n. 3. — (3) Lib. 6 n. 171. et. 172.

flagitant ; sed probabiliter ab hac obligatione eum excusant *Lugo*, *Escob. Croix*, *Salm.*, etc. tam propter grave incommodum quod adesset, quàm propter usum qui contrarius inolevit (1).

47. — IV. Circa necessitatem hujus Sacramenti, alii dicunt quòd quilibet, ut confirmetur, sub gravi curare tenetur, quia secùs sibi magni damni causa esset se privando robore ad tentationibus resistendum, quod hoc Sacramentum confert; ita *S. Bonaventura*, *Merbes. Tourn. Conc. Habert*, etc. Sed hoc grave onus negant multò comuniùs *Sot. Navar. Suar. Laym. Fras. Wig. Castrop. Bonac. Anacl. Salm. Croix*, etc. quia de hoc gravi præcepto sine naturali, sive positivo non constat. Idem sentit *Scotus* (2) qui loquendo de Extrema-Uncione et Confirmatione dicit: *Neutrum est simpliciter necessarium, nec est præceptum de isto vel illo recipiendo*. Idem sentit *S. Thomas* (3), qui dicit Confirmationem esse necessarium, non jam ad salutem, sed ad salutis perfectionem; alibi postea (4) expressè affirmat sine hoc Sacramento ex vita discedere periculum esse, *non quia damnaretur* (nisi fortè propter contemptum), *sed quia detrimentum salutis pateretur*. Et idem denique sentire videtur *Catech. rom. p. 2. de Confirm. n. XIV.* dicendo ibi quòd *Ecclesia optat* ut omnes baptizati hoc muniantur Sacramento: desiderium Ecclesiæ utique non est præceptum. Sed prima sententia omninò est tenenda, utpote decisa à *Benedicto XIV. in Bulla Etsi pastoralis, de Ritibus et Dogmatibus Græcorum*, 1742. (§, III. nu. IV.) hæc habentur: *Monendi sunt* (qui non sunt confirmati) *ab Ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt*.

48. — Dicunt autem *Bonacina*, *Toletus*, *Renzi*, etc. graviter peccare qui primâ Tonsurâ, non confirmati, inicianitur, quia Trident. *Sess. 23. c. 4.* sic dicit: *Primâ Tonsurâ non inicianitur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*. Et *Renzi* affert quamdam declarationem *S. C. die 27. Sept. 1621.* apud *Nicolaum*, ubi dictum fuit tonsuratum, non susceptâ Confirmatione, ut malè promotum non posse ad alios Ordines ascendere, nec beneficia recipere sine Pontificis dispensatione. Sed communissimè negant *Sot. Castr. Azor. Escob. Valent. Salmant. et Cabass. cum Nav. Suar. Coninch. Victor.*, etc. qui dicunt idem de

(1) N. 175. — (2) in 4. d. 17. q. 1. a. 11. — (3) in 4. d. 7. q. 1. a. 1. q. 2 — (4) 5. p. q. 72. a. 8. ad. 4.

aliis Ordinibus, et ad Concilium respondent, præcepta simpliciter modo imperativo emanata non importare gravem obligationem, nisi aliæ adsint circumstantiæ, ut dicunt *Cajet. Navar. Sa, Sayr.*, etc. et juxta dicta *Tom. I. Tr. II. num. 15. (1)*. Cæterum sufficit quod quis sit probabiliter confirmatus, ut à tali obligatione eximatur, prout *Benedictus XIV. (2)* affert declarasse Synodum Maronitarum de mandato *Gregorii XIII. congregatam*.

49. — Dicunt multi auctores, ut *Bonac. Escobar, Holzm. Salmant.*, etc. omni culpâ vacare conferre Confirmationem infantibus ante septennium, dum jam hic erat mos antiquus, et ita etiam hodie à Græcis practicatur, et, ut ait *Vivaldus*, in Hispania confirmari solent biennes, et triennes (3). At hoc nunc diei nequit, dum *Benedictus XIV. in Constit. 129. Eo quamvis, §. 6.* edita die 4. Maji an. 1745. declarat nunc temporis non licere aliquem Confirmationis Sacramento munire, nisi usum rationis attigerit: his verbis: *Nihilominus abrogato prorsus à romana Ecclesia... hujusmodi more, consultissimis SS. Pontificum Decretis cautum est ut renatis fonte Baptismatis conferretur Sacramentum Confirmationis in ea solùm ætate in qua fideles... intelligerent tantum inter se differre Baptismum, et Confirmationem, quantum distat generatio ab incremento.* Nihilominus idem *Benedictus* multis post annis, cum esset Pontifex, in suo opere de Synodo (4) dicit quod etsi Catechismus afferat non expedire ut conferatur ante septennium; non tamen vetat quin in aliquo casu conferatur pueris non natis septem annos. Et subjungit auctor quod hoc perpendentes *Sylvius, Suar. Silv. Ronc. Juvenin. Gotti* et alii affirmant licitè posse etiam juxta præsentem disciplinam Confirmationem conferre pueris ante septennium ex aliqua causa, ut putà si Episcopo per multum temporis manendum esset extra diœcesim, aut si puer esset in periculo mortis, aut alia de causa. Et de perpetuò amenitibus sermonem habens, ait absolutè posse illos Confirmationis Sacramento muniri (5).

50. — V. Denique circa cæremonias 1. requiruntur vestes sacræ, nempè (ut præscribit Pontificale) amictus super rochetto, aut supra cottam; si Episcopus est regularis: ita stola et pluviale album. Et peccaret graviter Episcopus si confirmaret sine ulla dictarum vestium, sed secùs si omitteret aliquam, ut dicunt *Spor. Renz. Tambur.* et

(1) Vide lib. 6. n. 185. — (2) de Synod. lib. 7. c. 9. n. 5. — (3) Lib. 6. n. 178. — (4) Bened. XIV, de Synod. lib. 7. c. 10. n. 5. — (5) Lib. 6. n. 180.

Diana ; item requiritur baculus , et mitra ; sed baculus sufficit ut in aliquo loco exponatur, aut ab aliquo clerico teneatur , sicut videtur designatus in figura apposita in Pontificali ; et quoad mitram , ut declaravit S. C. , sufficit ut Episcopus utatur stolâ : quare necesse non est ut adhibeat mitram (1). 2. Requiritur *cereus* , et ut Episcopus alapam post formæ prolationem det confirmato; sed harum rerum omissio non excederet veniale (2). 3. Requiritur ut ministretur in ecclesia ; sed hoc non sub gravi , ut communiter DD. (contra *Nugnez*). Imò *Suar. Bonâcin. Barb. Sa, Henriq. , etc.* (3) excusant ab omni culpa Episcopum qui in aliquo decenti loco confirmaret Hoc non obstante , ego nescirem eum excusare à veniali , nisi aliqua interveniret causa , tum ob consuetudinem quæ viget hoc Sacramentum in ecclesia ministrandi , ut concedunt etiam *Bon. et Barb. ,* cum propter id quod legitur in Pontificali : *Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die , horâ , et loco, ex causa ad arbitrium Episcopi.* Nota quòd , licèt dicatur *ad arbitrium* , requiritur *ex causa.* Semper tamen potest licèt Episcopus in domestico sacello confirmare , ut rectè dicit *Castrop.* (4). 4. Requiritur jejunium tam confirmantis , quàm confirmandi , ex *can. Jejuni , de consecr. dist. 5.* et etiam ex Pontificali , ubi dicitur : *Confirmandi deberent esse jejuni.* Sed communiter dicunt DD. hoc tamquam consilium , non ut præceptum esse ; undè invaluit usus ut hoc Sacramentum etiam post prandium conferatur ; ita *Laym. Castropal. Cons. Salmant. Cabass. Croix , etc.* et ita pariter juxta consuetudinem licitum est hodie hoc administrare quolibet die , sive festivo , sive feriali ; *Suar. Granad. Busemb. Salm. , etc.* (5).

51. — Requiritur 5. patrinus à parentibus pueri , aut in eorum defectu ab Episcopo designandus ; et hoc proculdubio sub gravi , quoties haberi potest ; sed si unquam haberi non posset , dicunt *Holz. Gobat. et Illsung.* licèt posse conferri Confirmationem sine patrinis. Hinc patrinus 1. debet esse unicus , ut communiter sentiunt *Castropal. Bonac. Rebell. Salm. et Busemb.* (contra *Toletum* qui admittit duos) dum ita decretum est in *cap. fin. de cogn. spir.* Verum est ibi hoc statutum fuisse tam pro Confirmatione , quàm pro Baptismo , sed Tridentinum quoad

(1) *Lib. 6. n. 184.* — (2) *Ibid. v. Notand. II.* — (3) *Barbos. de Pot. Episc. 2. p. All. 50. n. 15. et Salm. Tract. 3. c. 4. n. 32.* — (4) *Lib. 6. n. 184. v. Notand. III.* — (5) *Ibid. Notand. IV.*

Baptismum permisit duos, non autem quoad Confirmationem, hinc firmum restat quoad hoc jus antiquum. 2. Hinc patrinus debet esse prius confirmatus, ut præscribitur in *c. In Baptismate*, 102. d. 4. cum ibi dicatur: *In Baptismate, vel Chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est baptizatus, vel confirmatus*. Et in Pontificali dicitur: *Nullus qui non est confirmatus potest esse in Confirmatione patrinus* (1). Et hoc etiam sub gravi præcepto, cum gravis sit materia, ut rectè dicit *Conc. cum communi* (2). Si autem susciperet in Confirmatione patrinus non confirmatus, dicunt *Sot. Navar. Sa*, et alii etiam eum cognationem contrahere, afferentes verba cit. *non potest* textûs relati non denotare actûs validitatem, sed solùm prohibitionem; et hæc opinio rectè probabilis nuncupatur à *Salm. et Croix*. Sed probabilius negat *Glossa* in præfatum textum *Suar. Tol. Sanch. Bonac. Renz.* et alii multi; et *Renzi* adducit etiam declarationem S. C. Conc.; nam, ut probat *Sanch.* verbum *non potest*, in eo casu reddit omninò actum irritum (3). 3. Patrinus in Confirmatione debet esse alius à patrino Baptismi juxta communem sententiam; excipit *La Croix* cum *Silv. et Syn. Colon.* nisi adsit causa in contrarium. 4. In Confirmatione juxta Pontificale debet esse ejusdem sexûs confirmandi. 5. Patrinus non debet esse Religiosus, ut dicunt *Sanch. Bonac. Salm.* et alii communiter, *can. Monachi 104. de consecrat. dist. 4.* ubi dicitur: *Monachi sibi compatres commatresve non faciant*. Excipiunt *Castrop. Barb. Gobat. Spor.*, etc. si confirmandus esset etiam Religiosus; excipiunt etiam *Suar. Dicast.*, etc. si patrinus esset de ordine Mendicantium; sed meritò contradicit *P. Concina*, dum, ut relatum est *n. 37*, jam hoc vetitum est in Ritual. cuilibet Regulari esse patrinum, verum est quòd ibi loquitur de Baptismo, sed eadem ratio currit pro Confirmatione; et ut diximus *Tom. I. Tract. II. n. 78.* in æquivocis lex utique extenditur de casu ad casum, in quo ita lex eadem currit, ut si lex non extenderetur, legislator aut pro injusto, aut imprudenti culparetur. Quoad modum suscipiendi in Confirmatione, juxta Pontificale deberet confirmandus mittere pedem super pedem dexterum patrini; sed rectè dicit *P. Concina* quòd hodie ex consuetudine recepta et approbata à S. C. Rituum 20. Septemb. 1749. sufficit ut patrinus imponat manum dexteram super humerum dexterum confirmandi (4).

52. — Requiritur 6. ex Pontificali ut post unctionem frons

(1) *Lib. 6. n. 185.* — (2) *n. 186.* — (3) *Ibid. Dubit. 2.* — (4) *Lib. 6. n. 187.*

confirmati vittâ aliquâ lineâ cingatur ; sed hodie hæc cæ-
 remonia in nostris regionibus obsolevit , dùm , factâ un-
 ctione , statim confirmati frons abstergitur et dimittitur
 ipse. 7. Parochus confirmatorum , et patrinorum in libro
 adnotare debet nomina , ut cognatio contracta sciri possit ,
 tùm ob Ordinum susceptionem. Dicunt *Barb.* et alii quòd
 in Confirmatione possit mutari nomen. Episcopus , termi-
 natâ functione , benedicit confirmatis , ideòque eos , dùm
 confirmat , admonet ne ante benedictionem discedant : sed
 probabiliter ait *Tambur.* hæc admonitionem non obligare ;
 et reverà (ut dicit *Croix*) hæc est praxis ut confirmati , sus-
 cepto Sacramento , discedant , nec Episcopi eos obligant
 ad expectandum (1).

53. — Effectus autem hujus Sacramenti sunt tres ; 1. Cha-
 racter ; 2. gratia , nempe robur spirituale quod recipitur ad
 debellandos inimicos ; 3. cognatio spiritualis quæ contrahi-
 tur inter confirmatum et patrinum qui eum suscipit , ac
 inter eum et parentes confirmati (2).

TRACTATUS XV.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

CAPUT I.

DE ESSENTIA EUCHARISTIÆ.

In quo consistat essentia Eucharistiæ , et in quo ratio specifica :
et undè desumatur unitas 1. *An sit necessaria necessitate medii*
 2. *An consecratio in unica specie sit illicita et invalida. Non li-*
cet consecrare in una specie tantùm 3. *Casus excepti* 4. *Effectus*
Eucharistiæ 5. *An quamdiù durant species , etc.* 6. *Qui communi-*
cat cum veniali 7. De cæteris agetur in appendice III. de examine
 Ordinand. §. II, de Sacrif. Missæ , ex n. 95. et seqq.

1. — DEFINITUR Eucharistia : *Est sacramentum corporis*
et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritua-
lem animæ refectionem divinitùs institutum. A Scholasticis
 circa Eucharistiæ Sacramentum multæ agitantur quæstiones.
 De istis fusiùs in Opere disseruimus ; hìc tantùm eas annui-
 mus. Quæritur 1. in quo consistat Eucharistiæ essentia ?

(1) N. 188. -- (2) n. 169. v. Tres autem.

Alii dicunt in *recto* consistere in panis et vini speciebus , et Jesu Christi personam tantùm in *obliquo* ad Sacramentum spectare , tanquam quid extrinsecè connotatum. Alii dicunt in *recto* sive essentialiter consistere tam in speciebus quàm in Christi corpore. Utraque sententia est probabilis , observa rationes (1). Quæritur 2. an tota *ratio specifica* hujus Sacramenti in alterutra specie salvare possit? Alii affirmant ; sed probabiliùs est illam non salvari nisi in utrâque , dùm in alterutra (per se loquendo) non potest significari completa refectio cibi et potûs (2). Quæritur 3. undè desumatur unitas numerica Sacramenti Eucharistiæ? Alii dicunt ex unitate corporis Christi ; sed alii probabiliter tenent desumi ex morali conjunctione , quam species consecratæ habent inter se , cùm per modum unius proponuntur aut sumuntur (3) ; sed cùm proponuntur in diversis altaribus , aut recipiuntur à diversis personis , sunt diversa Sacramenta (4).

2 — Quæritur 4. an Eucharistia sit necessaria necessitate medii , an præcepti ad salutem? Non dubitatur quin necessaria sit necessitate præcepti cùm ecclesiastici , tum divini , ut habetur apud S. Lucam (c. 22. 19.) : *Hoc facite in meam commemorationem*. Contrà etiam pro comperto est apud omnes , Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii quoad realem perceptionem. Dubium itaque restat in hoc , an necessaria sit necessitate medii , saltem in *voto* , nimirùm desiderio? Negant S. Bonav. Suar. Cajet., etc. asserentes hoc Sacramentum non esse institutum ad primam gratiam producendam. Sed probabiliùs affirmant S. Thomas (5) , Sotus , Conc. Salmant., etc. ; tum ex textu S. Joannis : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,.... non habebitis vitam in vobis*, c. 6. 54. tum quia Eucharistia est finis omnium Sacramentorum; undè ait Angelicus neminem gratiam habere ante susceptionem hujus Sacramenti , nisi ex voto proprio , ut sicut adulti habent dùm baptizantur , vel Pœnitentiæ Sacramentum suscipiunt : vel voto Ecclesiæ , sicut parvuli habent (6). Non est dubitandum quin Eucharistiæ perceptio sive in re , sive saltem in voto necessaria sit ad vitæ spiritualis conservationem ; ita communiter docent Sot. Gonzal. et Salmant. , cum eodem S. Thoma (7) ; quia sicut corporis vita sine materiali cibo conservari nequit , ita nec vita animæ sine spirituali. Hinc dicunt Lugo , P. Sotus ; Vall. Fill. Salm. , etc. licèt præce-

(1) *Lib. 6. n. 186.* — (2) *n. 191.* — (3) *Lib. 6. n. 191.* Quær. 2. (4) *Ibid. v. Quoad.* — (5) 3. p. q. 79. a. 1. — 1 ad. 1. — (6) *Lib. 6. n. 192.* — (7) 3. p. q. 80. a. 11. ad. 2.

ptum imponat tantum ut saltem semel in anno communicent, attamen aliquando hominem posse obligari ad sæpius in anno communicandum, cum nosceret hoc sibi fore necessarium, ut in divina gratia conservetur (1).

3. — Materia Eucharistiæ est tam panis, quam vinum, et nunquam fas est quacumque ex causa alterutram speciem consecrare, ut habetur ex *can. Conferimus, dist. 2. de cons.*; et ex Tridentino *Sess. 22. c. 1.* ubi dicitur Jesus Christus præcepisse apostolis ne aliter se ipsum offerrent, quam sub utraque specie; ex quo infertur proculdubio, hoc præceptum non solum esse ecclesiasticum, sed etiam divinum, ut docet communis sententia (2). Et dicimus in hujusmodi præcepto non posse Papam dispensare (3), dum valde probabile est non fieri Sacramentum nisi in Sacrificio, in quo conficiendo (ex vera sententia) necessaria est utriusque speciei consecratio, quia aliàs non exprimeretur sanguinis effusio, et consequenter non satis exprimeretur Crucis Sacrificium, in cujus memoriam Salvator noster altaris Sacramentum reliquit, ut loquitur *Trid. Sess. 22. cap. 1.* (4). Nec est improbabilis sententia *Card. de Lugo*, (contra opinionem aliorum DD., cæteroquin communiorem) qui dicit quod si sacerdos intenderet unam tantum speciem consecrare, invalidè ageret; quia Sacramenti ratio secerni non potest à ratione Sacrificii, cum sacerdos non recipiat potestatem hoc Sacramentum conficiendi, nisi sacrificando, ut satis constat ex forma Ordinationis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, etc.* Itaque, sicut diximus, consecratio utriusque speciei non solum ad Sacrificii essentiam pertinet, sed etiam Sacramenti; hinc qui Sacrificium non offert, nec Sacramentum conficit (5).

4. — Cæterum potest dari casus, ut certè sit valida et etiam licita per accidens consecratio alterius speciei, quin consecretur altera, v. g. si sacerdos tempore consecrationis adverteret consecrasse aquam pro vino, aut si aliud vinum haberi non possit, aut non possit haberi sine gravi periculo vitæ aut gravis scandali: item si, consecratâ Hostiâ, immineret incendium, aut inimicorum invasio: ita *Suar. Azor. Bonac. Salm. Busemb.* et alii communiter (6).

5. — Effectus Eucharistiæ sunt I. augmentum gratiæ (et hic effectus est principalis) ut habetur ex *Trident. Sess. 13. cap. 2.* et aliquando per accidens etiam est primæ gratiæ acquisitio, nempe cum quis inscius peccati morta-

(1) *Lib. 6. n. 193. et 295.* — (2) *Lib. 6. n. 196.* — (3) *Ibid. Dubit. 2.* — (4) *n. 356.* — (5) *n. 196. Dubit. 3.* — (6) *n. 197.*

lis, aut putans se habere contritionem, accedit ad Communionem cum sola attritione: ita S. Thomas (1), Scotus, Suar. Tolet. Ronc. Salm. Et alii communiter (2). Ratio est quia proprium est uniuscujusque Sacramenti gratiam conferre omnibus obicem non ponentibus; et habens attritionem jam obicem gratiæ non ponit, dum quantum in se est, removet affectum tam actuale, quam habituale ad peccatum (3). II. Remissio venialium, ut docent omnes cum S. Thoma (4), juxta Tridentinum loco cit. ubi Eucharistia appellatur *antidotum quo liberamur à culpis venialibus, et à peccatis mortalibus præservamur*. Putant autem Salm. cum aliis Communionem ex se delere venialia ex opere operato per gratiæ infusionem (ut dicunt) quæ anima reticetur. Sed melius ait Tournely, Sacramentum non immediatè ex se, sed mediante actu charitatis quem in anima excitat, delere venialia; hoc sentit etiam Angelicus loco cit., dum dicit: *Quantum ad actum qui excitatur in hoc Sacramento, per quem peccata venialia solvuntur* (5). III. Præservatio à peccatis mortalibus ob auxilium quod præbet Sacramentum ad compescendam concupiscentiam, ad resistendum tentationibus, ad incedendum per Domini semitas. IV. Remissio poenæ temporalis debitæ pro peccatis commissis, non jam directè, sed indirectè, mediàntibus charitatis actibus quos in anima excitat hoc Sacramentum; ita S. Thomas (6), Salm. Conc., etc. V. Dulcedo spiritualis, nempe facilitas in exequendis iis quæ Deo placent. VI. Unio cum Jesu Christo; Joan. 6. 57. *qui manducat meam carnem.... in me manet, et ego in illo*. VII. Acquisitio gloriæ. Ibid. 59. *qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (7).

6. — Notandum hic valdè probabile esse, quandiù speciès sacramentales in stomacho durant, super ampliùs augeri gratiam, ut tenent Gonet, Becan. Lugo, Tourn. Juvenin. Holzm. Regin. Mastrius; et Salm. dicunt hoc Sacramentum cum institutum sit per modum cibi, ut loquitur Conc. Florentinum, ideòque sicut cibus corpus nutrit usque dum in stomacho persistit, ita Eucharistià nutrit animam quamdiù in corpore persistit (8). Notandum præterea ex Decrèto S. C. approbato ab Innoc. XI. damnatum fuisse abusum dandi plures simul particulas communicantibus, aut particulas majores usualibus (9).

(1) 3. p. q. 72. a. 7. ad. 2. et q. 79. a. 3. — (2) Lib. 6. n. 969 — (3) n. 6. — (4) 5. p. q. 79. a. 4. — (5) Lib. 6. n. 269. r. Effectus. III. — 6 3. p. q. 79. art. 5. — L. 6 n. (7) 269. v. Effectus. III. ad. V. — (8) Ibid. in fine et n. 228. — (9) Lib. 6. n. 238. in fine.

7. — Quæritur hîc an peccet venialiter qui communicat cum veniali actuali ? In hoc diversæ sententiæ adsunt , sed præ cæteris mihi arridet sententia quam tenent *Vasq. Fill. Hurtad. Ledesm. Sa, Leandr.*, et probabilis appellata à *Dicast. et Tambur.* (1), quæ sic distinguit : Si culpa directè est circa Communionem , v. g. si quis ex vana gloria, aut cum voluntaria distractione communicat , tunc nemo dubitat quin venialiter peccet , quia talis culpa est positiva irreverentia in Sacramentum ; licèt , ut ait *S. Thomas* (2), talis culpa impediret quominùs animæ spiritualis refectio reciperetur , non autem gratiæ aut charitatis augmentum. Si autem peccatum veniale non est circa Communionem , v. g. si quis communicaret cum affectu actuali ad aliquod veniale , tunc non peccat , quia tunc (ut dicunt communiter DD.) non impedit effectum principalem Sacramenti , nec auxilium quo præservetur à mortali : cum ex una parte veniale non opponatur gratiæ , et ex altera cum tali culpa communicare est potiùs perfectæ reverentiæ carentia , quàm positiva irreverentia (3).

Cætera ad materiam et formam Eucharistiæ pertinentia, notantur in *appendice III. de examine Ordinand.* §. II. de *Sacrif. Missæ, ex n. 97. ad 101.*

CAPUT II.

DE ADMINISTRATIONE EUCHARISTIÆ.

Quomodo tenentur parochi servare Eucharistiam , et ad eam dispensandam. An regularis , et quilibet sacerdos possit Communionem ministrare 8. Et an diaconi 9. An Viaticum possit in necessitate administrari à clericis , et etiam à laicis , et an à seipsis , etc. 10. An sacerdos ex devotione possit communicare ex se ipso 11. Quomodo debeat , et possit dari Viaticum 12. An possit dari digitis posterioribus Viaticum ; et an Communio 13. An in utraque specie ; et an pars Hostiæ majoris. An puris et ammentibus 14. An peccatoribus publicis ; et an condemnatis. 15. An in Missa defunctorum 16. In qua hora potest dari Communio 17. Si remanent fragmenta 18.

8. — VIDEAMUS cuinam licet Eucharistiam ministrare, et quid requiratur ut licitè ministretur. Quoad primum punctum, sicut soli sacerdotes possunt hoc Sacramentum consecrare , ut est de Fide (juxta Trident. Sess. 22. can 1.), ita solis sacerdotibus illius dispensatio concessa est. Et in

(1) *Tamb. in Mel. commun. c. 1. §. 4. n. 9.* — (2) *3. p. q. 79. a. 8.* — (3) *Lib. 6. u. 270. Quær. 1.*

rigore loquendo, Communionem dispensare solius pastoris est, qui ideò tenetur curare ut Eucharistia perpetuò in suis ecclesiis et cum debito decore conservetur, nempe in tabernaculo decenti, et cum lumine semper die et nocte accenso, et quidem sub culpa gravi; attamen si lumen deficeret per unam tantum horam, putant *Diana* et *Quintanadvennas*, non esse grave. Tenentur autem iidem eam ministrare non solum moribundis, sed etiam sanis, quoties rationabiliter et opportunè requisiti sunt, ut dicunt communiter *Sot.*, *Suar.*, *Vasq.*, *Castrop.*, *Filiuc.*, *Azor.*, *Dicast.*, *Busemb.*, *Salmant.*, etc. (1) Cæterum cum Communio non fit nec ob paschale præceptum, nec ob viaticum, Religiosi vi suorum privilegiorum possunt in suis ecclesiis Eucharistiam ministrare, et hodie (ut rectè testantur *Castropal.* et *Roncagl.*) ex communi consuetudine quæ adest, præsumitur cuilibet sacerdoti celebranti talis facultas concessa (2).

9. — Diaconi tamen non possunt dispensare Eucharistiam sine speciali commissione Episcopi, aut parochi, aliàs incurrunnt irregularitatem, ut habetur ex *cap. I. de Cler. non ordinato* (3). Antiquitus solebat universaliter committi diaconis Eucharistiæ administratio, sed hodie non est permissum, nisi in necessitatis casu, ex *can. 39. Carthaginensis IV.* ubi dictum fuit: *Si necessitas cogat*, etc., quæ autem debeat esse talis necessitas, *Habert* et *Tournely* requirunt extremam; sed communiter *Suar.*, *Laym.*, *Castr.*, *Lugo.*, *Conc. Salm.*, etc. dicunt sufficere quamcumque necessitatem notabilem, aut causam justam, ut loquitur *P. Concina*, v. g. si parochus sit occupatus in aliquo magno festo, aut numerus communicantium sit magnus, etc. Diaconus autem, Eucharistiam ministrans, debet esse indutus cottâ et stolâ transversâ (4).

10. — Quando autem urgeret ministrare Viaticum infirmo, et deesset parochus, potest illud præbere quilibet sacerdos et etiam diaconus, licet repugnaret parochus, si irrationabiliter repugnaret; ita *Tol. Sa*, *Dicast.*, *Ronc. Salm.*, *Laym.*, *Sot.*, etc. communiter (5). Imò in ea necessitate volunt *Suar.*, *Val.*, *Cajet.*, *Fill.*, *Escob.* (et probabile dicunt *Lug.* et *Coninch.* contra *Gonet*, *Bonac.*, *Salmant.* et alios, quorum sententia cæteroquin est communior) etiam à simplici clerico posse ministrari, ac etiam laicum posse suis manibus communicare; quia tunc ex una parte jam

(1) *Lib. 6. n. 230. et 248.* — (2) *n. 235.* — (3) *Lib. 6. n. 254.* — (4) *n. 257.*
 (5) *n. 234.*

urget præceptum divinum communicandi; et ex alia parte nullum reperitur præceptum expressum id prohibens; et antiquitus si ob necessitatem, quæ aderat, fideles in domos suas Sacramentum afferebant, et ibi communicabant, cur ergò nunc, majore urgente necessitate, præcùt est mortis, id permitti non potest (1)? Verum tamen est præfatos auctores id permittere, cum sine scandalo fieri potest; sed ego dico hoc scandalum, aut potius admirationem, de facili posse tolli, [circumstantes admonendo quòd in tali necessitate id permittitur à theologis. Et ita pariter præfati auctores (contra alios) permittunt laïcis in sacerdotum aut diaconorum defectum, ministrare Viaticum moribundis. Nec obstat textus *c. Pervenit 29. de consecratione, dist. 2.*, ubi sacerdotibus interdicitur committere laïcis Eucharistiæ administrationem. quia ibi sermo fit de sacerdote qui id agebat præter necessitatem. Nec debet quidem obstare (ut dicunt) consuetudo contraria, quia cum hic casus rarissimè accidit, non potest in probationem hujus rei consuetudo contraria adduci; et huic opinioni valdè adhæret *Laym.* Dicit *Habert* hoc permitti laïcis saltem cum licentia Episcopi (2). An autem tempore pestis teneatur parochus Communionem administrare, vide dicta *Tom. I. Tract. VII. n. 28.*

12. — Probabile est quòd extra mortis periculum, si non adest scandalum, et deest alius sacerdos, benè possunt sacerdotes ex seipsis communicare, etiam ob solam devotionem, ut fatentur *Sylvius, Lug. Eonac., Croix,* et *Salm.*; nam in hoc nulla intervenit irreverentia, nec de aliquo contrario præcepto constat. Imò *Vasquez, Dicast.* et *Leand.* id concedunt etiam diaconis, cum hoc eis aliquando fuerit concessum à Concil. Nicæno *Can. 14.* (3). Quoad autem Regulares, quomodo et quando possint Eucharistiam ministrare, vide quod dicitur *Tract. XX. de Privileg. num. 123.* Et ubi in Paschate communicare possint famuli monasteriorum regularium, peregrini, et vagi, vide *Tom. I. Tract. XII. n. 42.*

12. — Videamus nunc secundo loco quid requiratur ad licitam Eucharistiæ administrationem. Illa debet administrari debitâ reverentiâ, et juxta ritum Ecclesiæ consecutum: undè notandum 1. plerùmque non esse deferendam infirmis Eucharistiam, nisi cum cotta, et stola, et luminibus, quare communiter dicunt *Suar. Filliuc.* et *Ronc.* Communionem præbere sine cotta et stola, per se esse

(1) N. 237. Quær. II. — (2) Lib. 6. n. 237. Quær. III. — (3) c. 238.

mortale; sine luminibus tamen esse tantum veniale. In casu autem necessitatis probabiliter dicunt *Filliuc. Granad. Aver. Elb. Gob. Croix, Renz. Mazzotta*, etc. licere sine luminibus et sacris vestibus Viaticum ministrare, nam non præsumitur, quando prædictæ cæremoniæ adhiberi nequeunt, velle ut moribundi tanto defraudentur bono. Et probabiliter dicit *Pasqual.* posse pariter Episcopum dispensare ut Viaticum deferatur cum pileo in capite, cum longè et per villas progrediendum est (1). Ita etiam probabiliter dicunt *Bonac. Salmant. Gobat. et Croix* (contra *Busemb.*) licerè in casu magnæ urgentiæ sacerdoti currere, ut adveniat tempore opportuno ad dandum Viaticum (2). Ita etiam licet illud deferre equitando, si locus distat, aut tempus est pluvium, aut instat necessitas illuc adveniendi, ut dicunt *Quintanad. Elbel, et Gob.* (3), et legitur hoc fuisse concessum à S. Carolo Borromæo (4). Item probabile est tempore pestis Viaticum cochleari licitè posse ministrari, ut dicunt *Bonac. Busemb. Marc. Mancin. Gobat. Leand.*, etc.; et ita etiam admittunt *Escob. Præpos. et Diana* dare Hostiam cum aqua in cochleari infirmo qui ob oris ariditatem deglutire non posset (5). Hic notandum obiter quòd S. C. Conc. declaravit velitum fuisse per S. Pium V. deferre Eucharistiam ad infirmos adorandam tantummodò. Benedictus XIV. (6) in sua Epistola ad Cardinalem Guadagni Urbis Vicarium generalem, quæ incipit *Cùm, ut rectè nosti*, præter S. Pii V. prohibitionem affert etiam Rituale romanum à Paulo V. vulgatum, ubi hæc leguntur: *Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujusvis rei prætextu, ad ostendendum* (divinum Sacramentum) *non deferatur* (7).

13. — Probabiliter etiam licet in casu extremæ, aut gravissimæ necessitatis Communionem præbere posterioribus digitis, si sacerdotis pollex aut index infirmus esset, ut dicunt communiter *Tournel. Conc. Ronc. Salm. Bus. Diana et Renzi* contra *Bonac.* Imò tenent *Gobat. Arriaga, Croix, Leand. et Mazzot.* hoc licere etiam extra necessitatem, si chiragrâ sacerdos laborat, dum dicunt quòd tota sacerdotis manus sit consecrata; sed probabilius id negant *Bonac. Possev. Diana, et Renzi*, quia licet tota manus sit consecrata, tamen juxta ritum Ecclesiæ pollex et index sacerdotis sunt præcipuè ad hoc munus exer-

(1) *N. 241. v. Ministrare.* — (2) *Lib. 6. n. 242.* — (3) *n 245.* — (4) *Act. Medio p. 4. n. 51.* — (5) *Lib. 6: n 244. v. 6. Non licet.* (6) *Bullar. t. 4. p. 528. §. 12 et in Edit. Mech. 7. 11. p. 194. §. 12.* — (7) *Lib. 6. n 245. v. 4. Eucharistia.*

cendum destinati. Communis autem est sententia cum *Suar. Mol. Castrop. Bonac. Laym.*, etc. abstinendum esse à celebrando sacerdoti pollicem, aut indicem infirmum habenti, ita ut Hostiam frangere nequeat, ut deducitur *ex cap. 11. de Corp. vitiat.* ubi dicitur non posse ordinari sacerdos ille qui non habet pollicem aptum ad Hostiam frangendam, et pro regula generali habetur, quòd quicquid impedit ab Ordinis susceptione, impedit etiam ab illius exercitio (1).

14. — Notandum 2. quòd juxta præsentem disciplinam nunquam licitum est, sine Pontificis dispensatione, etiam ad præbendum Viaticum, Eucharistiã administrare sub utraque specie, aut in sola vini specie; ita communiter *Suar. Lug. Tambur. Dicast. Dian. Croix*, etc.; nam præceptum Viatici non obligat, cum sumi nequit juxta Ecclesiæ ritum (2). Ita etiam sine causa (licet hoc veniale non excedat) non permittitur partem Hostiæ majoris ad communicandum præbere. Sufficit autem pro causa, si communicandus sit infirmus, aut nobilis, aut famulus, aut alius cui expectare incommodo esset, licet ob solam devotionem communicaret, ut communiter *S. Antonin. Silv. Bonac. Tourn. Conc. Salm. Elbel*, etc. (3). Nec pariter licet Communionem pueris præbere ante annos discretionis: et perpetuò amentibus. Vide quòd dictum est *Tom. I. Tract. XII. n. 43. et 44.*

15. — Notandum 3. denegandam esse Communionem publicis peccatoribus, nisi constet de eorum publica pœnitentia, ut dictum est *Tract. XIV. num. 3.* Hic tamen juvat adnotare quæ deliberavimus ex epist. Benedicti XIV. ad Episcopos Galliæ, quæ incipit, *Ex omnibus*, edita 16. Octobris 1756. ubi præbet normam quando denegandum sit Viaticum refractariis Constitutioni *Unigenitus*. Ibi enim deciditur ut Communio deneganda sit peccatoribus publicis, et notoriis; ac ut tales habeantur, requiritur (si crimen in sola externa actione consistit, cujusmodi est notorietas usurarii, aut concubinarij) ut vel per sententiam judicis rei declarati sint; vel in judicio crimen sint confessi; vel aliquod facinus evidenter commisisse noscantur, et in eo facto moraliter perseverent; et quòd vulgò cognitum est, non adhuc cessavit. Ratio enim horum est, quia hæc moralem faciunt certitudinem de illorum notorietate criminis. Quòd si crimen ab interna animi dispositione pendet (prout esset hæresis, etc.) aliter procedendum,

1) *Lib. 6. n. 244.* — (2) *n. 245. r. Peccat. I.* — (3) *Ibid.*

nam tunc tales non habendi sunt, si crimen innitur conjecturis, præsumptionibus, incertisque vocibus; statuit ut si hi in extremo fuerint vitæ constituti, non erit eis denegandum Viaticum, quoties in Paschate non fuerit eis denegata Communio; ubi verò ita validæ adversus ægrotos præsumptiones, et indicia gravia, et urgentia militant, vult ut ægrotus semotim cum lenitate admoneatur atque obsecretur ut resipiscat; demonstreturque ei quòd, quamvis detur ei Viaticum, hoc fiat solummodò ut obtemperetur Ecclesiæ, quæ ad avertenda scandala publica, et ad ipsius ægroti præcavendam infamiam, eum à sacra mensa non repellit, licèt peccatorem coram Deo eum reputet, non tamen in proprio tribunali, ut publicum atque notorium peccatorem agnoscit. An autem graviter peccet qui in mortali existens Eucharistiam dispensat, nos affirmavimus cum *Suar. Laym. Ronc. Gonet, Viva*, etc. adversus alios; et adduximus Catechismum rom. atque Rituale (1). Notandum insuper peccare qui negat Communionem capite damnatis, si ad eam per confessionem dispositi sunt, ut rectè dicit *P. Concina*, quicquid dicat *Contensonius*, quamvis, ut testatur *Juvenin.*, in Galliis, et Hispaniis mos invaluit, ut eis Eucharistia denegotur; sed apud nos contrarium observatur: ideòque dicimus non esse denegandam, etsi reo una restaret vitæ hora (2).

16. — Notandum 4. quòd in Missa de *Requiem* proculdubio potest ministrari Communio; nam in Missæ defunctorum rubricâ dicitur: *Si sint communicandi, eos communicet antequàm se purificet*. Et concordat Trident. *sess. 22. cap. 6* ubi hæc leguntur: *Optaret (S. Synodus) ut singulis in Missis fideles communicarent*. Et licèt *Gavant. et Croix* adducant quoddam Decretum S. C. editum die 21. Jan. 1701. in contrarium, nihilominus doctus *Merati* scribit se legisse in Directorio Ecclesiæ Genuensis, quòd eadem Congregatio vêtuit ipsum Decretum publicari, et 22. Martii 1711. positivè illud suspendit (3). Et novissimè 2 Septembris 1741. decrevit expressè posse ministrari Eucharistiam per modum Sacrificii, nempe cum Particulis intra eandem Missam consecratis, in Missa defunctorum quæ celebratur in paramentis nigris; secùs verò per modum Sacramenti, nempe cum Particulis præconsecratis extrahendo Pyxidem è custodia, adversus id quod priùs docuerat Benedictus XIV. (4). cum *P. Merati*, quòd in Missis

(1) *Lib. 6. n. 246. et 247.* — (2) *Ibid.* — (3) *n. 249.* — (4) *De Lacrif. Miss. l. 3. c. 18. n. 10, 11. et 12.*

defunctorum poterat ministrari Eucharistia, etiam ex Particulis præconsecratis, in Missa tantum, non autem ante, vel post illam; vide Decretum in catalogo, qui inest in hoc *Tract. n. 88. Decr. X.* Advertendum hic quòd si Missa defunctorum celebratur in paramentis violaceis, (prout certò fieri potest ex Decreto S. R. C. 21. Junii 1670. apud *Merati in Indice tom. 1. n. 444.*) non prohibetur fieri Communio ex Particulis præconsecratis, nec ante, nec post Missam, et tantò minùs in Missa, cùm in præfato Decreto tantum vetitum est ministrari Eucharistiam in *Missis defunctorum* (en verba Decreti) *quæ in paramentis nigris celebrantur.*

17. — Notandum 5. quòd Communio potest, ex se loquendo, in qualibet diei hora ministrari, dùm nulla adest de hoc prohibitio; ita communiter *Azor. Silv. Cast Bonac. Sa, Coninch. Ronc.* et alii cum *Suar.* qui affert *S. Ambr.* auctoritatem, qui testatur quòd suis temporibus Communio sub diei finem dabatur. Non permittitur tamen dari Communio, cùm noctescere cœperit, aut in extrema diei parte, nisi aliqua adesset peculiaris causa, ut dicunt *Suar. Castr. Coninch. Sa, Tambur.,* etc. Sed nunquam permittitur excepto Viatico, intempestà nocte, ut loquuntur *Bonac. et Salm.,* nempe elapsis multis noctis horis, Eucharistiam dispensare. In Missa Natalis Domini, quæ medià nocte celebratur, nec licet Communiónem præbere, ex pluribus Decretis S. C., et ita pariter nec in feria sexta Parasceve. Attamen in Sabbato sancto nulla adest de hoc prohibitio; invenio tantummodo quòd quidam Auctor (*Macrus in Vocabul. Eccles*) dicit in Missa Sabbati sancti ideò omitti antiphonam *postcommunio*, quia olim non ministrabatur Eucharistia: sed *P. Merati,* cum *Grancolas, Moretto,* et aliis probat oppositum ex quòdam ordine romano, nempe quòd olim in Missa Sabbati sancti omnes adulti, et pueri communicabant, cùm in dicto ordine legatur: *Omnes communicent;* et addit *Gavantus,* et *Durandus* quòd in tantum hodie omittuntur communio et postcommunio, in quantum in eorum loco Vesperæ suffectæ sunt. Undè concluditur nullo inniti fundamento ratio cur prohibita putari debeat tali die Eucharistiæ ministratio; et quoad consuetudinem, certum est quòd in pluribus ecclesiis, præsertim nostri regni, et præcipuè in cathedrali Neapolis, soleret post celebratam Missam solemnem ministrari populo Eucharistia (1).

(1) *Lib. 6. n. 262.*

18. — Notandum 6. quòd si sacerdos, sumptâ ablutione, advertat aliquas reliquias consecratas relictas esse, dicit Rubrica (tit. 6. n. 2.).... *eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem Sacrificium spectant*; et etiamsi sacerdos pervenerit in sacristiam, cùm adhuc sacris vestibus indutus est, potest præfatas reliquias sumere, ut dicunt *Gobat. Granad. Diana*, quibus consentit *Benedict. XIV.* (1), qui subjungit quòd si sacerdos exutus sit, tunc aut reponendæ sunt in tabernaculo, si extat, aut servandæ sunt pro alia Missa, si eodem mane celebranda erit; aliàs sumere debet. Et ita communiter dicunt *Suar. Lugo, Caj. Nav. Vasq. Silv. Bonac. Croix*, etc. (adversus *Tamburinum*) servandas esse, si possunt sine irreverentiæ periculo, reliquias quæ ex alia Missa remansissent, dùm illæ non ad idem Sacrificium spectant: nam Rubrica non permittit alias sumi particulas, quàm illas solas, quæ ad *idem Sacrificium spectant* (2). Si autem remansisset particula integra, dicit *Rubrica n. 3.* deferendam eam esse in tabernaculum, aut saltem servandam ut ipsa à sequenti celebrante sumatur (intellige cùm primus jam sumpsit ablutionem); et si alia Missa non habeatur, in eodem calice conserveatur; et si denique non suppetat modus, quo cum decentiâ servari possit, potest idem sacerdos eam sumere. Præterea, particulæ quæ extra corporale reperiuntur, in dubio an sint, vel ne consecratæ, dicunt *Bonac. Henrig. et Gobat.* sumendas esse post ablutionem; et meliùs (dico) esset cum eadem ablutione. Insuper, si accideret unquam quòd in deferendo Viatico remaneret in patena, vel pyxide aliqua particula, dicunt *Castr. Tambur. et Burghaber*, posse eam sumere sacerdotem, si sacris indutus est vestibus; aut (ut dicunt iidem auctores, cum *Lugo*, et *Marchantio*) potest statim eidem infirmo sumenda præberi; et hanc asserit *Lugo* esse praxim, nempe, ut post Communionem infundatur aqua in pyxide, et ablutio detur infirmo (3). Quando autem possit, et debeat darii Viaticum, observetur quod dicitur *n. 19. et n. 46.*

(1) *De Sacrificio Missæ, l. 3. c. 17. n. 5. et 6.* — (2) *Lib. 6. n. 251.* (3) *Lib. 6. n. 251. v. Hic autem.*

CAPUT III.

DE PERCEPTIONE EUCHARISTIÆ.

PUNCTUM I.

De obligatione sumendi Eucharistiam.

De Viatico, et quando sumendum est 19. Si infirmus vexatur vomitu 20. Si tussi 21. De præcepto paschali, Vide Tom. I. Tract. XII. n. 39.

19. — DUOBUS temporibus præceptum Communionis obligat, in Paschate, et in morte. De communionem paschali jam actum est, cum de præceptis Ecclesiæ locuti fuimus *Tom. I. Tr. XII. ex n. 39*; quoad Viaticum autem, dicimus hic quòd quilibet fidelis tenetur illo muniri, semper ac infirmus in probabili mortis periculo est constitutus; prout est qui graviter decumbit cum mortalibus signi, qui aliquem periculosum conflictum, aut navigationem aggressurus est; mulieres quæ solitæ fuerunt eniti cum periculo: aut quæ primâ vice parituruntur, et tenellâ ætate, aut corporis constructione imbecillâ constitutæ sunt; ita communiter DD. cum S. *Thoma* (1).

20. — Hic advertendum quòd quando infirmus jugi vomitum laboraret, non potest communicare, si saltem per sex horas ab illo liber non sit, ut ait *Busemb.*; et in dubio melius dicit *Croix*, adversus alios, non esse præbendam Communionem; nam potius Sacramenti reverentiæ, quàm infirmi utilitati prospiciendum est. Quoad praxim autem, si vomitus provenit ex cibo, cum infirmus illum sumit, debet experiri dando ei non consecratam particulam, et si eam retinet, tunc potest dari consecrata. Et idem faciendum (ut dicunt *Salm.*) in casu delirii, ut observetur utrum infirmus possit cum decentia suscipere Sacramentum (2).

21. — Si autem infirmus vexetur à jugi tussi, quâ cogatur sæpè flemmas è pectore exspuere, hic benè potest communicare, quia hoc non inducit periculum projiciendi particulam; nam alius est vehiculus (nempe guttur) quo trajicitur cibus, alius est canalis (nempe aspera arteria) undè ejiciuntur flemmæ, et suspiria. Secus autem, si tussis ne permetteret quidem particulam trajicere (3). De

(1) N. 291. — (2) *Lib. 6. n. 202. v. 2*, Si in ægro. — (3) *Ibid. v. In dubio.*

Communione danda pueris, et amentibus in mortis articulo, etiam actum est eodem *Tract. XII. num. 43. et 44.* Igitur quoad communicandi obligationem, satis est quod dictum fuit. Restat nunc discutiendum quænam sint dispositiones necessariæ ad licitè communicandum. Illæ duæ sunt, una animæ, altera corporis. Agemus prius de animæ dispositione, et postea corporis.

PUNCTUM II.

De animæ dispositione.

De confessione præmittenda 22. Qui post confessionem reminiscitur peccati 25. Quænam necessitas excusat à prius confitendo 24. Si sacerdos in celebrando recordatur peccati, aut censuræ 25. Si desit confessarius 26. Si peccatum est reservatum 27. An tunc dicendum sit reservatum 28. Si annexa est excommunicatio 29. Quomodo intelligendum est Quamprimùm. 30. An tale præceptum obliget post consecrationem 31. An obliget celebrantem sacrilegè 32. An obliget laicos 33. An possit communicare qui dubitat de peccato 34.

22.—**VOLENTI** communicare, et de peccato mortali conscio, non sufficit contritio, sed necesse est ut confiteatur: potest tamen communicare, modò adsit celebrandi, aut communicandi necessitas, et confessarii copia desit; sed si ille est sacerdos, ei restat obligatio quamprimùm post celebrationem confitendi, ut constat ex *Trid. Sess. 13. cap. 7.* ubi hæc leguntur: *Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus (Apostoli nimirùm) præceptum: Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere deceat.* Ex quibus verbis communis sententia et vera (1), *Suarez, Castrop. Lugo, Conc. Salm. Tourn., etc.* (contra *Navarrum*, et alios pauciores) docet tale præceptum præmittendi confessionem non esse ecclesiasticum solummodò, sed etiam divinum, dum *Apostolus* testatur in sua Epistola se hoc accepisse à Domino: *Ego enim accepi à Domino quod et tradidi vobis. I. Cor. II. 23.* Deindè subjungit Concilium: *Quod à Christianis omnibus, ab his etiam sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc S. Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia confessarii.* Quòd si,

(1) *Lib. 6. n. 256.*

necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.

23. — Igitur dictum est 1. quòd conscius peccati mortalis non potest communicare, nisi priùs confiteatur. Dicitur *mortalis*, quia peccata venialia, quotquot sint, sicut gratià divinâ non privant, ita nec prohibent quominùs ad sacram Mensam quis accedat. An autem impediant à consecutione fructùs illius, vide quod dictum est *n. 7.* Hic quæritur an qui recordatur alicujus culpæ gravis, postquam cum universali peccatorum dolore confessus est, teneatur confiteri illam, et ad absolutionis beneficium recipiendum ante Communionem? Multi DD. id affirmant (et hæc sententia cæteroquin est communior); ita *Suar. Bonac. Coninch. Tourn. Conc. Salm.*, etc. excipiunt tantum, si quis nequiret sine scandali, aut infamiæ periculo confessionem præmittere. Sed valdè probabiliter negant *Garcia, Præp. Ferrantinus, Honorius, Fabri, Cornejus, et Regin.*; et novissimè hanc sententiam ex proposito tueretur *Continuator Tournel.* cum *Pontas, Gibert, et Arr.*, et asserit primam sententiam nullo inniti valido fundamento; ego tantum asserere non audeo, sed dico hanc secundam sententiam reverà valdè esse rationi consonam, prout mihi affirmarunt doctus Episcopus *Torni*, et alius doctus theologus examinatus synodalis civitatis Neapolis, et alii theologi quos, antequam hoc scriberem, consului. Ratio nostra est, quia qui confessionem præmisit, jam præcepto ante communionem confitendi satisfacit, et jam confitendo probatus est, ut præcipit Apostolus; siquidem per confessionem peccatum oblitum jam indirectè remissum est Remanebit tamen pœnitens obligatus ad postea subiacendum illud peccatum clavibus, ut confessio reddatur integra etiam materialiter, sed interim non obligat præceptum ad confitendum ante Communionem. Dicunt adversarii quòd præceptum à Concilio indicatum de confitendo, requirit confessionem non tantum formaliter, sed etiam materialiter integram. Sed respondemus hoc gratis asseri, dum præceptum aliam non requirit confessionem quàm illam, quam pœnitens tenetur facere, scilicet formaliter integram; nam per illam jam obtinetur finis, et effectus à præcepto intentus, nempe ut anima probata remaneat, et certa magis de divina gratia, quæ faciliùs acquiritur per sacramentalem absolutionem, quæ cum sola attritione delet peccata. Nec obstat quam opponant fidelium praxis, quia hæc non erit statuenda pro obligationis norma, sed potiùs habenda est tanquam pius et

laudabilis usus, qui cæteroquin omnibus suadendus est, quoties causa aliqua in oppositum aliud non suadeat (1). An autem cum dubius quis est commisisse aliquod mortale, de quo non sit confessus, teneatur illud confiteri ante Communionem, vide dicenda seq. n. 34.

24. — Dictum est 2. necessariam esse confessionem, modò non adsit necessitas celebrandi, aut communicandi. Videamus nunc quid nomine necessitatis intelligatur. Non hic intelligitur magna devotio: et nec sacerdotis paupertas, nisi esset paupertas valdè gravis, ut ait *Croix*; sed intelligitur necessitasurgens, ut esset 1. Si moribundo afferendum esset Viaticum, sicut admitunt omnes (2); 2. si omitti non posset Communio sine infamia, aut scandalo, v. g. si quis in communicantium scamno jam reperiretur, undè discedere non posset quin ab aliis notaretur, prout etiam communiter dicunt DD. (3). Idem etiam esset si allato Viatico ad infirmum, tempus non suppeteret ut confessio compleretur sine periculo mortis aut infamiæ; quia tunc, ut rectè dicunt *Ronc. Sporer, Busemb. Tambur.*, etc., sacerdos, audito aliquo peccato, debet moribundum absolvere, imponendo ei ut deinceps integram confessionem faciat, et tunc debet ei Communionem præbere (4); 3. si parrocho celebrandum esset ut populus Sacro intersit, et non esset alius qui celebraret, aut ille non posset celebrationem omittere sine infamiæ nota. Sed hoc aliis sacerdotibus non licet, ut benè advertunt *Lugo, Castrop. Aversa, Salmant. et Ronc.* contra *Dianam*, licet populus in die festivo Missâ carere deberet (5). Et etiam dicimus cum *Suar. Laym. Lugo, Bonacin. Tourn. Conc.*, etc. (contra *Sot. et Silvestr.*), sacerdotem in die festo potius omittere debere Missam ex obligatione, quàm sine confessione celebrare; quia tale præceptum, cum sit divinum, præferendum est ecclesiastico de audienda Missa (6). An autem possit quis communicare cum sola contritione, cum deest confessarii copia ut præcepto paschali satisfaciat, affirmant cæteroquin communissimè *Sot. Palud. Coninch. Henriq. Castrop. Lugo*, etc., ex eo quia præceptum paschale etiam divinum est. Sed negant *Suar. Tourn. Salm.*, etc., dicentes quòd tunc præceptum Communionis paschalis non obligat. Hæ sententiæ sunt ambæ probabiles (7).

25. — Si contingeret quòd sacerdos in celebrando pec-

(1) *Lib. 6. n. 257.* — (2) *n. 260.* — (3) *n. 257. et 265.* — (4) *Lib. 6. n. 260. ad. 2.* — (5) *n. 261.* — (6) *Ibid. v. 4. Si urgeat.* — (7) *Ibid.*

cati mortalis recordaretur, quicquid dicant alii, distinguendum est cum communi sententia *Suar. Vasq. Lugo, Castrop. Bonac.* etc.; quòd si recordetur illius post consecrationem, tunc non est Missa interrumpenda ut confiteatur, sicuti docet etiam *S. Thomas* (1), et uti expressum est in Rubrica (de *Defect. tit. 8. n. 4.*) intelligitur quòd semper contritionis actus eliciendus est; et licet *Lugo, Tamb.* et alii dicant, quòd si sacerdos magnam haberet difficultatem in hujusmodi temporis angustiis ad se conterendum, posset citra culpam Missam proseguere, modò conaretur ad contritionem eliciendam; attamen jure merito contradicit *P. Concina*, dùm in tali casu urget præceptum divinum, et contrà nemo est qui nesciat Deum non jubere impossibilia, ut dicit Trident. *Sess. 6. c. 11.* sed præstare sua auxilia ad operandum, aut saltem ad petendum id quòd facere debemus: hinc si sacerdos delinquit in se conterendo, suâ negligentia delinquit, aut quia peccato adhæret. Si verò recordetur ante consecrationem, et præsertim ante canonem, tunc confiteri debet, si confessarius adest et si absque infamiae nota hoc efficere potest; et nihil refert si Missa interrumpatur, nam talis pars est extrinseca Sacrificio (2); et si confessarius haberi nequit, et infamiae periculum abest, probabilius est obligari ad Missam omittendam, ut dicunt *Lugo, Sylvius, Tourn. Silvest.* et alii, quibus etiam adhæret *S. Thomas* (3), dicendo hanc opinionem esse tutiorem (contra *Castrop. Suar. Navar. S. Bonav. Victor.*); et hæc sententia videtur esse juxta Rubricam (3. p. tit. 8. n. 4. et 5.) ubi hæc leguntur: *Si ante consecrationem recordetur sacerdos se esse in peccato mortali, aut se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere.* Diximus probabilius, quia non est certum quòd Rubrica per verbum debet imponat grave præceptum. Cæterùm bene advertunt *Vasq. Laym.* et *Tourn.* quòd in tali casu difficulter evenire potest quòd sacerdos deserat Missam sine infamiae nota (4).

26. — Dictum est 3. *si confessarii copia deest.* Intelligitur 1. si nullus confessarius præsto adsit, et contrà sacerdos celebraturus alium absentem sine gravi incommodo adire nequit, ut dicunt *Castrop. Vasq. Salm.* et alii; *absens* autem intelligitur, si confessarius in notabili distantia abesset, v. g. (ut dicunt) duas aut tres horas itineris, aut

(1) 3. p. q. 83. a. 6. ad 2. — (2) Lib. 6. n. 262. v. Hic dubit. 1. — (3) 3. p. q. 83. a. 6. ad 2. — (4) Lib. 6. n. 222. Dubit. 2.

etiam minùs (ùt dicit *Cunus*), si brevì celebraturus esset (1). Intelligitur 2. si præstò esset confessarius idiomatis expers, aut jurisdictione privatus, aut talis cui sacerdos sine gravi damno confiteri non possit (2).

27. — Sed hìc quæritur 2. an habens reservatum, et non adsit confessarius hâc facultate præditus, teneatur confiteri simplici confessario ut communicet? Respondetur: Si iste non habet aliud peccatum præter reservatum, communis est sententia quòd confiteri non teneatur, sed sufficit, urgente necessitate, ut cum contritione communitet; sed si solam haberet attritionem, tenetur confiteri de alia materia, ut saltem indirectè sit à reservato absolutus. Si autem haberet reservata et non reservata, dicimus cum sententia communissima, et probabiliori *Suar. Castrop. Viva, Lug. Conc. Salm.* et aliorum (contra *Vasq. Tourn.*, etc.) istum teneri ad confessionem; quia stante præcepto de confitendo ante Communionem, si nequit materialiter integrè, saltem debet formaliter confiteri (3).

28. — Quæritur 2. dato quòd iste simplici confessario confiteatur, an debeat explicare tam reservata, quàm non reservata? Affirmant probabiliter *Sot. Filliuc. Bonac. Suar. Viva, Conc. Salm.*, etc.; nam confessarius necesse habet, ut totam pœnitentis cognoscat confessionem, ad hoc ut de ejus dispositione ad absolutionem obtinendam ferat judicium, v. g. si habitum aliquem contraxerit, si in proxima versetur occasione, etc.; sed non minùs, et fortè magis probabiliter negant *Castrop. Gerson. S. Antonin. P. Sot. Alens. Salas, Ledesm.*; et *Lugo* etiam probabile hoc dicit; tùm quia non videtur adesse obligatio peccata exponendi non habenti super illis jurisdictionem, ac proindè judicem esse impotentem; tùm quia aliàs pœnitens haberet onus bis eadem peccata confitendi. Et licèt quis in casu quo esset habituatus. ùt dictum est, et moralem suæ dispositionis certitudinem non haberet, teneretur totam conscientiam suam confessario patefacere, ut ille judicaret an sit, vel ne, absolutionis capax; nihilominùs hoc esset per accidens, sed non propter obligationem faciendi confessionem materialiter integram, dùm ex se sufficit tunc formalis integritas (4).

29. — Si quis autem excommunicatione reservatà innodatus existeret, et urgeret communicandi necessitas, ac non esset à quo possit ab ea absolvi; communis est sententia quòd iste posset communicare antequam ab illa

absolveretur ; quia Communionis præceptum quod interdicit excommunicatos à Sacramentis , non obligat , cum alioquin non potest evitari scandalum , aut infamia . Sed fit dubium an tunc possit ille confiteri facultate super excommunicatione illa destituto ? Negant probabiliter *Sylv. Canus , Sot. Vasq. , etc.* dicentes quòd ille benè potest communicare , semper ac est contritus ; sed nequit Sacramentum Pœnitentiæ suscipere , cum ab hoc per excommunicationem illi interdictum sit . Sed probabilius affirmant *Suar. Sanch. Lugo. Coninch. Salmant. , etc.* , quia in eo necessitatis casu , sicut excommunicatio non privat Eucharistiæ Sacramento , ita nec privat Pœnitentiæ Sacramento , quod à volente communicare semper ac potest , ex præcepto divino sumi debet præmissâ confessione . Et benè probant præfati AA. validè posse aliquem absolvi à peccato , quin absolvatur ab excommunicatione , cum Ecclesia non potest , imponendo censuram , Sacramentorum valorem irritare , quæ ex divina dependent institutione ; et in tantum excommunicatus confitendo invalidè absolveretur , quia esset indispositus , cum ab Ecclesia ei interdicta sit Sacramentorum susceptio ; sed cum necessitas eum à tali prohibitione eximit , tunc validè et licitè recipit absolutionem sacramentalem (1).

30. — Dictum est postremo loco , quòd si sacerdos cum peccati mortalis conscientia , non præmissâ confessione , ob instantem necessitatem , et quia non habet cui confiteatur , celebrat , præcipit Concilium ut post celebrationem *quamprimum confiteatur* . Hoc non est consilium ut dicebat propositio 38. damnata ab Alexandro VII , sed est verum præceptum , et quidem grave . Hoc supposito præcepto , quæritur 1. quomodo intelligendum illud *quamprimum* ? Nonnulli intelligebant , cum sacerdos suo tempore confitebitur ; sed hæc inanis explicatio etiam damnata fuit prop. 30. ab eodem Pontifice . Alii intelligebant , cum sacerdos vult iterum celebrare ; sed hæc explicatio est etiam improbabilis , dum Concilium præcepit confessionem præcisè post celebrationem , nimirum etiamsi sacerdos vellet pro eo tempore à celebrando se abstinere . Alii verò nimis rigidi dicunt intelligi statim ac ei erit facultas confitendi , etiam eodem diè ; ita *Wigandt , et Concina* . Sed cum communi rectè dicunt *Milante , Coninch. Lugo , Escob.* et alii cum *La-Croix* (qui adducit quamdam declarationem S. C.) sufficere , si sacerdos intra triduum confiteatur ,

(1) *Lib. 6. n. 265. p. Quær. III.*

similitudine acceptâ ab obligatione, quam habent, qui in mortis articulo absoluti sunt ab excommunicatione reservata, Superiorem adeundi, *quàm citò commodè possint* ut in *c. Eos qui, de sent. excom.* (sub pœna reincidendi in eandem censuram) cui obligationi etiam intelligitur satisfieri intra tres dies; *Lugo, Garcia, et Milante.* Et idem currit pro obligatione deferendi libros hæreticorum ad Episcopos; *Sanch. Ugolin. et Sayr.* Advertunt tamen DD. suprâ citati, quòd in aliquo casu potest sacerdos teneri ad confitendum eodem die, et fortè eâdem horâ, v. g. si confessarius citò longè profecturus esset; aut si sacerdos in eadem esset celebrandi necessitate die sequenti, in quo etiam confessarius defuturus esset (1).

31. — Quæritur 2. an hoc præceptum obliget sacerdotem qui celebrat, reminiscens suum peccatum post consecrationem? Negant *Vasq. Pelliz, Lugo, et Diana*, quia Rubrica (*tit. 18. num. 3. et 4.*) loquens de eo qui recordatur ante celebrationem, dicit: *Tenetur confiteri quamprimùm*; sed loquens de eo qui recordatur post consecrationem, nihil aliud dicit quàm *conteratur cum proposito confitendi.* Hæc sententia non videtur improbabilis; sed est communior et fortè probabilior contraria *Suar. Molfes. Megal. Bonac. Reginald., etc.*, quia jam tunc verificatur casus à Concilio suppositus, quòd jam celebrat in peccato, et sine confessione; tantò magis quod in illo *confitendi* Rubricæ, facilè subintelligitur verbum *quamprimùm*, paulò antè jam à Rubrica expressum (2).

32. — Quæritur 3. an hoc præceptum obliget etiam sacerdotes sacrilegè celebrantes, sive illos qui tenentur et possunt confiteri, et celebrant sine confessione. Aliqui etiam affirmant; sed sententia verâ, et communissima negat cum *Suar. Vasq. Lug. Filliuc. Sayr. Moya, etc.*, quia præceptum Concilii tantùm respicit eos qui bonâ fide celebrarunt, ne confessionem differant sub colorato prætextu necessitatis celebrandi, non autem sacrilegos, quibus tale præceptum non est profuturum: qui spernit præceptum divinum de non celebrando in peccato, faciliùs spernit etiam ecclesiasticum de confitendo quamprimùm (3).

33. — Quæritur 4. an hoc præceptum confitendi *quamprimùm* obliget etiam laïcos, qui communicant ob necessitatem ante confessionem? Affirmant *Azor. Navarr. Conc. et Tourn.* dicendo quòd pro laïcis eadem militat ratio, ac pro sacerdotibus ex illa regula generali: *Ubi*

currit eadem ratio, ibi currit eadem legis dispositio. Sed est communissima et probabilior sententia opposita *Wigandt, Cœnich. Suar. Vasq. Laym. Bonac. Filliuc. et Lugo*, qui asserit primam communiter rejici. Ratio est, quia reverà non currit pro laïcis ratio quæ extat pro sacerdotibus; dùm hi plerùmque majorem habent necessitatem celebrandi ad evitandum scandalum, quam non habent sæculares ut communicent (1).

34. — Quæritur 5. an dubitans sit vel ne in gratia, possit communicare? Huic dubio respondimus in Opere (2), quòd (ex solvendo) qui dubitat an sit in peccato, non potest communicare. Nihilominus, meliùs re perpensâ, mihi videtur respondendum cum majori distinctione. Undè sic dicamus: Si quis dubitat an graviter peccaverit nec ne, tunc licitè, non præmissâ confessione, potest ad communionem accedere, sive dubium sit negativum, sive positivum (sufficiendo sibi ut tutiùs fructum Sacramenti percipiat, ut præmittat contritionem); quia præceptum Apostoli *Probet autem seipsum homo*, ratione cujus intelligitur præcepta esse confessio, ut declaravit Tridentium, ligat tantùm eos qui sunt conscii, nempe certè sciunt se mortale commisisse, de quo non sunt adhuc confessi, ut idem Tridentinum declaravit *Sess. 13. c. 7. dicens: Ut nullus sibi conscius peccati mortalis, ad Eucharistiam accedere debeat.* Itaque præceptum prohibitionis non incipit possidere, nisi postquam homo sit sui peccati conscius. Contrà si quis est certus de peccato commisso, tunc non potest communicare, nisi certus sit se per confessionem probatùm fuisse, quia tunc certè possidet in eo præceptum prohibitionis; undè ille cum dubio negativo, aut positivo, an recuperaverit nec ne amissam gratiam (v. g. cùm dubitat an confessio fuerit nulla ex defectu dispositionis, aut jurisdictionis, aut si dubitat de contritione in casu necessitatis communicandi), non potest Communionem recipere; quia tunc agit contra præceptum quod requirit probationem non solùm probabilem, sed etiam certam, sicut fuit certum peccatum. Sed objicere possent id quod dictum est *Tom. I. Tr. I. n. 17*, nempe sufficere satisfactionem probabilem ad adimplenda præcepta. Sed benè respondet *Ronc. (3) præfatam sententiam locum habere, cùm agitur de repetendo opere cui probabiliter satisfactum est; nam non præsumitur legislator velle obligare ad satisfaciendum suis le-*

(1) *Lib. 6. n. 268.*—(2) *n. 432. et 475.*—(3) *Ronc. de Eucharistia, pag. 5. qu. 6. resp. 6.*

gibus cum tanto rigore, ut repetenda sint opera, quibus probabiliter satisfactum est; non autem cum agitur quod quis debeat, et possit sine suo magno gravamine abstinere ab aliquo opere faciendo, antequam certus fiat adimplevisse conditionem appositam à lege, quæ possidet; quia in hoc non præsumitur aliqua conniventia legislatoris, et ita evenit in casu præsentis.

PUNCTUM III.

De dispositione corporis.

De jejunijs naturalibus. In dubio jejunii. Si horologia sint discordantia. Frangit jejunium quod ab extrâ suscipitur 55. De reliquijs ciborum 56. De reliquijs aquæ, sacchari, etc. 57. De tabaco per naris sumpto 58. An fumus tabaci, etc. 59. De tabaci foliis, et aromatibus dentibus contritis 40. De aqua, aut similibus per narices voluntariè haustis, aut casu 41. An capilli, lupuli, charta, etc. frangant jejunium 42. et 43. Qui, non facti digestionem, etc. 44. Exspuere statim à Communionem 45. In quibus casibus non requiritur jejunium, et I. in Viatico. An possit replicari Viaticum 46. Et quoties 47. An qui ex devotione paucis antè diebus communicavit, etc. 48. An qui eodem mane 49. An possint omitti verba: accipe Viaticum 50. An possit celebrare non jejunus ad dandum Viaticum 51. II. Non requiritur jejunium, si timetur de injuriâ Sacramenti 52. III. Si timetur scandalum; si celebrans recordatur se non esse jejunum 53. IV. Si perficiendum sit Sacrificium. Quid agendum, si advertatur error vini; et quid in dubio, etc. 54. V. An ad evitandam mortem possit celebrare non jejunus 55. An pollutio impedit Communionem 56. An copula conjugalis 57. Qui externè est sordidus, aut leprosus, vel menstruata, aut accedit immodestè. Sacerdos qui laicorum more communicat 58.

35. — PER se loquendo, ut licitè suscipiatur Communio (juxta Ecclesiæ præceptum in *cap. Ex parte, de celebr. Miss*) requiritur jejunium naturale, nempe, ut quis nihil sumpserit cibi, aut potùs ex puncto mediæ noctis. Dubium tamen an deglutiverit aliquid à media nocte, non impedit à Communionem, ut diximus *Tom. I. Tract. I. n. 19*, quia (ut ibi probavimus) hoc præceptum non est positivum, ut jejunus accedat ad Communionem, sed est negativum, ne communicet post jejunii fractionem; quare quoties non est certum de jejunii fractione, non possidet jam prohibitio, sed libertas communicari volentis. Et hâc ratione dicunt communissimè *Sanch. Lug. Merati, Holzm. Croix, Salm. Quarti, Escob. Villalob. Trullench. Fagund.* licere inter multa horologia dissonantia sequi ultimum quod signat mediam noctem; modò non constet de errore; et modò (bene

subjungit *Croix*) hoc ultimum non sit tale, ut plerumque erret, quia tunc præsumptio est quòd semper erret (1). Sed hìc adverte quòd tempus mediæ noctis non terminatur, ùt volunt *Salmanticens.*, in ultimo horologii ictu, sed in primo, ùt rectè dicunt *Lug. Sanch. Tourn.*, etc., et de hoc ego certus sum factus à quodam horologiorum artifice peritissimo (2). Ob eamdem rationem non admittitur parvitas materiæ, ùt fatentur omnes tanquam certum, quicquid dicant *Gibert*, et *Pasqual.*, quia præceptum de non accedendo ad Communionem post cibi, vel potùs sumptionem, est negativum (3). Ad frangendum autem hoc jejunium, juxta regulas communiter à DD. assignatas, tria requiruntur: I. Ut quod deglutitur ab extrà sumatur; 2. ut sumatur per modum comestionis, aut potationis; 3. ut habeat rationem cibi, vel potùs. Itaque juxta I. regulam ad frangendum jejunium, sumendum est aliquid ab extrinseco, ita *Suar. Croix, Elbel, Sporer*, etc. ex *S. Thoma* (4) qui dicit, quòd quicquid provenit ab intrinseco non potest dici quòd comedatur, ideòque non lædit jejunium (5). Hoc posito, benè potest communicare qui sanguinem ex capite, vel giugivis manantem deglutit, licèt ex proposito id faceret; ita communiter *Suar. Laym. Bonac. Cabas. Habert, Antoine, Salmanticens.* quicquid dicat *Tourn.*; quia ùt dictum est cum *S. Thoma*, quicquid ab extrinseco non sumitur, non dicitur comedi (6).

36. — Sed hìc fit dubium an frangat jejunium qui voluntariè deglutit reliquias cibi in ore relictas? *Suar. Quarti, Henriq. Castr. Elb. Coninch.* et alii penitùs negant, dicendo tales reliquias reputari ùt partes comestionis diei præcedentis, et videtur Rubrica nimis adhærere huic sententiæ (*de Defect. n. 3.*) dùm dicit: *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cùm non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ.* Alii tamen communiùs, ùt *Vasq. Laym. Bonac. Tourn. Ronc. Cabass.* affirmant; cùm hujusmodi reliquiæ transglutiuntur ex proposito, quia tunc id habet rationem novæ comestionis; et hujus sententiæ est etiam *S. Thomas* (7) qui dicit: *Reliquiæ cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt Communionem;* igitur (juxta Angelicum) si voluntariè transglutiuntur, impediunt à Communionem. Hæc sententia videtur probabilior, licèt primam non puto improbabilem: sed quia non nimis scrupulosè in

(1) *Lib. 6. n. 282.* — (2) *Ibid. v. Nùm autem.* — (3) *c. 278.* — (4) *In 4. d. 8. q. 1. a. 4. solut. q. 2* — (5) *Lib. 6. n. 278. et 279.* — (6) *n. 279. v. Secus verè.* — (7) *4. q. 80. a. 8. ad 4*

hoc incedendum est, ut benè advertit *Suar.*, libenter amplector sententiam *Card. de Lug.* quam etiam sequitur *Benedict. XIV.* in suo celebri opere de *Sacris. Missæ* (1), quòd reliquiæ à dentibus avulsæ, quæ super lingua sentiuntur, debent expui; sed cæteroquin non adest obligatio diligentiam adhibendi eas à dentibus scalpendi; dùm hæc obligatio nimis esset scrupulis obnoxia: et hoc videtur propriè requirere *Rubrica* superiùs relata, dùm dicit quòd eæ reliquiæ transglutiuntur per modum salivæ (2).

37.— Et idem dicendum de reliquiis aquæ, quâ abluuntur os, quæ etiam impediunt Communionem, si voluntariè absorbentur, non autem si præter voluntatem; ita communi ex *Suar. Castrop. Tourn. Holzm. Salmant.*, etc. cùm *S. Thoma* loco cit. ubi dicit: *Et eadem ratio est de reliquiis aquæ, vel vini, quibus abluuntur os, dummodò non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivâ, quòd vitari non potest.* Et idem docet *Rubrica*, dicens: *Idem dicendum* (nempe non frangere jejunium) *si, lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem; igitur si aqua trajicitur præter intentionem, non frangitur jejunium* (2). Non dubitatur autem quin frangat jejunium, qui in ore ante mediam noctem aliquid ex saccharo, vel melle confectum mittit, et post illam deglutit. Item procedit de eo qui trajiceret sanguinem ex digito imbibitum, aut lacrymas ex oculis manatas; ita communiter *DD.* Et idem dicunt de eo, qui casu in flumen decidens, aut ab aliis vi sibi illatâ aquam, aut aliud potabile deglutiret (4).

38.— II. Regula est, ad frangendum jejunium requiri ut accipiatur aliquid per modum comestionis, aut potationis: quare communiter dicunt *Suar. Lug. Conc. Holz. Ronc. Escob. Croix, Elb.* (quicquid dicunt aliqui pauci) non lædere jejunium tabacum per nares sumptum, licèt aliquid illius descenderet in stomachum, ratione suprâ allatâ; quia hujusmodi trajectio non est per modum comestionis, sed attractionis; saltem ait *Benedictus XIV. de Synod.* (5), hoc est permissum propter usum universalem inter fideles receptum. Et hic obiter notandum id quod idem Pontifex refert, nempe quòd *Innoc. X.* et *Innoc. XII.* excommunicationem inflixerunt in eos qui in ecclesia Vaticana tabacum sumerent: et eamdem imposuit *Urbanus VIII.* pro ecclesiis hispanicis; sed *Benedictus XIII.* omnes istas prohibitiones abstulit (6).

(1) *Lib. 3. c. 12.* — 2 *L. 6. n. 279.* — (3) *Ibid. Dubit. 2.* — (4) *Ibid. 9. Idem.* — (5) *Lib. 11. c. 13.* — (6) *L. 6. n. 280.*

39. — Pariter tabaci fumus ore haustus non frangit jejunium, ut etiam communiter docent *Suar. Villalob. Trullench. Salm. Aversa, Holz. Viva, Croix, Spor.*, etc. cum eodem *Benedicto XIV.* (1), qui similiter testatur hanc esse hodiernam consuetudinem confirmatam cum communi DD. consensu. Limitant tamen *Salmant.* et dicunt frangere jejunium, qui ex proposito transmitteret fumum in stomachum, dicendo quod hæc esset vera comestio, dum talis fumus etiam aliquo modo nutriret; sed hæc limitatio communiùs, et probabiliùs negatur ab *Escob. Præpos. Marc. Viva, Spor. Renzi, Tamb. Diana*, etc. Et ratio est, quia fumus non sumitur nec per modum cibi, ut dicitur in tertia regula, non reverà est cibus in se comestibilis, aut manducabilis quem voluerit Ecclesia prohibere, juxta communem DD. sensum (2).

40. — Nec pariter frangit jejunium tabacum, aut aromata dentibus attrita, semper ac foras expuitur succus. Ita etiam communiter *Lugo, Holz. Bonac. Spor. Coninch. Præpos. Trullench. Salm. Viva, Renzi*, etc., adversùs *Henno* qui sustinet quod mandendo illas res, semper aliqua portio in stomachum transmittitur, quam ob rem evenit quod (ut dicit) pituita ejiciatur. Sed respondit *Cardinalis de Lugo*, quod ad pituitam ejiciendam non requiritur ut succus in stomachum descendat, sed sufficit ut tabacum ad os applicetur, nam ita immittitur in stomachum virtus pituitam ejiciendi nervis mediis, qui ad stomachum respondent. Et hoc etiam, ut dicunt *Tannerus, Lugo, Escob. Tamb. Viva*, etc., etiamsi deglutiat, sed præter intentionem, aliquid succi, salivæ inseparabiliter admixti, quia tunc non trajicitur per modum cibi, sed salivæ. Imò *Lorichius* excusat, etiamsi casu granum integrum deglutiretur; sed hoc rectè non admittunt *Bonac. et Tamb.*; secùs verò esset si deglutiretur aliqua minima particula insensibiliter immixta salivæ, quia tunc reverà per modum salivæ trajiceretur. Cæterùm omnes conveniunt hujusmodi masticationem indecentem esse ante Communionem, undè non est immunis à veniali, nisi adsit aliqua causa excusans (3).

41. — Volunt *Suar. Faqund. et Tambur.*, etc., ne frangere quidem jejunium aquam per narices in stomachum transmissam, ut de tabaco dictum est. Sed ego hoc non admitto, si quis ex proposito id faceret; et quod de aqua

(1) *De sacrif. M'sc. l. 5. app. 9. §. His suffulti.* — (2) *Lib. 6. n. 280. Dubit 2.* — (3) *Lib. 6. n. 288. Dubit. 3.*

puto, idem mihi videtur de tabaco, et de quocumque digeribili: quia licet hæc actio de se non sit potativa, nec manducativa, sed dumtaxat attractiva, nihilominus quando illa ex proposito intenditur, et ordinatur à persona ad transmittendum in stomachum potum aut cibum, tunc per æquivalentiam illa actio induit moraliter rationem potationis, aut manducationis; nam jam intercedit tam materia potabilis aut manducabilis, quàm actio apta ad consequendum eundem finem quem habet potatio aut manducatio (1). Secus verò, si casu in stomachum aliquid transmitteretur. Et idem dicunt communiter *Navar. Suar. Lugo, Habert, Concina, Ronc. Salmant.*, etc. de eo quod per modum respirationis deglutiretur, v. g. parùm pulveris à vento sparsi, aut musca, aut gutta pluviae, et hujusmodi, si hoc casu trajicitur, non frangit jejunium; sed illud frangit si datâ operâ id fiat, quia tunc vera manducatio evadit (2).

42. — III. Regula: ad frangendum jejunium requiritur ut habeat rationem cibi vel potûs. Hinc quæritur, an deglutire capillos, ungues, lapides, ligna, chartam, et similia impediât à Communionem? Alii universè negant, ut *Ledesm. Busemb. Diana, Renzi*, etc., ex regulæ mox allatæ applicatione, nempe quia hujusmodi non habent rationem cibi, saltem quia usu communi cibi non reputantur. Alii contrà universè affirmant, ut *Layman, Castrop. Wigandt, Ronc. et Salmant.* dicendo quod reverentia erga Communionem exigit ut ante illam nihil in stomachum transmittatur. Sed sententia communior, et quæ mihi magis arridet, est illa *Concinæ, Lugo, Tourn. Escob. Holzm. Vivæ, Spor.* et aliorum, quæ distinguendo dicit jejunium non frangere ea quæ digestibilia non sunt, ut sunt capilli, metallum, crystallus, ungues et serica aut lanea fila, quia hæc non nutriunt, nec cibi rationem habent. Citant adversarii pro se *S. Thomam*; sed nos ostendimus in Opere morali *S. Thomam* in hoc nostræ sententiæ non adversari, saltem non esse apertè adversum (3).

43. — Contrà frangunt jejunium omnia quæ digeri possunt, nempe illa quæ, in stomacho cum alterari possint, in hominis substantiam convertuntur, ut sunt charta, paleæ, fila linea, pulveres medicinales, cera, quia hæc ordinariè aliquid mellis retinet; et idem dicunt *Lugo, Wigandt, Escob. Viva, et Mazzotta* de terra, seu argilla quam solent comedere mulieres, dum in illa semper

(1) *Ibid.* r. *Idem.* — (2) *Ibid.* — (3) *Lib. 6. n. 281.*

(ut dicunt) invenitur aliquid in stomacho alterabile, adeoque nutritivum (1).

44. — Notandum 1. celebrare statim à cœna insomnum et indigestum non impedire à Communionem ratione præcepti jejunii, ut docent communiter *Suarez*, *Juvenin. Bonac. Sot. Nav.*, etc.: cæterum benè advertunt *Tournely* et *Concina*, cum *S. Thoma* (2), quòd aliquando convenit à Communionem abstinere ob mentis torporem, ratione cujus (ut loquitur Angelicus) *Homo fit ineptus ad sumptionem hujus Sacramenti*. Sed hoc non intelligendum cum quis, quantum potest, nititur ut à tali torpore liberetur, et ut devotè ad Sacramentum accedat, præsertim si vigilia aut indigestio provenerit ex justa, aut naturali causa, ut dicemus n. 56. in simili casu (3).

45. — Notandum 2. expuere statim à Communionem culpâ vacat, semper ac nulla suspicio subest quòd aliquod fragmentum sit relictum in ore; ita *Sanch. Azor. Bonac. Wigandt, Holzm. Croix*, ex *S. Thoma*. Idem dicit *Holzm.* de comestione aut potatione statim post Communionem, nam licèt olim ex *c. Tribus, de consecr. dist. 3.* jejunium protrahendum esset usque ad sextam, attamen ut testatur *S. Thomas* (4), hoc præceptum jam diù abrogatum est. Cæterum hoc facere sine causa, dum etiam Species sacræ perdurant in stomacho (ut per horæ quadrantem saltem pro sacerdotibus), non excusatur à veniali; ita communiter *Suar. Avers. Quarti*, et *Dicast.* ex *S. Thoma*, qui loco citato hæc subjungit: *Debet esse aliqua mora inter sumptionem hujus Sacramenti, et reliquos cibos*. Dictum est *sine causa*, quia quælibet justa causa excusat, v. g. si daretur signum mensæ pro Religioso, etc. (5).

46 -- Videamus nunc in quibus casibus possit suscipi Eucharistia à non jejuno. I. Cum Communionem datur per Viaticum in periculo mortis. Dictum est *in periculo*, quia ad recipiendum Viaticum non est necesse, nec laudabile expectare tempus, quando nulla ampliùs spes vitæ subest; sed sufficit ut adsit periculum probabile mortis. Et tunc non dubitatur à doctoribus quin possit pluries accipi Viaticum, etiam durante eadem infirmitate, dum hoc Sacramentum non solum sumi debet ob præcepti satisfactionem, sed etiam ad robur adversus tentationes, quæ in morte sunt validiores et periculosiores. Et hoc non tantum

(1) *Ib. r. Secus* — (2) 5 p. q. 80. art. 8. ad 5. — (3) *Lib. 6. n. 289. v.* Hic ultimò — (4) 3. p. q. 80. a. 8. ad 6. — (5) *L. 6. n. 285.*

si novum supeveniat periculum, sed etiam si idem perdurat; ita communiter *Sot. Suar. Tolet. Laym. Silvest.*, etc. cum *Benedicto XIV.*, qui Episcopus hortatur ut parochis insinuent, quòd ipsi Viaticum in eodem morbo ministrare debent usque ad duas aut tres vices (1).

47. — Quod dubitatur est 1. quantum intercedere debeat temporis inter unam et aliam Communionem; communius *Silvest. Concina, Tourn. Busemb. Salmant.*, etc. dicunt octo dies; alii sex, ut *Armil. Filliuc. Diana, Possev.*, etc.; et non improbabiler *Laym. Escob. Ronc.* et *Hurtadus* fidenter dicunt Viaticum posse etiam sequenti die replicari, cum infirmus solitus erat sæpè communicare; et cum imminet morale mortis periculum; imò *Castropal. Armil. Tambur.* et *Dicast.* admittunt universè posse replicari quolibet die (2).

48. — Quæritur 2. an qui paucis antè diebus ex devotione communicaverit, superveniente mortis periculo, teneatur sumere Viaticum? Alii cum sententia communiore id negant, etiamsi ante octo dies communicaverit; ita *Layman, Suar. Concina, Roncag. Bonac.*, etc., quia, ut dicunt, jam ille per eam Communionem se ad mortem præparavit, quare jam satisfecit fini præcepti. Hæc sententia est satis probabilis, saltem ut dicunt *Suar.* et *Lugo*, si periculum mortis naturaliter accidat, quia tunc tempore Communionis sumptæ jam cœpit moraliter imminere periculum. Sed probabilius affirmant *Vasq. Castr. Conc. Tourn. Habert. Diana, Salm.*, etc., quia hoc præceptum quod divinum est, præcisè obligat, cum actu urget mortis periculum; et sicut non potest debito satisfieri antequam illud contrahatur, ita nec adimpleri præceptum, antequam obligare cœperit. Nec valet dicere quòd per illam Communionem jam præcepti fini satisfactum sit, quia si hoc sufficeret, sufficeret etiam ad adimplendum præceptum paschale, ut quis communicaret die præcedente Dominicam Palmarum, sed hoc nequit dici (3).

49. — Quæritur 3. an qui mane communicavit ex devotione, debeat aut possit Viaticum sumere, superveniente mortis periculo? Tres adsunt sententiæ. Prima dicit teneri ut satisfiat præcepto. Secunda dicit non teneri, sed posse; ita *Roncagl. Gob. Anacl.*, etc. Tertia dicit non teneri nec posse, cum praxis Ecclesiæ ea sit ut nemo bis eodem die communicet. *Benedictus XIV. de Syn. l. 7.*

1 Dr *Synodo l. 7. c. 12.* — 2) *Lib. 6. n. 285. c.* Sed dubit. I. — 3) *Ibid.* Dubit. II.

c. 11. n. 2. dicit parochum posse quam maluerit harum amplecti sententiam, undè omnes tres ut probabiles habet. Cæterum inter has probabilior mihi videtur sententia *Cardinalis de Lugo*, qui distinguit, et dicit quòd in morbo violento, verb. grat., si quis fuerit vulnere percussus, vel ex alto ceciderit, potest communicare; secùs verò in morbo naturali, quia ille qui mane communicavit, et jam cœpit corripì morbo (qui diei progressu postea dignoscitur mortalis), moraliter communicavit in mortis periculo, quod jam mane aderat, licèt lateret. Et idem dicendum cum *Suar.* de apoplexia, dùm hic morbus judicatur quòd jam priùs in suis causis existebat (1). Advertendum cum *Viva* et *Salmant.* quòd si infirmus sine difficultate potest recipere Viaticum jejunos die sequenti tenetur expectare; modò interim absit periculum mortis; aut si non posset observari jejunium etiam postridie, quin omitteretur medicina opportuna: aut si Sacramentum deberet afferri intempestâ nocte. Cæterum rectè dicunt *Sot. Nav. Filliuc. Salm.* et alii communiter quòd in hoc non est scrupulosè procedendum, dùm Concilium Constantiense sess. 13. absolutè eximit moribundos à lege jejunii (2).

50. — Quæritur 4. an sacerdos ministrans Viaticum possit aliquando ex justa causa omittere verba illa: *Accipe, frater, Viaticum, etc?* Negant *Clericatus, Tamb. Quarti*, etc., quia Rituale rom. hoc expressè præcipit: et Paulus V., loquendo de rubricis in Rit. præscriptis, dicit: *Inviolatè observent.* Hoc non obstante probabiliter permittunt *P. de Alexand. (de Monialibus) Tonellius, et Pasqual.* in casu quo infirmus magnâ animi tristitiâ Viaticum sit suscepturus; nam ad satisfaciendum præcepto non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit ut ponatur opus præceptum, ut diximus *Tom. I. Tr. II. n. 29.*; aut sufficit intentio interpretativa. In quantum ad Rituale, respondent quòd illud præceptum non respicit omnia ibi descripta, sed illa tantum quæ *Ecclesia et probatus usus antiquitatis statuit*, ut loquitur Bulla. Saltem non potest dici quòd præceptum proferendi illa verba inducat gravem obligationem, sed tantum levem, à qua benè excusare potest quælibet justa causa, qualis esset illa supra adducta (3).

51. — Quæritur 5. an sacerdos non jejunos ad Viaticum ministrandum possit celebrare? Affirmant probabi-

(1) *Lib. 6. n. 285.* Dubit. III. — (2) *Ibid. v.* Hic autem. — (3) *Ibid. v.* Dubit. 4.

liter *Concina*, *Major. Fernand.*, etc.; et hanc sententiam uti probabilem admittunt *Lugo*, *Filliuc. Escob. Viva*, etc., quia in eo casu, ut dicunt, debet præferri præceptum divinum quod obligat infirmos ad Viaticum, ecclesiastico quod obligat sacerdotem ad non celebrandum non jejunum. Sed communissimè et probabiliùs id negant *Sot. Silv. S. Antonin. Suar. Lugo, Nav. Busemb. Salm. Tourn.*, etc., quia præceptum non celebrandi post cibi sumptionem etiam est divinum in substantia, ratione reverentiæ Sacramento debitæ. Nec valet dicere quòd idem præceptum quod permittit infirmo communicare non jejuno, permittit etiam sacerdoti non jejuno celebrare, ut infirmus communicet; quia respondetur quòd in tantum infirmus non jejunus potest communicare, quia in ipso concurrunt in eo casu tam præceptum ecclesiasticum jejunii, quàm divinum sumendi Viaticum, ideòque hoc, cum sit divinum, præferendum est; sed sacerdos, qui unico tenetur præcepto non celebrandi non jejunus, non potest hoc violare ut infirmus suo satisfaciat (1).

§2. — Hactenus de Viatico; nunc ad alios casus descendamus in quibus possit Eucharistia sumi à non jejuno. II. Potest sumi à non jejuno cum subest periculum ne Eucharistia pereat, aut malè tractetur. Et tunc si desit sacerdos, potest eam sumere etiam laicus; et potest licitè sacerdos etiam eam præbere laicis non jejunis, ut dicunt *Suar. Vasq. Lugo*, et *Busemb.* (2).

§3. — III. Cum periculum scandali esset, si omitteretur celebratio, aut Communio. Undè fit quòd si sacerdos in celebrando recordaretur non esse jejunus, si id post consecrationem accidat, tunc certum est quòd potest celebrationem præsequi, quia non potest Sacrificium imperfectum relinqui, ut dicemus numero sequenti; sed cum recordatur ante consecrationem, debet ille à Missa desistere, semper ac potest sine scandalo, aut infamiæ nota, ut dicunt omnes cum *S. Thoma* (3). Nihilominus *P. Concina* cum nonnullis aliis dicit hìc, quòd rarò potest hoc scandalum accidere, dum illi facili negotio occurrì potest, declarando se inconsideratè aliquid sumpsisse. Sed contrà *S. Bonav. Sot. Angel. Reginald.*, etc. dicunt sacerdotem nunquam posse Missam inchoatam deserere, cum celebrat in publico, quia quasi nunquam tunc potest sine scandalo desistere ab ea; et idem sentit

(1) *Lib. 6. n. 286. v. Quæritur, utrum* — (2) *n. 287.* — (3) *p. q. 85. a. 6. ad 2.*

Continuat. Tourn. (cui ego adhæreo), dicens quòd semper potest timeri scandalum, modò celebrans non esset vir notà, aut saltem præsumptâ probitate (1).

54. — IV. Cùm perficiendum est Sacrificium. Quod multifariàm evenire potest. I. Si sacerdos animadvertat pro vino sumpsisse aquam, etc.; tunc potest aut novam hostiam simul cum vino consecrare, ùt multi autumant fieri debere; aut potest consecrare solum vinum, ùt admittunt alii; utramque sententiam Rubrica (*de Defect. tit. 4 num. 5.*) dicit esse probabilem, si celebretur in loco publico, tunc enim benè potest consecrari tantùm vinum ad vitandum scandalum. Advertunt *Tamb. Lugo*, et *Conc.* quòd si sacerdos animadverteret errorem, dùm in ore adhuc retinet aquam, debet eam tunc deglutire, ne se periculo exponat projiciendi aliquod fragmentum Hostiæ unà simul cum illa. Insuper advertunt *Coninch. Laym. Salm. et Busemb.* quòd si sacerdos id advertit, cùm jam est ad sacristiam regressus, tunc omittere debet novam consecrationem facere. Quòd si ante Missæ absolutionem, sed post sumptionem, aut post consecrationem de vini materia dubitaret, dicunt *Tamb. Spor. Mazzotta* quòd præsumentia est materia apta, dicentes possessionem stare pro vini substantia. Sed dicunt melius *Pasq. Gob. Avers. et Croix* quòd semper ac adest prudens dubium, et potest aliud vinum haberi, debet illud expectari et consecrari, dùm non potest dici esse in possessione vinum illud de quo jam dubitatur, an sit vinum, sed potiùs possidet præceptum faciendi Sacrificium integrum. Cùm tamen adsit tale dubium, dicunt quòd secundum vinum sub conditione consecrandum est, si prima materia consecrata non fuit; alioquin etiam incurritur periculum faciendi Sacrificium mutilatum (2). II. Debet Sacrificium perfici à sacerdote non jejuno, si contingeret quòd celebrans post consecrationem deficiat, nam tunc tenetur alius sacerdos (si adest) etiam non jejunus Sacrificium perficere (3). III. Si post consecrationem alterius speciei recordetur sacerdos non esse jejunus, quia tunc tenetur perficere Sacrum. Dicitur est *post*, nam ante tenetur illud deserere, quoties sine scandalo aut infamia potest, ùt paulò antè diximus (4). IV. Si, ablutione sumptâ, advertat sacerdos aliquas reliquias ejusdem Sacrificii relictas fuisse ùt diximus n. 38. (5), dicunt *Bonac. Filliuc.* et alii quòd, cùm post sanguinis

(1) *Lib. 6. n. 287. v. 5.* Si grave, et seq. — (2) n. 288. et etiam 206. v. Quoad vinum. — (3) n. 288. ad II. — (4) *Lib. 6. n. 287. v.* Si sacerdos, et 288. ad III. (5) *Ibid. ad IV.*

sumptionem Hostiæ particula calici adhæsisset, aut palato, decentius est cum ablutione eam sumere quàm digito ad calicis labium eam attrahere, et sic eam sumere; sed Rubrica utrumque permittit. Certum est sumere Hostiam simul cum ablutione tam à sacerdote quàm à laïcis, non lædere legem jejunii, quia licèt vinum trajiceretur antequam deglutiatur Hostia, talis sumptio censetur moraliter una, ut docet *Benedictus XIV.* (1) et communiter *Lugo, Suar. Vasq. Laym. Castr. Conc. Bonac. Holzm. Croix, Salm.*, etc (2).

55. — V. Licitum est non jejuno celebrare ad mortis periculum vitandum; ita *Silvest. Viva, Diana, Salm.*, etc., modò id non exigatur in Ecclesiæ contemptum. Admittunt etiam *Silvester*, et *Diana* posse celebrari mortis metu sine vestibus sacris, extra altare, etc. dicentes præceptum Ecclesiæ non obligare cum tanto onere. Sed meritò has opiniones non admittunt *Suar. Tamb. Tourn. Merati, Roncag. Conc. Cajet. Sanchez, Castrop.*, etc.; etiamsi celebrandum esset ad dandum Viaticum, ut subjungunt *Lugo, Dicast. et Benedictus XIV.* (3), quia (ut rectè advertit *La-Croix*) in praxi contrariæ sententiæ difficulter possunt esse licitæ, dum difficulter, ita celebrando, potest vitari contemptus, ut iidem *Laym. et Escob.* fatentur, aut saltem scandalum et gravis irreverentia; itaque subintrat præceptum naturale, saltem reverentiæ debitæ Sacrificio, à quo præcepto non excusat metus mortis (4).

56. — Pro complemento hujus materiæ, nempe dispositionis ad Communionem, quæritur 1. an pollutio habita eadem Communionis die impediatur ab illa? Distinguendum: Si pollutio fuit voluntaria, absolutè loquendo, per se non impedit (modò præcesserit, intellige, debita confessio), ut omnes concedunt; communiter tamen DD. docent teneri pœnitentem sub veniali abstinere eâ die à communicando, propter reverentiam Sacramento debitam; ita *Lugo, Salm. Conc. Viva*, etc. ex *D. Thoma* (5), qui tamen excipit: *Nisi magna necessitas urgeret*; quod intelligitur, ut rectè ajunt *Bonac. Led. Gran. Salm. Viva*, et alii passim, nisi scandalum vel alia justa causa Communionem exigat, prout prudenti confessario videbitur, uti loquitur Rubrica Missalis (*de Defect. n. 9.*). Si verò pollutio fuerit involuntaria, etiam communiter docent *S. Bon. Gerson, Navarr. Laym. Soto, Suar. Vasq. Salm.* et alii plures cum

(1) *De Sacrific. Missæ l. 3. c. 17.* — (2) *Lib. 6. n. 288. ad V.* — (3) *de Sacr. Miss. l. 3. c. 7. n. 1. in fine.* — (4) *l. 6. n. 289.* — (5) *In 4. d. 9. q. 4. a. 4. q. 2. ad 2.*

Rubrica loco cit. nullam esse obligationem abstinendi à Communionem; modò nulla fuerit relicta et adhuc perseveret perturbatio mentis orta ex delectatione antè habita, vel ex turpi imaginatione pollutionem concomitante; cum hujusmodi enim perturbatione accedere, communiter non excusatur à veniali, nisi adsit aliqua justa causa necessitatis, aut devotionis, ut rectè limitant *Castrop. Sanch. Gers. Laym. Holzm. Salm.* et alii cum *D. Thoma loco cit.* ubi ait: *Si necessitas immineat, vel devotio exposcat, talis non impeditur.* Vel nisi homo conetur, quantum potest, perturbationem illam repellere, et media adhibere, ut devotè accedat, prout rationabiliter docent omnes AA. mox suprà relati cum *P. Suarez*, qui pro hac re affert *S. Justinum* dicentem: *Non est æquum propter hanc involuntariam passionem abstinere à Mysteriis* (1).

§7. — Quæritur 2. an copula conjugalis à Communionem impediatur? Quidquid aliqui dicant, communiter DD. tradunt non excusari à veniali propter indecentiam, qui ad Eucharistiam accedit eadem die quâ copulam habuit causâ voluptatis; ita *S. Thomas* (2) ex *D. Gregorio in c. Vir 7. causa. 3. q. 4.* qui ait: *Cùm verò non amor ob procreandas soboles, sed voluptas dominatur in opere, tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum.* Rectè verò dicunt *Sanch. Antoine, Salmant* cum aliis, quòd à prædicta culpa excusat quævis causa honesta, putà solemnitas sive indulgentia eadem die occurrens, evitatio scandali aut notæ, specialis devotio, etc. Si autem copula fuerit absque culpa v. gr. ad prolem gignendam, tunc quamvis sit congruum, ad aliam diem Communionem differre, nulla tamen est obligatio ab illa abstinere; quia procreatio sobolis, cum sit actus omninò honestus, satis reparat indecentiam, ut communiter dicunt *S. Thomas loco cit. Lugo, Sanch. Conc. Petrocor. Salm.*, etc. ex *D. Gregorio* suprà relato. Nec obstat textus in *c. Sciatis, caus. 33. q. 4.* ubi *D. Hieronymus* docet abstinendum; nam respondet *Angelicus* (3) ibi sermonem fieri tantum de altaris ministris conjugatis, quales sunt Græci (4). Item communiter docetur de conjugè red-dente debitum, nempe quòd iste tantum causâ consilii abstinere potest à Communionem, sed non tenetur; ita *S. Thom. S. Bon. S. Antonin. Albert. M. Dion. Carthus. Sotus. Palud. Suar.*, etc. Et sic pariter docuit *S. Franciscus Salesius* (5) sic dicens: *Deo displicebat in veteri Lege.*

(1) *Lib. 6. n. 272.* — (2) *5. p. q. 80. art. 7. ad 2.* — (3) *In 4. dist. 32 q. 1. a. 1. ad 1.* — (4) *L. 6. n. 275.* — (5) *Introduct. ad vitam devot. p. 2. c. 20.*

ut creditores quod sibi debebatur, diebus festivis exigerent, sed numquam prohibuit quominus debitores debitum suum redderent. Indecens est debiti matrimonialis solutionem die Communionis adurgere; sed inconveniens non est, imò meritorium est reddere. Hinc est quòd ut reddat hoc debitum, non debet quis Communionem privari, si eam exposcit. Certum est quòd in primitiva Ecclesia fideles quolibet die communicabant, licèt essent matrimonio ligati, et benedictione filiorum generationis donati essent. Idemque videtur clarè docuisse adhuc D. Augustinus (super Psalm. 149 n. 14. in fine.) dicendo: Si non exigis, redde; pro satisfactione perfecta Deus tibi computabit, si reddis quod debetur uxori. Et reverà si redditio debiti conjugalìs est actus virtutis, cur à Communionem impediatur (1)? Hinc si confessarius rogatur ab uxore, quid agere debeat, si in die Communionis vir debitum ab ipsa petat? Sapienter docent Suarez, Layman, et Sanchez, respondendum, quòd si mulier frequenter Communionem suscipit, reddat, et communicet; si autem rarò, ipsa virum precetur ut pro illa die abstineat; at si rogatio non proficit, adhuc communicet, nisi eà redditione magnam patiatur perturbationem, et ipsa non conetur repellere (2). Debitum autem reddere in die Communionis post ipsius acceptionem excusatur ab omni culpa. Petere verò post Communionem, alii dicunt esse veniale, et quidem probabiliter, nisi justa subsit causa, sed communius Sanch. Navar. Victor. et Tamb. sentiunt id esse tantum consilii (3).

58. — Ad corporis dispositionem etiam spectat ad Communionem non accedere cum aliqua externa immunditia notabili, et quæ facilè auferri potest, quia si est occulta, aut perpetua et involuntaria, ut esset lepra, aut scabies, hæc non impedit, ut dicunt DD. communiter. Notandum tamen quòd sacerdos leprâ fœdatus, aut alio morbo laborans qui horrorem affert, prohibitus est celebrare, ut dicitur in c. Tua nos, de Cler. ægrot., pro scandalo, et abominatione populi ut loquitur textus, quare hic secretò benè potest celebrare (4). An mulieres tempore menstrui valeant communicare? Ait Suar. has sub veniali teneri ad differendam Communionem, si commodè possunt; sed communiter, et probabilius hoc tantum esse consilii putant Palud. Alens. Castrop. Salm. et Laym. ex S. Gregorio (apud Laym.), qui de hujusmodi muliere loquens sic dicit: Si ex veneratione magna percipere non

(1) Lib. 6. n. 274. — (2) Ibid. v. Quid autem. — (3) Lib. 6. n. 274. r. Die autem. — (4) n. 275.

præsumit, laudanda est; sed si percipiat, non judicanda. Mulieribus quæ immodestè ad Communionem accedunt, v. g. denudato pectore, benè dicit *P. Concina* quòd Communio deneganda est. Insuper convenit ut qui communicat, arma deponat (1). Item notandum quòd sacerdos qui more laïcorum communicat, aut ex infirmitate aut ex alia causa, debet habere ad collum stolam; et hoc præceptum fuit à Concilio Bracarensi sub pœna excommunicationis, ut in *can. Ecclesiastica 9. dist. 23.*; sed dicunt *Azor. Turr. et Tamb.* tale decretum abiisse in desuetudinem. Nihilominus communiùs, et rectiùs *Suar. Gavant. Bonac. et Barb.* non eum damnant de peccato mortali, sed de veniali; tantò magis quòd talis ritus expressè præscribitur à Rubrica: *Sacerdotes verò cum stola communicent* (2).

CAPUT IV.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Videnda quæ dicentur in examine Ordinandorum in Tomo III. in append. III. *Licitum est recipere stipendium etiam divitibus 59. Qui pro una Missa recipit duplex stipendium 60. Quodnam judicator justum stipendium 61. Potest exigi majus taxâ, sed potest prohiberi minus: an qui accepit minus, possit diminuere Missas 62. Qui omittit celebrare Missam, quam promisit pro parvo stipendio 63. Qui paciscitur de stipendio 64. Qui retinet sibi partem; aut celebrat per alium, collato ei minori stipendio; et cui restituenda est pars retenta 65. Si eleemosyna pinguis data est intuitu personæ 66. De capellanis 67. De administratoribus ecclesiarum 68. Si celebrans partem retentam remittit; et si executor testamenti, etc. 69. Qui colligit eleemosynas, etc. 70. Qui permutat Missas 71. Pro quo debeant applicare Missas curati 72. Pro quo alii beneficiati, et capellani Monialium, etc.; et un aliquando possint applicare pro aliis, aut abstinere. Si infirmantur, etc. De Missa conventuali 73. An Missæ præscribantur 74. An capellanus possit mutare ecclesiam, altare, etc. Si non celebrat in altariat privilegiato. Si celebrat per alium 75. De reductione 76. Deficientibus redditibus, an possit Episcopus diminuere Missas 77. An possit hoc facere capellanus. De Missis gregorianis 78. An Religiosus possit applicare contra voluntatem Prælati 79. An sufficiat applicatio habitualis 80. De applicatione in confuso 81. De conditionata 82. Si in die Defunctorum, etc. De altari privilegiato 83. Peccat graviter qui festinanter celebrat 84. ad 86. De resolutionibus sacræ Congregationis Rituum 87. Catalogus Decretorum Sacræ Congregationis 88.*

59. — De Eucharistia ut Sacrificio fusiùs in *examine Ordinand. append. III. ex n. 95. seq.*; dumtaxat hìc adno-

(1) *Ibid. v. An verò.* — (2) n. 276.

tabimus nonnulla magis peculiaria circa stipendium et circa Missæ applicationem. Et primò circa stipendium dicimus, quòd recipere stipendium pro celebranda Missa sit licitum, nemo est qui dubitat, dùm S. Thomas dicit (1): *Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium Consecrationis, sed quasi stipendium suæ sustentationis.* Et quia etiam divites mercede digni sunt, cùm aliquod opus ponunt pretio dignum, ideòque etiam sacerdotes divites licitè exigunt stipendium, ut communitè (contra Cajet. et Silv.) docent Sotus, Gerson. Suar. Tommassin. Lugo, Tourn. Conc. et alii (2). Quòd autem non sit simonia principaliter Missam celebrare ob stipendium, locuti fuimus, Tom. I. Tr. IV. n. 45. et negavimus ratione ex S. Thoma superius allata, quia tale stipendium non recipitur ut merces rei spiritualis, sed ut sustentatio personæ, quæ operam suam corporalem in Missæ celebratione impendit.

60. — Adnotandæ 1. duæ propositiones ab Alexandro VII. proscriptæ, prima n. 8. dicebat: *Duplicatum stipendium votest sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.* Et ratio est hujus proscriptionis, quia applicatio fructûs specialissimi est nimis incerta; nam licèt multi DD. id admittant, multi tamen negant, ut Laym. Lugo, Suar. Vasq. Tambur., etc. Secunda propositio quæ est 10. dicebat: *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmatâ, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.* Et ratio hujus proscriptionis est, quia licèt probabilis sit sententia Gonet, Habert, Petroc. Pignatel. Tourn. Cani, Salm., etc., et pro ipsis est etiam S. Thomas (3), quòd Missa sit valoris infiniti tam intensivè quàm extensivè, quia Sacrificium altaris est idem ac illud Crucis, qui fuit valoris infiniti; et in tantùm effectus est finitus, quia finita est hominis capacitas pro quo offertur, undè quisque pro sua capacitate percipit fructum; hoc non obstante, etiam probabilis est sententia opposita S. Bon. Scoti, Pallud. Ronc. Soti, etc., qui dicunt Sacrificium esse valoris finiti tam intensivè, quàm extensivè, ita ut cùm applicatur pluribus, minùs prodest unicuique, quàm cùm applicatur pro uno solo (4).

(1) 2. 2. q. 100. a. 2. ad 2. — (2) *Ltb.* 6. n. 316. et 317. — (3) 3. p. q. 79. a. 5. — (4) *Ltb.* 6. n. 312. v. Hic autem.

61. — Notandum 2. quòd taxa justì stipendii Missæ non debet computari quantum est victus diei, ut dicunt *Caj.* et *Sotus.*, dum sacerdos in celebranda Missa non insumit nisi minimam diei partem; sed est illa quæ determinatur aut à Synodo diœcesana, aut à consuetudine, aut ab Episcopo loci, ut dicunt communiter *Suar. Busemb. Conc. Tamburin.* etc., et sic declaravit sacra Congregatio (1) Et huic taxæ tenentur stare etiam Regulares, ut etiam dicunt communiter *Vasq. Mol. Conc.* et *Viva* cum alia declaratione S. C. (2). Quapropter rectè dicit *Roncag.* quòd si testator reliquit Missas celebrandas, non taxatâ eleëmodynâ, celebrandæ sunt ad taxam communem, aut taxandæ sunt juxta loci consuetudinem, prout etiam declaravit S. C. habitâ ratione hæreditatis pinguis aut tenuis (3).

62. — Notandum 3. quòd quamvis sacerdotes non possint exigere stipendium majus taxâ, nihilominus non prohibet consuetudo, nec prohibere potest Episcopus quominus recipiatur majus solito, si spontaneè eis offertur, ut rectè dicunt *Less. Lugo, Suar. Bonac.* cum Decreto S. C. (4). Contrâ benè potest Episcopus prohibere ne acceptetur stipendium minus justo pretio, saltem infirmo, quod nostris regionibus est valor Caroleni sive Julii, ut declaravit S. C. Conc. et docent *Suar. Bonac. Ronc. et Lambertini Notif. 56. num. 11.* contra *Sot.* et *Navar.*, qui pro se citant *S. Thom* (5). Et in casu quo Episcopus prohibet, tenentur subditi obedire, esto *Soti* opinio esset probabilis; nam in dubio an Superior excedat nec ne suam potestatem, tenentur subditi obedire (6); vide dicta *Tom. I. Tract. XIII. n. 17. ad notand. 5.* In casu tamen quo sacerdos acceptasset illud tenue stipendium inferius justo (quicquid dicant nonnulli auctores), non potest ipse diminuere numerum Missarum, nec applicare unam Missam pro duobus, qui medietatem stipendii pro qualibet Missa obtulissent, ut decrevit Innoc. XII. in sua Bulla *Nuper*, confirmante Decretum S. C. editum jussu Urbani VIII. (vide n. 88. *Decret. II.* in calce hujus Tractatûs). Hoc tamen intelligitur, cum sacerdos acceptat celebrare certum numerum Missarum pro tali stipendio; secùs autem cum non advertit eleëmodynæ tenuitatem, ut animadvertunt *Laym. Barbosa, Ronc. Tourn.*, etc. Sacerdos autem qui promittit hæredi statim se celebraturum Missam pro testa-

(1) *Lib. 6 n. 319.* — (2) *n. 520.* — (3) *Ibid.* Dubit. 5. — (4) *Ibid.* Dubit. 2. — (5) 2. q. 100. a. 3. — (6) *Lib. 6. n. 520.* Dubit. 3.

tore, habitâ ei fide de stipendio, tenetur celebrare ante solutionem; *Salm. Tapia, Villalob.*, etc. (1).

63. — Sed restat dubium an qui promittit unam Missam pro tenui stipendio, peccat graviter si eam omittat? Negant *Castrop. Sporer, Salm.*, etc., habita ratione stipendii quod n. r. est materia gravis; sed probabilius affirmant *Croix, Holzm. Ronc.*, etc., quia in hoc non tantum attenditur stipendii valor, quantum damni gravitas quod proximo infertur, eum privando injustè (propter pactum conventum) fructu Sacrificii. Secus autem dicunt alii AA. cum *Suar. Sanch.*, etc. si Sacrum fuerit gratis promissum, ex sententia probabili, ut diximus *Tom. I. Tract. X. n. 127.* quod simplices promissiones non inducunt gravem obligationem (2).

64. — Notandum 4. benè licere sacerdoti pacisci de stipendio Missæ, cum illud est juxta taxam, aut consuetudinem; ita communiter *Less. Laym. Castrop. Sol. Ronc. Salm.* contra *P. Concinam*; quia licet stipendium non debeatur ex justitia, ut pretium Sacrificii, debetur tamen ex justitia ut sacerdotis sustentatio, ideòque benè potest deduci in pactum. Nec obstat *c. fin. de pactis*, ubi videntur prohiberi omnes pactiones circa spiritualia, quia hoc intelligitur (ut benè respondet *Ronc.*) de solis pactis illicitis, cum dicatur ibi: *Nam pactum turpe, vel rei turpis nullam obligationem inducit.* Et reverà hæc pacta reprobantur à Tridentino (*Sess. 22. Decr. de observ. in celebr. Miss.*) circa eleemosynas Missarum, dum ibi præcipitur Episcopis ut prohibeant *importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones*: dicitur *illiberales*, nempe illæ quæ sponte non sunt oblatae, sed importunè extortæ (3).

65. — Notandum 5. quod si quis recipit eleemosynam pro Missa, non potest eam dare aliis celebrandam, retentâ sibi stipendii parte. Hoc posito cum Decreto S. C. Concilii approbato ab Urbano VIII. et confirmato ab Innoc. XII. (vide *num. 88. Decret. III.*); deindè damnata fuit ab Alexand. VII. hæc prop. 9. quæ dicebat: *Post Decretum Urbani potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.* Et hoc dicebant hi auctores falsò supponentes Decretum Urbani non fuisse acceptatum. Novissimè autem Benedictus XIV. 30 Junii 1741. in sua Bulla *Quanta cura*, imposuit suspensionem ipso facto reser-

(1) *Lib. 6. n. 320. v. Casu autem* — (2) *n. 317. Quær. III. et IV.* — (3) *n. 320. Dubit. 4.*

vatum Pontifici in clericos, et excommunicationem papalem in laicos qui hoc agerent. Dicebant autem nonnulli DD. quòd sacerdos qui hoc facit, licèt peccet, non tenetur ad restitutionem partis retentæ: ita *Suar. Navarr. Vasq. Bonac.*, etc.; et *Viva* dicit eam opinionem non carere probabilitate, dùm qui recipit stipendium, jam acquisivit dominium, et contrà jam satisfecit celebrationi per alium; sed hæc opinio post præfatam propositionem damnatam videtur non posse sustineri, ideòque post præfatam damnationem communiter dicunt *Vidal. Coreglia, Croix, Sporer, Holzm. Conc. Tourn.* et *Mazzotta* quòd sacerdos tenetur ad restitutionem; quia licèt acquirat eleëmodynæ dominium, attamen illud acquirit juxta voluntatem eorum, qui dant eleëmodynâ; et qui eleëmodynâ præbet, non solum petit Missam, sed etiam vult ut illa tali eleëmodynâ celebretur, nam majus stipendium facit ut ipse uberiorem fructum ex Sacrificio percipiat; itaque hæc intentio intrat in contractûs substantiam, ideò si sacerdos partem stipendii retinet, injustè contra dantis voluntatem retinet (1). Præterea advertendum quod dicunt *Croix, Pasqual. Conc.* et *Viva*, quòd si quis dat eleëmodynâ pinguem sacerdoti, quia eum singulari pietate virum habet, sacerdos non potest alii Missam celebrandam dare, qui simili pietate non habetur, licèt integrum stipendium ei præbeat. Dicunt tamen *Croix*, et *Concina* quòd hoc non est damnandum sub gravi, nisi cùm judicaretur hoc graviter latum iri ab offerente (2). Cuiam autem faciendâ sit restitutio partis stipendii retentæ, *Croix, Pasqual.* putant posse fieri tam ipsi offerenti quàm celebranti. Sed probabiliùs dicunt *Sporer, Holzm* et *Tourn.* quòd fieri debet ipsi celebranti, quia cùm transfertur ad ipsum onus celebrandî, transfertur etiam jus ad integrum stipendium juxta voluntatem offerentis (3).

66. — Igitur cùm recipitur eleëmodynâ pro Missa, debet illa integrè exhiberi celebranti; sed excipitur primò si illud stipendium majus daretur alicui, non solum ratione Sacrificii, sed etiam intuitu personæ, conjunctionis, gratitudinis, aut paupertatis, et hujusmodi. Et non est necesse ut offerens eleëmodynâ hoc exprimat, sed sufficit ut ex circumstantiis hoc moraliter constet, ut communiter dicunt *Passer. Mendo, Ronc. Dicast. Viva*, et alii (4).

67. — Excipiuntur 2. capellani beneficiati, qui pos-

(1) *Lib. 6. n. 322.* — (2) *n. 321. v.* Hic autem. — (3) *Lib. 6. n. 322. r.* Cui autem. — (4) *n. 321. v.* Ab hac.

sunt aliis celebrationem Missarum beneficii committere, tradito eis consueto stipendio; ita communiter DD., et patet ex approbatione ejusdem Innoc. XII. in cit. Bull. *Nuper*, *ibid.* v. *Excipitur* III. Et hoc idem licet capellano amovibili, ut dicunt *Lugo*, *Ronc. Holzm.* etc., et ita declaravit S. C. Conc. (vide n. 88. *Decret.* IV.). Idem dicunt *Viva*, *Croix*, *Gob.*, etc. de sacerdote cui commissa est celebratio Missæ perpetuæ. Idem quoque dicunt *Ronc. Passer. Tamb. Ric.* et alii de sacerdote qui celebraturus pro aliquo pingui legato, quod ei relictum est cum onere celebrandi Missas pro tota vita ejus Ratio est quia omnia Decreta huic adversantia loquuntur tantum de Missis manualibus (1).

68. — Advertendum tamen quod præfata exceptio valet pro capellanis, non autem pro administratoribus ecclesiarum; nam isti nihil sibi possunt retinere ex stipendio Missarum, et nec pro expensis in Missarum celebratione faciendis, nisi alios ecclesiæ non haberent redditus (2). Vide Decretum S. C. confirmatum ab Innoc. XII. n. 88. *Decret.* V. Et hic obiter advertendum quod idem Innoc. XII. in præfata Bulla *Nuper*, ann. 1697. præcepit omnibus ecclesiarum administratoribus, ut expositam haberent tabellam Missarum tam perpetuarum, quam ad tempus (3).

69. — Nonnulli DD. excipiunt etiam casum, in quo sacerdos, cui committitur celebratio, sponte omnino remitteret stipendii partem; ita *Tournely*, *Ronc. Viva*, etc. Sed hæc opinio non est amplius sustinenda post præfatam Bullam Benedicti XIV. ubi idem declaravit: *Non posse* (sunt verba Pontificis) *alteri stipendium minoris pretii erogare, etsi eidem sacerdoti celebranti se majoris pretii eleemosynam accepisse indicasset* (4). Et ita nec est probabilis opinio *Tamb.*, qui dicit quod executor testamenti, si Missas relictas à testatore celebrandas curaret alibi, ubi taxa est minor, posset sibi retinere superfluum, quia tunc excessus ille est fructus suæ industriæ. Sed hoc communiter reprobatum à *Viva*, *Diona*, *Ren. Ronc. Conc.*, quia executor nullum habet titulum quo superfluum sibi possit retinere, dum ille nunquam acquisivit dominium stipendii (5).

70. — Quæritur 1. an sacerdos colligens eleemosynas pro Missis, possit aliquid retinere ob laborem suum? Negat *P. Concina*, ex eo quia Benedictus damnavit eum qui sti-

(1) *Ibid.* v. *Idem.* — (2) n. 322. Dubit. 5. — (3) *Vid. Instr. Conf. Nov. part. 2. n. 406.* — (4) *Lib. 6. n. 321. v. Excipiunt II.* — (5) n. 322. Dubit. 2.

pendiæ majoris pretii colligens, Missas, retentâ sibi parte, celebrari fecerit. Nihilominus non improbabiler affirmit *P. Viva*, semper ac merces illa respondeat labori, et Missæ non sint traditæ ut celebrentur ad ipsomet, dum hæc merces est justa, et juxta offerentium voluntatem. Nec obstat quod dicitur in eadem Bulla, quia hoc intelligitur prohibitum, cum quis consultò ad eleemosynas colligendas circumferretur, ut sic turpem faceret quæstum ex Missarum majoris pretii collectione, ut celebrari faceret minori pretio; secus verò cum designatus ad id fuisset ratione officii (1).

71. — Quæritur 2. an sacerdos qui hodie accipit pinguem eleemosynam ut celebret, possit efficere ut alius celebret pro seipso, promittens die crastino se celebraturum pro illo, qui die crastino celebraturus esset pro eleemosyna ordinaria; at die crastino ille pro Missa quam istius nomine celebrare deberet, offerret stipendium ordinarium ipsi ut celebret ipsemet? Affirmant *Croix*, et *Mazzotta*, quia hic, ut dicunt, non retinet partem pretii, sed permutat Missas, et dies. Sed ego in hoc adhæreo *P. Concinae* qui id non admittit, dum videtur talis permutatio involvere turpem quæstum; nihilominus rectè non adhæret, prout nec ego adhæreo ei, qui hoc de gravi damnaret, præsertim si paupertas excusat (2).

72. — Notandum 6. loquendo de beneficiatis, pro quo teneantur applicare Missas. Circa parochos olim diversæ circumferebantur sententiæ, sed hodie per Bullam Benedicti XIV. *Cum semper*, 19. augusti 1744. statutum est parochum teneri applicare Missam pro populo in omnibus dominicis, et festis diebus (comprehenduntur etiam dies festi, in quibus Papa dispensavit opera servilia), et licet congruam non haberent sustentationem. Declaravit contra quòd si parochia redditus uberes haberet, non tenetur, (ut alii volebant) applicare sæpius Missam (3); vide dicta *Tom. I. Tr. VII. n. 29.*

73. — Loquendo de aliis beneficiatis non curatis, isti, quoties in beneficii fundatione non exprimitur, quòd ipsi teneantur applicare pro fundatore, tenentur pro eo celebrare, ut declaravit S. C. Conc. (4). Et idem dicitur de capellanis confraternitatum, et Monialium qui celebrant ad hoc ut confratres, aut Moniales Sacro intersint: isti

(1) *Ibid.* Dubit. 3. — (2) *Lib. 6. n. 322.* Dubit. 4. — (3) *n. 324. v. Quær. II. et 325.* — (4) *n. 324. v. Quær. I.*

etiam pro illis tenentur celebrare; vide n. 88. *Decret. VII. Nihilominus Lezana, Homob. Filib. Diana, Stephan. Salm.* et alii communissimè concedunt capellano posse quater, aut septies in anno celebrare pro anima sua, aut alicujus sibi strictè conjuncti, aut amici charissimi, aut benefactoris; quia in hoc præsumitur consensus fundatoris; modò nullum accipiat stipendium, ut benè advertunt *Bonac. Gobat. Holzm. Pasqual. Elbel, Diana, Salmantic.* et alii communiter; quia hoc esset contra mentem fundatoris. Præterea dicunt *Suar. Azor. Bonac. Silvest. Salm. Busemb.*, etc. posse capellanum reverentiæ causâ abstinere à celebrando semel in hebdomada, ut deducitur ex *cap. Significatum, de præbendis*, ubi dicitur quòd capellani tenentur quotidie celebrare, *salvâ honestate, et debitâ devotione.* Hoc tamen dicunt *Lugo*, et *Salm.* cum aliis communiter, non intelligi, cum obligatio dirigitur ad celebrationem in aliqua ecclesia, v. g. si fundator dicat: *Volo ut in tali ecclesia quotidie celebretur Missa*; sed intelligi tantum cum obligatio dirigitur ad ipsum sacerdotem; et intelligi etiam, ut dicunt *Gobat, Tambur.*, et *Ronc.* cum non constat de contraria fundatoris mente; quia si in fundatione exprimeretur ut quotidie celebretur Missa à capellano, aut ab aliis, tunc rectè dicit *Ronc.* quòd nullo die potest omitti Missa, et affert declarationem sac. Congregat. (1). Si verò capellanus infirmaretur, cum infirmitas est brevis, communiter dicunt *Lug. Lezan. Riccius, Diana, Busemb.* et *Salm.* quòd non tenetur celebrare per alium, modò fundator non expresserit ut nunquam alicubi Missa deesset, ut suprâ dictum est. Quænam autem infirmitas dicatur brevis; alii nimis rigorosè dixerunt esse illam quæ per decem dies non durat. Alii communius extendunt ad 15, ut *Bonac. Anacl. Diana*, et *Elbel*; pro hoc etiam adest *Declar. S. C. Conc. apud Pitton.* Alii extendunt ad mensem, ut *Laym. Hurtado*, et *Salm*; et in hoc etiam convenit *Concil. VII. Mediolanense (Tit. de Miss.)*, ubi dictum fuit: *Si capellanus saltem per annum celebravit in aliquo loco, si etiam per mensem ægrotet, adhuc integram eleemosynam judicio Episcopi accipere potest.* Et denique *Lugo, Nav. Filliuc. Dicast Nald. Leand.* extendunt usque ad duos menses, et adhæret *P. Concina*, et probabilem vocant *Castrop. Dicast. et Busemb.* (2). Notandum hic obiter Missam conventualem, quæ quotidie celebratur à clero, debere applicari pro benefactoribus in genere uniuscujusque ecclesiæ, ut præcepit *Benedictus XIV.* (3).

(1) *Lib. 6. n. 352.* — (2) *n. 335.* — (3) *n. 326.*

74. — Dicunt autem *Laym. Navar. Tambur. Pasqual. et Gobat.* qui affert Decisionem Rotæ rom., posse præscribi tam circa numerum Missarum, quàm circa circumstantias appositas in fundatione, et dicunt sufficere spatium 20. aut 30. aut ad summum 40. annorum. Sed juxta veriorrem sententiam talis præscriptio non admittitur, dùm in Tridentino *sess. 23. c. 2. de reform.* interdicitur posse derogari omnibus oneribus injunctis, tam in fundatione, quàm in quacumque alia pia dispositione, sive collatione beneficiorum; et Pius IV. in Bulla quâ confirmavit Concilium, declaravit irritum quicquid in posterum contra illud factum fuerit, et ut dicit *Croix* cum aliis communissimè, clausulam Decreti irritantem ligare etiam ignorantes, et in causis beneficialibus inficere titulum, et possessionem. Saltem dicimus in praxi primam sententiam cum difficultate posse esse probabilem, dùm difficulter in beneficiatis potest præsumi bona fides, cum præsumatur potius quòd ipsi sciant leges beneficii (1).

75. — Peccat igitur capellanus, qui non celebrat omnes Missas præscriptas à fundatore, aut si non celebrat in ecclesia, aut altari, aut horâ destinatâ, ut communiter *Lugo, Azor. Navarr. Tourn. Salmant., etc.*; et peccat lethaliter (ut dicunt) si in hoc sæpè, et sine causa, aut sine dispensatione, delinquit. Dictum est primò sæpè, quia non peccabit graviter, si hoc rarò fiet, v. g. semel, aut bis in mense, et tantò minùs si permutabit tantum altare. Dictum est 2. *sine causa*, quia potest adesse causa quæ omnino excuset, ut si ecclesia restauretur, aut si altare sit execratum. Dictum est 3. *sine dispensatione*, quia Episcopus benè potest dispensare, ut alibi celebretur causâ studii, infirmitatis, negotii, aut magnæ molestiæ ipsam ecclesiam adeundi, aut causâ utilitatis ipsius ecclesiæ, aut simili rationabili causâ, ut dicunt communiter *Castrop. Conc. Barbos. Ronc. Passer. Henriq. Busemb. Croix, Salm. Tamb. Mazzotta, etc.* Ratio est quia tali dispensatione omititur fundatoris voluntas tantum in accidentalibus, et compensatur cum majori bono, cujus causâ dispensatio intercedit; tantò magis quòd Tridentinum *sess. 25. c. 4.* concedit Episcopis in certis casibus particularibus ultimâs voluntates commutare posse: vide *Tom. III. Tract. XX. num. 60.* Nihilominus rectè advertunt *Croix* et *Pasqual.* non posse Episcopum dispensare, si testator in designandâ ecclesia, et hora, rationem specialem habuisset ad po-

(1) *Lib. 6. n. 329.*

puli commoditatem (1). Cæterum animadvertendum plura adesse Decreta S. C. Conc. apud *Ferrar.* (2), ubi dicitur semper pro hujusmodi dispensatione recurrendum Sedi apostolicæ. Si autem sacerdos celebraturus esset in altari privilegiato, et alibi celebraret, dicit *Roncagl.* teneri ad restitutionem, si eleëmosyna esset pinguis, non autem si esset ordinaria; et nec si alibi lucraretur indulgentiam plenariam applicabilem pro defunctis, ut dicunt ipse *Roncaglia*, *Anacl. Sporer*, *Elbel*, etc. Advertunt hic tamen *Azor. Bonac. Navar. Diana, Salmant.*, etc. quod non satisfacit qui in alio altari non privilegiato celebrat, applicando indulgentias calculorum, aut imaginum benedictarum, quia hæ indulgentiæ non sunt tam certæ, quàm sunt illæ altarium (3). Peccat etiam capellanus, si per seipsum non celebrat, cum ita in fundatione est expressum: aliàs semper potest per alium celebrare, ut rectè dicunt *Salm. Dicast. Diana cum Campanile*, et de hoc adest decisio Rotæ, et declàrationes S. C. (4).

76. — Notandum 7. quod reductio sive moderatio, aut commutatio onerum Missarum in fundatione impositarum, hodie est interdicta Episcopis, ex Decreto S. C. Concil. jussu Urbani VIII, edito, et confirmato ad Innoc. XII. vide n. 88. *Decr. VIII.* Et facultas data à Tridentino *sess. 25. c. 4. de reform.* ut explicatur in præfato Decreto (quicquid dicant *Salmanticens.*) fuit tantum concessa ad moderandas Missas in fundatione impositas ante Concilium; itaque hodie reductio reservata est uni Sedi apostolicæ, quæ eam admittere solet ex justis causis, v. g. ob sacerdotum penuriam, ob stipendii tenuitatem, ob reddituum diminutionem, ob Ecclesiæ, aut monasterii fabricam, aut ob alias necessitates (5).

77. — Sed hic quæritur 1. an possit Episcopus diminuere numerum Missarum, cum ob reddituum tenuitatem non reperitur qui eas celebrandas assumat. Affirmant *Pasqual. Tambur. La-Croix*; sed negat *P. Concina* ex pluribus Decretis S. C. quibus vetatur Episcopis tam reducere, quàm moderare onera Missarum. Hoc non obstante dicit *Fagn. cum Felin.* hoc debere intelligi cum in fundationis limine jam poterat præfatis oneribus satisfieri ex redditibus tunc constitutis; sed in casu quo in principio sufficiebant, sed deinceps reditus sunt ita diminuti ut omninò non sufficiant, tunc dicit videri non esse Episcopis ablatam talem

(1) *Ibid.* — (2) *Ferr. Bibl. tom. 2. v. Capellania. n. 14.* — (5) *Lib. 6. n. 329.*
 . Notand. II. — (4) n. 350. — (5) n. 331.

potestatem moderandi, aut permutandi numerum Missarum, concessam ipsis de jure communi in *c. Nos quidem, de Testam.* (1), et idem dicit *Pasqual.* de oneribus officiorum, precum, aut eleemosynarum anniversariis annexarum, dicens quod prohibitio loquitur de reductione tantum Missarum (2).

78. — Quæritur 2. an deficientibus redditibus, possit ex se ipso capellanus diminuere numerum Missarum, cum redditus in totum et sine sua culpa deficient? Certum est quod capellanus non tenetur celebrare, juxta sententiam communem, et plura decreta S. C. (3). Si autem redditus deficient in parte; *Escobar.* etiam pro certo habet posse capellanum diminuere numerum Missarum, cum testator determinavit eleemosynam, v. g. binos julios in Missam, quia tunc sicut auferit deberet numerus missarum, augescentibus redditibus, ita debet diminui, iis deficientibus. Majus dubium est an capellanus posset diminuere numerum, cum testator Missarum designavit numerum, et postea redditus diminuti sunt usque ad deficientiam etiam stipendii ordinarii? Negant *Tamb. Diana, Castrop. Mazzot.* etc., tam ex Decreto Urbani superius relato, quam ex alio Decreto apud *Croix*, ubi dicitur quod etiam in tali casu recurrendum est ad Sedem apostolicam, licet *legatum sit ita tenue* (sunt verba Decreti) *ut non sit qui velit onus illi injunctum subire.* Sed hoc non obstante, dicunt *Busemb. Franc. de Lugo, Escob. Bordon. Pasqual.* et alii apud *Ronc.* qui id probabile putat, hoc esse juxta testatoris mentem, qui non præsumitur voluisse obligare capellanum ad celebrandum pro stipendio minori justo. Sed ad vitandum omne allucinationis periculum, advertit *Roncagl.* generaliter loquendo, ut recurratur ad Episcopi judicium (quod necessariò requirunt in hoc casu *Croix* et *Tournel.*), aut saltem ad alium virum sapientem. Respondent autem *Ronc.* et *Pasqual.* ad Decreta opposita, quod hæc non esset reductio, et moderatio stabilis reservata Sedi apostolicæ, sed tantum cessatio obligationis juxta reddituum deficientiam; nam Decreta loquuntur juxta mentem Tridentini *sess. 25. c. 4. de reform.*, ubi non loquitur de redditibus diminutis, sed de solis eleemosynis in principio pro Missis celebrandis designatis, quas pro stipendii tenuitate non reperiuntur facillè qui celebrent. Quicquid sit de hac opinione, rectè advertit *Tamb.* quod si capellanus de præterito accepisset stipendium ordinario majus, te-

(1) *Ibid.* Dubit. 1. — (2) *Lib.* 6. n. 531. Dubit. 3. — (3) n. 224. v. Hic autem.

netur in futurum compensare, eundem numerum Missarum celebrando; qui enim antea stetit commodo, deinde stare debet incommodo. Advertatur hic denique prohibititas esse Missas 30. Gregorianas à S. C. multis inconvenientibus refertas, utpote quia celebrandæ erant de defunctis successivè etiam in festis duplicibus; prohibitæ verò non sunt, si illæ 30. Missæ celebrentur ut fert ritus dierum (1).

79. — Loquamur secundo loco de Missæ applicatione. Applicare Sacrificii fructum solius est sacerdotis; undè si Religiosus applicat Missam contra Superioris voluntatem, illicitè quidem, sed validè applicat, ut rectè docent *Suar. Vasq. Laym. Lugo* (qui asserit oppositum esse communiter reprobatum), *Tournel. Anacl. Salm.*, etc., adversùs *Scotum*, et *Gavantum*; quia subditus quoad Ordinis potestatem, quâ tunc utitur, non subjacet Prælato (2).

80. — Applicatio autem facienda est ante celebrationem, aut saltem ante consecrationem. Sed quæritur 1. an sufficiat applicatio habitualis nempe aliquandò facta, et non ampliùs retractata? Negant *Vasq. Abelly*, et *Isamb.* qui dicunt quòd sicut requiritur intentio actualis aut saltem virtualis pro Sacramenti confectione, ita requiritur pro Sacrificii fructûs applicatione. Sed communis et vera sententia cum *Suar. Bonac. Lugo, Tournely, Mazzot. Sporer, Busemb.*, etc. (et idem dicit *P. Concina* in substantia) docet sufficere applicationem habitualement, cum Sacrificii applicatio aliam non induat rationem quàm verbalis donationis, quæ semel facta prosequitur esse valida, usquedùm non revocatur. Respondetur autem ad rationem oppositam quòd in tantùm ad Sacramentorum confectionem requiritur actualis aut virtualis intentio, in quantum ministri intentio ponit Sacramentum, sed in applicatione Sacrificii non est quòd intentio celebrantis constituat fructum, dùm sine illius intentione Sacrificium de se fructum producit: ideòque sufficit applicatio aliquando facta, quâ alicui fructus donatus sit (3).

81. — Quæritur 2. an cum sacerdos à decem recipit stipendium pro decem Missis, satisfacit applicando in confuso pro iis primas decem Missas quas celebravit? Absolutè affirmant *Silvest.* et *Conc.*; sed meliùs distinguunt *Bonac. Ronc. Aversa, Tambur. Henno* et alii, et dicunt ita: Si singulæ Missæ indeterminatè applicantur pro sin-

(1) *Benedict XIV. de Sac. Miss. Lib. 3. cap. 23. n. 2.* — (2) *Lib. 6. n. 334.* — (3) *n. 335. Quær. 1.*

gulis personis, non videtur satisfieri: quia ad satisfaciendum requiritur intentio applicandi fructum personæ determinatæ, ut prosit illi fructus. Secùs autem, si sacerdos applicat quamlibet Missam pro omnibus illis 10., applicando singulis eorum decimam cujuslibet Sacrificii partem, cùm certum sit Sacrificii fructum esse divisibilem; undè tali applicatione jam redditur cuilibet id quod debetur; dùm quisque percipiendo in qualibet Missa decimam partem, jam in 10. Missis percipit totum fructum, qui ei debetur (1).

82. — Quæritur 3. an valeat applicatio conditionata? Respondetur: Si conditio est de præterito, est valida; secùs si de futuro, quòd non est notum nisi Deo. Dicunt tamen *Castrop.* et *Lugo*, quòd si quis applicaret pro eo qui priùs dabit eleëmodyniam, talis applicatio esset certè illicita ex prohibitione Clementis VIII. promulgata à Paulo V., sed esset tamen valida. Nihilominùs probabiliùs tenet *Croix* quòd esset etiam invalida, saltem quia sæpè accidere posset quòd Missa celebraretur pro causa non adhuc existente, v. g. si ille vellet ut Missa celebraretur ad hoc ut ab infirmitate aut calùmnia liberaretur, tunc si Missa antecedenter celebraretur, devotus non reciperet fructum optatum, dùm causa non adhuc existeret, et contrà Missæ fructus suspensus relinquere non posset. Si tamen sacerdos prævideret quòd deinceps requirendæ essent Missæ pro defuncto, benè potest anticipare celebrationem, ut rectè dicunt *Vasq. Tourn. Avers.*, etc. (2).

83. — Juvat hìc advertere nonnulla alia circa applicationem Missæ. Notandum 1. quòd in die defunctorum non adest obligatio applicandi Sacrificium pro defunctis in genere, ut declaravit S. C. Vide *num.* 88. *Decr. IX.* Et supposito quòd sacerdos pro libitu potest applicare Missam, rationabiliter ait *Tournely* quòd potest justè eleëmodyniam accipere (3). Notandum 2. quòd in altari privilegiato indulgentias non lucratur, qui non celebrat *de requiem* cùm ritus permittit, licèt in ecclesia aliqua solemnitas celebraretur. In diebus verò quibus vetitæ sunt Missæ *de requiem*, lucratur indulgentias dicendo Missam currentem, ut declaratum est pluribus Decretis S. C. (4). Notandum 3. quòd tempus privilegii, cùm est ad tempus, incipit currere non à die publicationis, sed à die concessionis (5). No-

(1) *Lib.* 6. n. 335. Quær. II.—(2) n. 537. v. Dicunt. —(3) n. 538. —(4) *Lib.* 6. n. 539. Quæres I. —(5) *Ibid.* in fine.

tandum 4. quòd cùm in privilegio adest clausula solita apponi: *Modò in ecclesia celebrentur 5. aut. 7. Missæ*; si omitantur Missæ illæ, privilegium non suffragatur pro illis diebus, ùt declaravit S. C. Conc. Decreto approbato ab Innoc. XI. Declaravit contrà eadem S. C. quòd tempore illo quo sacerdotes non celebrant præfinitas Missas, indulgentiæ suspendantur; si verò desunt ob infirmitatem, vel si Religiosi alibi debeant celebrare jussu Prælati, si rarò id fiat, indulgentiæ lucrantur per illas Missas quæ celebrantur (1).

84. — Circa tempus, locum et altare, vasa, vestes et alia requisita ad Missam, vide dicenda *Tom. III. de Examin. Ordinand. app. III. ex n. 113. ad 123.* Dumtaxat hìc juvat examinare paulò fusiùs punctum quod ibi vix innuitur, an peccet graviter sacerdos qui infra horæ quadrantem Missam persolvit. Me non latet, super hâc re sacerdotem D. Josephum Jorio editurum jamjam fore opusculum utilissimum, cui titulus: *La Mezza Strapazzata*; dico utilissimum, dùm reverà horrendum visu et lacrymis quoque dignum est videre cæremoniarum conculcationem, quâ multi sacerdotes (utinam, et saltem non esset major eorum pars) Jesu Christi in altari sanctissimum Sacrificium injuriòsius tractant. In hoc opusculo forsàn (ùt audivi) affirmabitur grave peccatum esse Missam persolvere quadrantis spatio; et hanc opinionem reprobendam non esse puto, si sermo est de Missis communibus quæ habent *Gloria* et *Credo*, aut alias extraordinarias preces. Sed ut me in certo ponam puncto, dico sacerdotem minori spatio quadrantis Missam quæcumque, etiam defunctorum, aut BB. Virginis in sabbato, difficulter, ne dicam impossibiliter, posse excusari à peccato gravi. Et sic probò: Rubricæ quæ respiciunt cæremonias servandas intra Missam, sunt omnes præceptivæ, ùt probavimus in *Opere* (2). Et hoc nescio quomodò negari potest, dùm in Bulla S. Pii V. præcipitur celebranda Missa *juxta ritum, modum et normam in Missali præscriptam*; et hoc jungitur *districtè et in virtute sanctæ obedientiæ*: quæ verba proculdubio grave præceptum important, quod peccatum mortale inducit, cum in materia gravi delinquitur, juxta illud quod dictum est *Tom. I. Tract. II. n. 15.* Hoc posito, dicimus impossibile esse Missam terminare intra spatium quadrante minus, quin graves irreverentiæ committantur, et quin populo grave afferatur scandalum. Duobus igitur capitibus peccat sa-

(1) *Ibid.* Quær. II. — (2) *Lit.* 6. n. 400. v. Hinc dicimus.

cerdos, qui ita festinanter celebrat: primò ob irreverentiam erga tantum Sacrificium, secundò ob scandalum quod affert populo.

85. — Et loquendo priùs de irreverentia, declarat Tridentinum sess. 22. *Decr. de observ. in celebr. Miss.* ubi inter alia hæc habet: *Satis apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quantâ maximâ fieri potest... exteriori devotionis specie (Missæ sacrificium) peragatur.* Ex quibus verbis satis liquet præceptum naturale divinum esse, ut Missa celebretur omni diligentia in observandis exterioribus cæremoniis quæ devotionem et pietatem indicant. Item declarat maledictionem à *Jeremia cap. 48.* indictam in eos qui opus Dei, nempe functiones ad Dei cultum ordinatas, negligenter faciunt, præcipuè intelligi prolata esse in eos sacerdotes qui sine debita reverentia et gravitate celebrant; addendo etiam talem negligentiam tantam importare irreverentiam, ut evadat quædam impietas, *quæ (irreverentia) ab impietate vix separata esse potest.* Si igitur cæremoniæ Missæ ad hoc præscribuntur (ut certum est) ut celebretur tantum Sacrificium cum debita reverentia, quomodò excusari potest à culpa gravi qui celebrando intra spatium tam breve, non potest non delinquere notabiliter in hac reverentia, verba mutilando, benedictiones, genuflexiones perturbando, se movendo et vertendo indecenter, et verba cum cæremoniis complicando, aut anticipando aut postponendo contra Rubricæ præscriptum. Dixi *sine debita reverentia et gravitate*: sic dixi quamvis reperiretur aliquis ita lingua et motu expeditus ut posset tempore tam brevi Missam persolvere, quin delinquat in verbis et actionibus; saltem non est possibile ut in tanta brevitate possit celebrare quin delinquat in gravitatem convenientem, quæ etiam intrinsecè pertinet ad reverentiam debitam tam sacrosanctis mysteriis.

86. — Loquendo autem de scandalo quod populo affertur, dicit idem Tridentinum sess. 22. *cap. 5. de Sacrif. Missæ*, quòd ad id institutæ sunt cæremoniæ, ut his signis fideles Sacrificii majestatem apprehendant, et mysteriorum sublimitatem quæ in ipso continentur: *Ecclesia cæremonias adhibuit (dicit Concilium), ut majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Sed si hæc cæremoniæ nimis festinanter peraguntur, uti necesse est eas ita fieri tempore tam brevi, tunc non tantum devotionem illæ

non ingerunt erga Missam, sed imò sunt causa ut populus sine veneratione assistat; itaque etiam hoc capite peccat graviter Sacerdos qui tantâ festinatione celebrat, ratione scandali, quod non est leve, dùm pro inducendo populum ad magnam ergà Sacrificium venerationem habendam, potiùs eum movet ut illud despectui habeat, cùm ostendit tantâ irreverentiâ se illud tractare. Proptereà Concilium Turonense 1583. præcepit, ut Sacerdotes benè calleant cæremoniis Missæ, *ne populum* (verba Conc.) *sibi commissum à devotione potiùs revocent, quàm ad sacrorum Mysteriorum venerationem invitent* (1).

87. — Quæritur hìc denique an resolutiones S. C. rituum inducant obligationem? Respondet *P. Merati* (2) et distinguit: Cùm præfatæ resolutiones sunt verè Decreta rigorosè sumpta, ut cùm in ipsis exprimitur, *ab omnibus servetur, servari ab omnibus mandavit*, etc., tunc obligant et debent servari tanquam regulæ proximæ; dùm Sixtus V. in Constitut. 74. dedit huic S. C. facultatem declarandi omnia dubia, quæ insurgunt circa ritus. Cùm autem sunt simplicia responsa ad particulares, tunc dicit ex opinione aliquorum judicari declarationes tantùm directivas, non præceptivas; et idem dicit *Escobar* apud *La-Croix*.

Catalogus aliquorum notabilium Decretorum circa celebrationem.

88. — I. *Eleëmosynas manuales, et quotidianas ita demùm sacerdotes accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant.* Decr. S. C. Conc 21. Jun 1625. ex auctoritate Urbani VIII. Deindè declaravit eadem S. C. quòd præfatum Decretum non erat intelligendum absolutè, sed quòd sacerdotes *possunt nova onera suscipere, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.* Et postea explicando illud *modicum tempus*, die 17, declaravit: *Modicum tempus non reputandum spatium duorum vel trium mensium, sed intelligi infra mensem* (3). Vide circa temporis parvitatem quod dicunt DD. in *Append. III. n. 107.* II. *Pro pluribus Missis celebrandis stipendia quantumcumque exigua, sive ab uno, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum sacerdotibus et clericis, S. C. sub obtestatione divini judicii mandat, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad*

(1) Lib. 6. n. 400. r. Hoc quoad. — (2) *Ad Gar, par. 3. tit. 11. n. I. ad III.*
— (3) *Lamber. notif. 56.*

rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Decr. S. C. Conc. editum jussu Urbani VIII. et confirmatum ab Innocentio XII. in Bulla *Nuper* (1). III. *Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat.* Decr. S. C. Concilii ab Urbano VIII. IV. In Decreto S. C. approbato ab Innoc. XII. in Bulla *Nuper*, pro beneficiatis dictum fuit: *Non habere locum* (Decretum Urbani), *sed satis esse ut rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis, vel provinciæ, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit* (2). Cùm autem requisitum fuerit à S. C. Conc. an esset licitum capellano amovibili dare Missas celebrandas pro ordinario stipendio, reliquo sibi retento, responsum fuit: *Id licere, modò pro capellania certi redditus sint annuatim constituti, et perpetuò capellano assignati; secùs verò, si hujusmodi capellano pro qualibet Missa celebranda certa detur eleemosyna.* Ita decisum fuit 15. Martii 1745. et decretum fuit à meipso observatum. V. *Permittendum non esse ut loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam minimam portionem retineant ratione expensarum in Missarum celebratione, nisi alios non habeant redditus; et tunc nullatenus debere excedere valorem expensarum quæ pro ipsomet tantùm Missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ.* Decr. S. C. Conc. confirmatum ab Innoc. XII. (3). VI. *Archipresbyterum non teneri ad ministranda utensilia iis qui celebrant in sua ecclesia ex obligatione beneficii sive capellanice. Quoad Missas verò adventitias teneri ad dictam subministrationem, quatenus permittat eas in sua ecclesia celebrari, nec teneri ad has Missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes.* Decr. S. C. Conc. die 6. Julii 1726 (4). VII. *Quando in fundatione beneficii, seu capellæ expressè cautum est non teneri celebrantem ad applicationem Sacrificii, eo casu poterit celebrans excipere novum stipendium, et unicâ Missâ satisfacere obligationi beneficii seu capellæ, et item danti novum stipendium.* Decr. S. C. Conc. sub die 13. Jul. 1630. (5). Cùm autem à S. C. expostulatum fuisset 18. Martii 1668. an deberent applicari pro testatore Missæ, cùm in testamento nihil de appli-

(1) *Vide apud Croix l. 6. p. 2 n. 64. — (2) Croix l. 6. p. 2. n. 63. — (3) Vide apud Croix l. 6. p. 2. n. 95. — (4) Lambert. Not. 56. n. 13. — (5) Ibid. n. 8.*

catione declaratum fuerit, respondit S. C. applicandas esse pro testatore (1) Et idem declaratum fuit 6. Februarii 1627. de capellanis, qui celebrant ut confratres aut Moniales intersint Sacro, cùm dicatur non posse stipendium recipere. VIII. *Districtè prohibet ne Episcopi in diæcesana Synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant ulla onera Missarum celebrandarum, aut post idem concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad apostolicam Sedem recurratur, etc. Alioquin reductiones, moderationes, et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus formam fieri contigerit, omninò nullas et inanes decernit.* IX. *In die commemorationis omnium fidelium defunctorum Sacrificia possunt à sacerdotibus applicari ad libitum. scilicet vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantùm.* Decr. S. C. sub die 4. August. 1663. (2). X. *In Missis defunctorum, quæ in paramentis nigris celebrantur, non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis præconsecratis, extrahendo pyxidem è custodia; potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est quando fidelibus præbetur Communio cum particulis intra eandem Missam consecratis.* Decr. S. C. Rit. in Aquensi sub die 2. Septembris 1741. Et antea adfuit hoc Decretum: *Missæ defunctorum non possunt celebrari, nisi cum colore negro, vel saltem violaceo.* 21. Jun. 1676. in Oritana. XI. *Non est licitum Missas celebrare in die sabbati sancti in quibuscumque ecclesiis, et oratoriis, non obstante quacumque contrariâ consuetudine, prout, Papâ approbante, suo Decreto generali statuit eadem S. C.* Decr. S. C. rit. sub die 11. Mart. 1690 (3). Aliud simile Decr. reperitur ap. Pitton. (4) quod prohibet celebrare in feria V. Cœnæ Domini; et, quod magis refert, hæc Decreta fuerunt expressè confirmata à Clemente XI. ut legitur apud Lambertini, postea Bened. XIV. et Pitton. (5). Decreto edito ab eodem Pontifice die 15. Martii. 1712. quo dictum fuit: *Dichiaro per ultimo, che colla suddetta proibizione per lo Venerdì Santo, non intende la Santità Sua di permettere che ne' giorni die Giovedì è Sabato Santo si celebrino Messe private, ma solo la Conventuale, secondo il Rito della Santa Chiesa, e replicari Decreti della S. C. de'Riti.* Et hoc Decretum, ut refert Merati, confirmatum fuit ab Innoc. XII. et ab eodem Clemente XI. (6). XII. Ha-

(1) *Ibid. n. 9.* — (2) *Ap. Merat. in indice tom. I. n. 411.* — (3) *Ap. Monac. tit. 15. Form. 3. in fn.* — (4) *Pitt. de rit. n. 1703.* — (5) *Pitt. l. cit.* — (6) *Merat. in indice tom. I. n. 620.*

bens indultum à Sede apostolica erigendi oratorium privatum in propria domo, si quis voluerit ibi ædificare altare ligneum, non indiget facultate apostolicâ, dummodò altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non siti, et altaris portatilis imaginem non præ se ferat. Decr. S. C. Rit. sub die 3 Decemb. 1661 (1). Merati autem explicando illud verbum *colligatum* dicit largè esse intelligendum, cùm sufficiat altare si adhæreat parieti, adeò ut nullum mediet spatium quia hoc sufficit ut verificetur quòd altare portatile non videatur esse; saltem dicit usu sic fuisse interpretatum. XIII. Leguntur hæc alia sequentia Decreta S. C. Rit. apud *La-Croix* (2). *Missa conventualis canenda est quotidie in collegiatis, quarum clerus est numerosus, et redditus non tenues.* XIV. *Missæ ad satisfaciendum eleëmosynis alicui ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commodè potest iis satisfieri per sacerdotes ejusdem ecclesiæ.* XV. *Inferiores Episcopo non debent sumere de altari paramenta pro Missa.* 7. Julii 1712. Sed hoc intelligendum, ut advertit *Gav.*, quòd non ponantur paramenta in medio altaris more Episcoporum, nam si ponantur in angulo, hoc permittit Rubrica (p. 2. tit. 12 n. 3.) ubi dicit: *Si verò (sacerdos) dimissurus sit paramenta apud altare, in quo celebravit, finito Evangelio, ibidem illis se exuit.* Saltem, dicit *La-Croix*, id permissum est ubi commodum non adest alibi deponere vestes. XVI. *Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet, non obstante Constitutione synodali, dummodò habeat solitum reliquiarum repositorium,* die 19. Jan. 1614. XVII. *Solus Episcopus potest habere fenestras in ecclesia per quas in eam prospectus haberi possit.* 19. Jan. 1614. XVIII. *Non permittitur ad altare majus celebratio Missæ. diù dicuntur in choro Matutinum, et Horæ* 15. Sept. 1664. XIX. *Potest fieri commemoratio de SS. Sacramento, si expositum sit, etiam in Missa de festo duplici, quod non sit* 1. vel 2. *Classis* 2. Decemb. 1688. XX. *Non potest prohiberi celebratio Missæ in oratorio ruri ædificato per laicum, antequàm celebretur Missa parochialis.* Decr. S. C. sub die 31. Mart. 1629. (3). XXI. *De rigore juris non posse prohiberi (scil. à parcho) ut Missæ non celebrentur ante Missam à parcho non celebratam.* Decr. S. C. 27. Jun. 1641. (4). Sed in alio Decreto dictum fuit: *Sæpiùs S. C. censuit Constitutiones synodales disponentes ut diebus festis Missæ cele-*

(1) *Ibid.* n. 393. — (2) *La-Croix* l. 6. p. 2. tom. 7. in *Dec S. C.* n. 56. —(3) *Ap. Merat.* in *indice* tom. I. n. 242. — (4) *Apud. Card. Lambert.* *Notif.* 40. n. 12.

brari non debeant in aliis ecclesiis, nisi celebratâ Missâ in ecclesia parochiali, esse observandas; ita tamen ut Missa in ecclesia parochiali horâ opportunâ celebretur. 25. Maji 1652. (1) XXII. S. C. censuit non licere Regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis SS. Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario; ex causa autem privata posse, dummodò SS. Sacramentum è tabernaculo non extrahatur, et sit velatum, ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit. Sub die 17. Aug. 1630. (2). Idque confirmatum à Bened. XIV. alio Decreto, ubi fuit decisum: Non licere exponi publicè divinam Eucharistiam, nisi causa publica, et Episcopi facultas intervernerit (3). Super hoc dico, quòd si aliquis privatus optaret expositionem Venerabilis ad publicam devotionem promovendam, licitè potest illa fieri; non verò si eam cuperet tantùm ob suam privatam devotionem (4). Hic insuper notandum quòd etiam respectu ecclesiarum secularium adest Decretum S. C. Episc. et Regul. prohibens extrahi pyxidem à tabernaculo, cum illa ob causam privatam exponitur: Si quandoque privata ex causa sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, à tabernaculo nunquam extrahatur, sed pyxide velatâ in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo cum assistentia alicujus sacerdotis stolâ et superpelliceo induti; et cum sex saltem luminibus cereis collocetur. Quod idem in ecclesiis Secularium servari mandamus. Die 9. Decemb. 1620. (5). Benedictus autem XIV. in Bulla Cùm, ut rectè nosti, etc. (in Bullar. t. 4. pag. 417. §. 13 et in edit. Mech. t. 11. pag. 194. eod. §) mentionem faciens de præfatis Decretis, ait pro causa privata numquam extrahi posse pyxidem, nec etiam ad populum benedicendum, his verbis: Si autem Sacramentum non debet à tabernaculo educi, facilè intelligitur in designatis casibus (scilicet pro causis privatis) non esse illud afferendum ad ecclesiæ januam, nec cum eodem benedictionem impertiendam. Hic autem præterea obiter advertendum id quod in prædicta Bulla (§. 12.) idem Pontifex subdit circa administrationem Sacramentorum, nempe: Neque enim fas cuique esse debet, privatâ auctoritate novum ritum inducere. Et ad hoc profert ibi Canonem XIII. Tridentini in Sess. 7. de Sacram. in gen. ubi vetitum fuit immutari consuetos ritus circa Sacramentorum administrationem; eundemque Canonem de-

(1) Ap. Card. Lambert. Notif. 40. n. 12. — (2) Ap. Lamb. Not. 50. n. 11. — (3) Ita in Bullar. tom. 2. — (4) L. 6. n. 424. v. Refert. — (5) Ap. Card. Lambert. Notif. 50. n. 27.

clarat procedere etiam quoad cultum SS. Eucharistiæ. Loquens autem de ritibus alicubi jam introductis, sic inquit: *Et quoties aliquem ritum ejusmodi induci contigit, nisi nihil continentem pietati oppositum, apostolica Sedes eundem interdiceret non dubitavit, ex quibusdam extrinsecis circumstantiis nullatenus prævisis. vel neglectis ab eo qui ritum invexit.* XXIII. Notandum, quòd juxta Decretum Innocentii XI. 1. Sept. 1730. vetatur *apponi statuas, reliquias Sanctorum, ac imagines animarum purgatorii in altari ubi fit expositio SS. Sacramenti* (1). XXIV. Regulariter Missa respondet officio, sed excipe, ut dicitur in Decreto S. C. rituum: *Sacerdotes etiam regulares diebus, quibus propria officia recitant sub ritu duplici, celebrantes in alienis ecclesiis, quando peragitur festum cum solemnitate et concursu populi, debent celebrare Missas, conformando se ritui, et colori earundem ecclesiarum. In aliis verò diebus possunt; sed quando prohibentur Missæ votivæ, vel defunctorum, debent se uniformare saltem quoad colorem.* 11. Jun. 1701. apud *Merat. in Ind. Decr. n. 558.*

XXV. Notandum quòd SS. Eucharistiæ Sacramentum nequit in aliis ecclesiis servari, quàm in parochialibus, sine dispensatione S. Sedis, cum non possint eam largiri Ordinarii, ut docent *Barbosa, Pignatellus*, et alii apud *Card. Petra* (2), qui de hoc plures refert Decisiones S. C. tam respectu hospitalium, quàm conservatoriorum, ac etiam ecclesiarum quæ sunt intra fines parochiæ, aut in ruri- bus, ad quas accedunt parochi ad Missas celebrandas; licentiam enim (ait *Petra*) servandi Eucharistiam in hujus- modi ecclesiis, sive capellis S. C. tum solam concedit, cum in ipsis est populi concursus, et præsertim si illæ à parochia distant. Deinceps Benedictus XIV. in Constitut. *Quamvis justo*, edita sub die 30. April. 1749. (vide *Bullar. tom. 3. et edit. Mech. t. 7. p. 115. § 24.*) expressè declara- vit largitionem præfatæ licentiæ privativè spectare ad Sedem apostolicam, his verbis: *Quoniam verò hujusmodi gratiæ concedendæ (hoc est servandi venerabile Sacramen- tum) jus ad nos et apostolicam Sedem privativè pertinet, quod innuit Decretum superius relatam, et canonica docet disciplina, juxta quam sacrosancta Eucharistia in eccle- siis, quæ parochiales non sunt, retineri non potest absque præsidio apostolici Indulti, vel immemorabilis consuetu- dinis, quæ hujusmodi indulti præsumptionem inducit.*

(1) *Ap. Merat. part. IV. tit. XII. § 3. n. VI. r. Altare, insuper. pag. 670.*

—(2) *Barbosa in Trid. sess. 13. c. 6. de Euchar. Pignatell. Cons. 86. v. 16. Petra tom. 3. in Const. I. Urb. VII. pag. 166. ex n. 50.*

Dixit tamen S. C. satis esse possessionem 40. annorum cum titulo putativo, quia hoc temporis spatium sufficit ad licentiam apostolicam præsumendam; sed addit quòd, si constat S. Eucharistiam retineri ex sola Ordinarii licentia, tunc nec etiam centenaria, aut immemorabilis possessio prodesset. Hæ decisiones ab eodem *Petra* afferuntur. XXVI. Notandum ultimò cum *Merato* (1), *Corset. Tonell. et Bisso*, quòd sacerdos, postquam Moniales sunt communicatæ, non debet pyxide eas benedicere, sed tantum manu, positâ pyxide super palla, stans adhuc ante fenestrellam, eo modo quo alii fideles post Communionem benedicuntur: nam tantum infirmi benedicuntur cum Sacramento, qui pro Viatico communicantur, ut præscribitur in Rituali romano. Item advertendum ex Decreto dato 15. Sept. 1736. apud *Meratum* in indice n. 696. præscribi: *In communionem Monialium habentium fenestrellam in parte Evangelii, sacerdos debet descendere et reverti per gradus anteriores, et non laterales altaris.*

TRACTATUS XVI.

DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA.

De materia remota et proxima 1. An Religiosi debeant confiteri semel in mense 2. An peccata confessa sint materia apta 3. An distinguenda sint peccata jam confessa à non confessis. 4. An necessarium verbum te. An verba à peccatis tuis. An cætera verba. An per verbum absolvo possint absolvi censuræ. Requiritur præsentia pœnitentis 5. De absoluteione sub conditione 6.

1. — POENITENTIA accipitur uti virtus, et uti Sacramentum; uti virtus definitur: *Virtus tendens in destructionem peccati, quantum est offensa Dei medio dolore, et satisfactione* Uti Sacramentum: *Est Sacramentum consistens in actibus pœnitentis, et in absoluteione sacerdotis* Pœnitentia uti virtus semper fuit necessaria *necessitate mediæ ad salu-*

tem, sed tanquam Sacramentum in nova Lege adhuc est necessaria necessitate mediæ lapsi in mortale post Baptismum, saltem in voto, sive desiderio, si non potest realiter suscipi. Materia remota hujus Sacramenti juxta S. Thomam (1), et communem sententiam, sunt peccata post Baptismum commissa; sed peccata mortalia sunt materia necessaria; venialia et mortalia aliàs confessa sunt materia *sufficiens*; nam hæc sufficiunt ut recipiatur absolutio, sed nemo teneatur ea confiteri. Materia *proxima*, juxta eundem S. Thomam (2), sunt actus pœnitentis, à Tridentino nuncupati *quasi materia*, quia non sunt materia physica; prout est illa cæterorum Sacramentorum; ii actus sunt (ut declaravit Concilium) contritio, confessio et satisfactio. Satisfactio tamen non est pars essentialis, ut sunt duæ primæ, sed tantum integralis; nam sine illa in aliquo casu benè potest esse validum Sacramentum. Hoc est contra *Scotum*, qui vult totam essentiam consistere in sola absoluteione.

2. — Loquendo de materia remota, dictum est venialia, et mortalia aliàs confessa esse tantum materiam sufficientem. Sed in hoc quæritur 1. an Religiosi et Moniales teneantur ad confitendum saltem semel in mense, quamvis mortalibus non sint gravati? Dubium oritur ex *Clement. Ne in agro*, §. *Sanè, de statu Monach.* ubi (cum sermo fiat de Monach. benedictinis) sic dicitur: *Sanè singulis mensibus tam in monasteriis quàm extra (sublatâ occasione quâcumque) ad confessionem saltem semel accedant omnes et singuli monachi. Et in prima dominica mensis cujuslibet in monasteriis semper communicent.* His positus, alii DD. *Azor. Vasq. Hurtadus*, etc. (3) dicunt hoc esse præceptum obligans sub culpa gravi; undè dicunt teneri Religiosos quolibet mense confiteri, licet gravibus peccatis obnoxii non sint. Sed communiùs *Sotus, Can. Cajetan. Navar. Molfes. et Megal.* (4) tenent præfatam Clementinam præceptum grave non inducere. Imò *P. Suar.* (5) dicit præfatum Decretum non importare præceptum, sed tantum concilium; et deducit ex Tridentino *sess. 25. c. 10*, ubi cum sermo fiat de monialibus, sic dicitur: *Attendat diligenter Episcopi, et cæteri Superiores sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, et Eucharistiam suscipiant.* Ex quibus verbis conclu-

(1) 3. p. q. 84. a. 1. ad 1. et 2. — (2) *Ibid.* a. 2. — (3) *Apud Dianam* p. 8. tract. 1 resp. 16. — (4) *Ibidem* p. 3. tract. 3. resp. 1 — (5) *In 3. p. sess. 2.*

dit *P. Suar.*, quòd nisi constet quòd constitutiones religionis obligent sub gravi, nulla rigorosa obligatio de hoc habetur. Et idem sentiunt *Castropal. Can. Præpos. Vivald. Leand.*, etc apud *Salm.* (1). Et hoc quod dicunt AA. citati de confessione, dicunt etiam de Communione.

3. — Quæritur 2. an peccata aliàs confessa sint materia apta ad recipiendam absolutionem? Dubium oritur ex eo quòd peccatum remissum non est ampliùs capax remissionis; undè videtur non esse materia apta confessionis. Sed est communis sententia, et usus fidelium, qui id admittit cum *S. Thoma* (2), *Suar. Castrop. Salm.*, etc., et est certum ex Extravaganti 1. de *Privil.* §. *Verum, in fine*, ubi dicitur: *Ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Nec obstat dicere quòd peccatum remissum non est ampliùs peccatum, quia peccatum licèt remissum semper est peccatum commissum: undè benè potest esse materia Sacramenti non semel, sed iterùm atque iterùm et ampliùs, ùt ipsa aqua benè potest esse materia multorum baptismorum (3).

4. — Quæritur 3. an in confessione sint necessariò distinguenda peccata confessa à non confessis. Respondetur negativè cum *Bonac. Lug. Conc.* et *Sanch.*, modò hoc non sit necessarium ob occasionem proximam, quæ removenda foret, aut ob casum reservatum, aut ob aliam circumstantiam (4).

5. — Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt verba sacerdotis: *Ego te absolvo à peccatis tuis.* Autumant nonnulli auctores primævis temporibus formam fuisse deprecatoriam, prout est nunc (ùt testatur *Martene*, et *Tourn.*) forma Græcorum; sed quoad Latinos; hoc negant *Baronius*, *Gonet*, et alii (5). Sed hìc quæritur 1. an sit de essentia verbum *te*? Negant *Lugo*, et *Wigandt*, sentientes satis exprimi verbum *te* per alia in forma contenta, id est à *peccatis tuis.* Sed communissimè affirmant *Bonac. Castrop. Conc.* et *Holz.* Et quia hæc sententia est etiam probabilis, hæc in praxi tenenda est, cùm proscrip̄ta sit ab *Innoc. XI.* propos. 1. quæ dicebat licitum esse in conficiendo Sacramento uti opinione probabili. Quæritur 2. an sint necessaria verba à *peccatis tuis*? Negant *Milante, Conc. Lugo, Holz.* etc. nam (dicunt) ex circumstantiis sufficienter determinantur alia verba ad peccata pœnitentis. Et in *Catechism. rom.* (p. 2. n. 19.) alia verba non ex-

(1) *Castr. tr. 23. d. undè Pœn p. 20. § n. 6. Can. relect. de Pœn. c. 5. At rerò Salm. tr. 6. c. 7. n. 33.* — (2) *In 4. d. 17. q. 3. a. 3. q. 5. ad 4.* — (3) *Lib. 6. n. 427. Dubit. 2.* — (4) *n. 425. ad 2.* — (5) *n. 450.*

primuntur de formæ essentia, quàm : *Ego te absolvo*. Sed multi alii DD. ùt *Paludan. Major, Croix, Mazz.*, etc., volunt esse necessaria, quia si valeret ea ratio adversariorum, dicunt etiam verbum *te* posse reticeri. Et quia hæc sententia est etiam probabilis, hæc sequenda est, ùt confitentur iidem adversarii *Holzm. Ronc.*, etc. Et omnes conveniunt esse grave, si omittantur (1). Est sententia communis contra *Durandum* (doctorem cæteroquin doctum, sed extravagantem in suis opinionibus) verba *in nomine Patris*, etc. non esse de essentia; et communissimè dicunt *Bonac. Castrop. Salm. Croix*, etc. quòd ea omittere non excedat veniale (2). Cætera verba; *Misereatur: etc. Indulgentiam*, etc. commune est quòd possint omitti circa peccatum. Et idem dicunt DD. de verbis *Dominus noster Jesus Christus*, etc. dùm Trident. sess. 14. c. 3. dicit tantùm quòd, exceptâ formâ, aliæ preces *laudabiliter adjunguntur*. Sed *P. Concina* contendit omittere præfata verba esse veniale, et non sine ratione, dùm Rit. rom. (*de Form. absol.*) dicit: *In confessionibus frequentioribus omitti potest, Misereatur, etc., et satis erit dicere: Dominus noster Jesus Christus usque ad illud, Passio, etc. Urgente verò aliquâ gravi necessitate in articulo mortis, breviter dicere poterit: Ego te absolvo ab omnibus censuris, et à peccatis tuis. In nomine Patris, etc.* (3). Commune est sacerdotem per illa verba *Te absolvo* posse absolvere tam à peccatis, quàm à censuris. Nihilominùs dicunt rectè *Concina, Sotus, Salm.*, etc. facere hoc sine causa esse veniale, quia est contra Ecclesiæ morem; nisi esset (ùt probabiliter dicunt *Holzm. Viva*, etc.), quia nulla esset suspicio quòd pœnitens aliquam incurrisset censuram (4). Certum est autem formam proferendam esse præsentem pœnitente: et fuit damnata à Clemente VIII. an. 1602. die 20. Junii, propositio quæ dicebat: *Licere per litteras, seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eo absente absolutionem obtineri*. Et declarando Pontifex absolutionem illicitam, ùt benè advertunt *Salm.*, declaravit etiam esse invalidam: quia Papa in casibus necessitatis non potuisset eam prohibere. Et Paulus V. anno. 1604. die 14. Julii id prohibuit, licèt præcessisset confessio in præsentia facta (5). Talis præsentia sufficit ut sit moralis, nempe in ea distantia in qua solent homines voce usuali, licèt altâ, alloqui. Hanc distantiam *Sporer*, et alii extendunt ad 20.

(1) *Lib. 6. n. 450. Dubit. 2.* — (2) *Ibid. Dubit. 5.* — (3) *Ibid. v.* Verba autem.— (4) *Ibid. Dubit. 4.* — (5) *Lib. 6. n. 428.*

passus; dicunt tamen quòd si pœnitens à confessionali accessit, confessarius eum accessere debet, ut absolvat, dum id commodè fieri potest. Cæterùm ait ipse *Sporer*, cum *Bonac.* et *Gobat*, quòd sine scrupulo potest confessarius absolutionem impertiri pœnitenti, cum certò scit parùm distare. Tenet rationabiliter *Tamb.* quòd si absolutio daretur ei qui ex tecto præcipitat, debet dari sub conditione, cum dubium sit an in tanta distantia adsit præsentia moralis. Advertunt tamen communiter DD., non referre quòd pœnitens absolutionem non audiat. Imò prudenter admonet *Croix* ut absolutio submissâ voce proferratur, ut si fortè aliquis dimittitur non adsolutus, alii id non animadvertant (1).

6. — Quæritur hîc ultimò quandonam sit valida et licita absolutio, quæ datur sub conditione? Si conditio est de futuro, communiter dicunt invalidam esse. Admittit tamen *P. Viva*, posse ita conferri absolutionem: *Absolvo te, si Deus cognoscit quòd restitues id quòd debes*; sed rectè id negant *Coninch. Dicast. Concin. Tournel.*, etc. quia cum Deus in hominum manus Sacramentorum administrationem commiserit, non possunt apponi conditiones quæ hominibus innotescere nequeunt (2). Si contrà conditio est de præterito, aut de præsentî, omnes conveniunt eam esse validam, et etiam licitam, cum justa adest causa, juxta sententiam communem (contra pauciores), ut dictum est *Tract. XIV. n. 3.* Causæ autem justæ sunt 1. si confessarius prudenter dubitat de absolutione collata; *Suar. Lugo, Ronc. Bonac. Salm. Croix*; etc., 2. si dubitatur de pœnitentis dispositione, et contrà adesset necessitas eum absolvendi, ut dicitur *Tom. III. Tr. ult. punct. IV. et VII.*, loquendo de pueris, et moribundis. Cæterùm plerùmque confessarius debet esse certus de pœnitentis dispositione, ut eum licitè absolvere possit; quare recidivi, non solum in peccata mortalia, sed etiam in venialia, non possunt absolvi, nisi certa dent signa suæ dispositionis, ut dicitur *punct. II. præfati Tract. ultimi*; 3. ut dicit *Bonac.* rectè absolvi possunt sub conditione illæ personæ piæ quæ confitentur de solis imperfectionibus, circa quæ dubitatur an ob advertentiæ defectum, pertingant ad venialia; et hoc non videtur improbabile, cum justa causa videatur eas ita absolvendi, ne hujusmodi animæ hujus Sacramenti fructu careant per multum tempus. Dico *per multum tempus*, quia hoc non admitterem, nisi semel in mense.

(1) N. 429. — (2) n. 431. et etiam n. 26.

Dicit præterea *Sporer* quòd confessarius potest absolutio-
nem impertiri, si dubitat de jurisdictione; sed hoc puto
non esse admittendum, nisi cum pœnitens existeret in
mortali, et aliàs multum temporis absoluteione privari de-
beret. Hoc cæteròquin debet intelligi in solo dubio facti;
quia si jurisdictione est positivè dubia de jure, id est, si pro-
babilis est ob DD. auctoritatem, benè potest absolute
conferri: nam tunc supplet Ecclesia, semper ac gravis
adest causa, ut diximus *Tom. I. Tr. I. n. 27.* Præterea
dicunt *Spor.* et *Mazz.* quòd potest absolvi sub conditione
pœnitens qui est in necessitate communicandi, et est dubiè
dispositus. Sed in hoc distinguendum est, ut diximus *Tract.*
XV. n. 34., et videndum an dubium sit de peccati actione,
aut de confessione peccati jam commissi; quia si pœnitens
est certus quòd grave peccatum patravit, et ejus dispositio
est dubia, ille communicare nequit, licèt absolutus fuisset
sub conditione; et si non potest communicare, nec etiam
potest absolvi; nam tunc deest causa necessitatis communi-
candi, ut sub conditione absolveretur (1). Vide *num. 34,*
Tract. XV.

CAPUT II.

DE CONTRITIONE ET PROPOSITO.

7. — SICUT superiùs vidimus, et sicut declaravit *Trid.*
sess. 14. cap. 3. tres sunt partes necessariæ Pœnitentiæ,
contritio nempe, confessio, et satisfactio. Sigillatim erit
sermo de singulis eorum in punctis distinctis. Et primò
de contritione.

(1) *Lib. 6. n. 432.*

PUNCTUM I.

De contritione.

In quo consistat contritio 8. Ex quo motivo producitur 9. Quando tenemur ad contritionem 10. An in articulo mortis, etc. 11. An sufficiat dolor generalis 12. An actus Fidei, Spei, etc. 15. An sufficiat attritio sine amore prædominante 14. 15. et 16. An sufficiat attritio ex timore pœnarum temporalium 17. An detur Sacramentum validum, et in forme 18. An dolor debeat præcedere confessionem. 19. Quantum temporis perduret dolor 20. An dolor debeat elici in ordine ad confessionem 21. Qui mox se reconciliat, an novum dolorem elicere debeat 22. De dolore peccatorum venialium 23.

8.—QUODAD contritionem, Tridentinum, sess. 14. c. 4. distinguit, et dicit aliam esse contritionem *perfectam*, quæ oritur ex motivo charitatis; aliam *imperfectam*, quæ attritio nuncupatur, quæ concipitur, aut ex turpitudinis peccati consideratione, aut gehennarum timore, excludens peccati voluntatem, et veniæ spem includens. Loquamur nunc de contritione *perfecta*, quomodo illa esse debeat, et quando sit necessaria, deinde loquemur de attritione. Contritio definitur à Concilio: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*: hinc quæritur hic 1. an contritio consistat in dolore, an verò in detestatione peccatorum. Alii, ut *Gonet*, volunt consistere in dolore qui præsupponit detestationem; alii in detestatione, quam subsequitur dolor; et hæc 2. sententia est verior, et quasi communis cum *Suar. Navar. Cajet. Holzm. Sporer*, et aliis cum *S. Thoma* (1). qui dicit: *Exigitur ad remissionem ut homo peccatum detestetur*. Ratio est, quia non jam dolor est causa detestationis; sed detestatio est causa doloris. Cæterum, ut rectè dicunt *Frassen, Vega, Coninch, Holzm. Sporer*, et *Croix*, non est dubitandum quin in uno explicitè contineatur aliud; dum qui peccatum detestatur, necessariò de illo dolet; et qui de illo dolet, necessariò illud detestatur (2).

9. — Quæritur 2. ex quo motivo producitur contritio perfecta? Alii dicunt ex offensione irrogata cuicumque attributo divino, misericordiæ, justitiæ, etc.; et rectè hanc sententiam dicunt *Lugo*, et *Suar.* esse satis probabilem, dum qui diligit divinam misericordiam, aut justitiam, respectu ad Deum, jam diligit Deum ipsum, cum miseri-

cordia et justitia divina sint ipse Deus; et ita contrà; quem pœnitet offensæ illatæ in divinam misericordiam respectu ad Deum, jam pœnitet sui peccati, non jam ob motivum dilectionis erga seipsum, sed erga Deum. Sententia tamen communior vult contritionem procedere debere ex offensa facta in divinam bonitatem, cùm contritio, ut docet Trid., oriatur ex charitate, et charitas, juxta sententiam communiorem, habet pro objecto Dei bonitatem, in quantum illa comprehendit omnes divinas perfectiones, ut diximus *Tom. I. Tract. IV. n. 9.* (1).

10. — Quæritur 3. quando obliget præceptum contritionis? Certum est obligare, 1. In periculo mortis. 2. Quando homo tenetur ad eliciendum actum amoris, quem, ut diximus (*Tom. I. Tract. IV. num. 13.*), quilibet tenetur elicere semel in mense. 3. Licet sit probabile quod extra periculum mortis non adsit præceptum speciale contritionis, undè dixit *S. Thomas* (2) impœnitentiam finalem non esse peccatum grave speciale; nihilominus præscindendo ab obligatione annualis confessionis, dicimus peccare graviter contra charitatem erga seipsum, qui diutius perseverat in peccato, ut dicit *S. Thomas*, dùm qui caret gratia, non potest diutius in grave aliud peccatum non labi: *Sine gratia justificante*, ait *S. Doctor* (3), *quòd diù maneat absque peccato mortali, non esse potest*. Quantum autem sit hoc longum tempus, *Concina* et *Ronc.* putant esse hebdomadam circiter; alii tamen communiùs, ut *Castrop. Laym. Lugo, Salm. Henno. Elbel;* etc., dicunt esse spatium anni: prima opinio mihi videtur nimis rigida, sed nec acquiescere possum secundæ, saltem ob obligationem quæ adest (ut diximus) eliciendi actum charitatis semel in mense; verum tamen est quod rudes difficulter eam obligationem advertant (4). Volunt autem nonnulli esse obligationem contritionis peccatoribus quolibet die festo, ut adimpleatur finis sanctificandi festa; sed hoc communiter negatur, quia (ut dictum est cum *S. Thoma Tom. I. Tract. II. n. 28.*) finis præcepti non cadit sub præcepto.

11. — Quæritur 4. an in mortis articulo, qui cum sola attritione confitetur, teneatur etiam ad eliciendam contritionem? Affirmat prima sententia cum *Suar. Bonac. Conc.*, etc.; sed secunda sententia multo communior cum *Lugo, Laym. Conc. Castrop. Ronc. Holzm. Salm. Becan. Sporer*, etc. negat, et *Suar.* appellat eam valdè probabi-

(1) *N. 436.* — (2) 2. 2. q. 14. a. 2. — (3) 1. 2. q. 109. a. 8. — (4) *Lib. 6. n. 437* Dubit. 1.

lem, quia dato quòd certa sit sententiã (ut ostendemus n. 14.) sufficere ad confessionem solam attritionem, qui cum illa confessus est jam est moraliter certus de divina gratia. Hęc secunda sententiã est valdè probabilis; sed non potest negari quin prima omninò moribundis suadenda sit; tantò magis quòd in extremo vitæ tenemur ad actum amoris, cui satisfieri non potest, nisi peccatum detestemur, cùm memoriæ occurrit, ut communiter DD. (1).

12. — Quæritur 5. an ad obtinendam justificationem sufficiat dolor generalis de peccatis commissis? In hoc quicquid dicant aliqui, qui perperam volunt actum doloris particularis pro quolibet peccato in particulari, aut saltem (dicunt alii) actualem memoriam cujuslibet peccati, certa est sententiã quòd sufficiat dolor omnium peccatorum quibus Deum offendit, ita Scotus, Suar. *Juvenin. Conc. Laym. Cajet. Holzm. Sporer, Croix*, et alii multi; imò *Cajetanus* ridiculam appellat sententiã oppositam; et rostram expressè docet *S. Thomas* (2), qui dicit: *Ad justificationem non requiritur quòd aliquis de singulis peccatis cogitet, sed sufficit quòd cogitet de hoc, quòd per culpam suam est aversus à Deo. Recogitatio autem singulorum peccatorum debet vel præcedere, vel saltem sequi justificationem*, nempe (ut explicant *Suar.* et alii illud sequi) in ordine ad confessionem, quæ doloris actum sequitur. Idem docet *Catechis. Rom. (De Sacram. Pœnit. part. 2. v. nota post n. XXXIX)* ubi dicit quòd Deus parcit peccatori, *simul atque ille se collegerit et universa peccata sua detestatus, quæ deindè alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat*, (nempe ut confiteantur) *ad Dominum se convertit*. Et ratio est clara: primò quia ex Scripturis constat quòd peccator remissionem obtinet statim ac ad Deum se convertit; *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit. Ezech. 33. 12*. Itaque si in detestatione primi peccati homini non omnia remissa fuissent, ille reciperet remissionem illius tantum, quin remitterentur alia, sed hoc est impossibile, quia in peccatis mortalibus non potest unum peccatum sine alio remitti. Secundò quia (et hęc est ratio intrinseca) quem pœnitent suorum peccatorum ob motivum generale, quatenus sunt offensa Dei, necessariò dolet de quolibet peccato quod habet in anima, ut docet idem *sanctus Thomas* (3), qui dicit quòd sicut qui diligit commu-

(1) *Ibid.* Dubit. 2. — (2) *De veritate. q. 28. art. 5. ad 4.* — (3) *In 4. dist. 17. q. 2. art. 5. q. 5. ad 2.*

nitatem, diligit quemlibet illius; ita quem pœnitet omnium peccatorum suorum, pœnitet etiam singulorum (1). Hactenus de contritione; nunc de attritione quæ est necessaria ad obtinendam sacramentalem absolutionem. Sed prius videamus circa actus Fidei, etc.

13. — Quæritur 6. an ad obtinendam gratiam in confessione requirantur actus expliciti Fidei, et Spei Alii affirmant: sed alii communiùs negant; cæterùm rectè dicunt *Lugo*, et *Escob.* quòd pœnitens semper ac habet actum doloris, etiam explicitè (non jam reflexè, sed exercitè) actus Fidei, et Spei habet, quia tunc sine dubio exercitè credit, et sperat sibi per Sacramentum Pœnitentiæ in virtute meritorum Christi peccata remitti (2).

14. — Quæritur 7. an ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ sufficiat attritio, et an ad illam requiratur amor inchoatus? Conveniunt theologi in affirmando utrumque; sed quæstio magna est an hic amor inchoatus debeat esse charitas prædominans, quâ diligitur Deus super omnia? Ita volunt *Merbes. Molin. Habert. Juven. Conc. Antoine*, et alii pauci, qui dicunt talem amorem ideò dici *inchoatum*, sive *initiatum*, quantum est in gradu remisso; nam, ut dicunt, cum dolor oritur ex amore intenso, tunc est contritio perfecta, quæ remittit peccata etiam extra confessionem. Sed sententia satis communis, quam nos sequimur, tenet sufficere attritionem sine charitate prædominante, quæ oritur ex timore inferni, aut gloriæ amissione, aut ex horrore erga peccati turpitudinem, lumine Fidei cognitam; ita tenent *Genet, Canus, Petrocor. Tournel. Sabass. Wig. Abelly, Nav. Suar. Tol. Lug. Laym. Salm.* et alii multi cum *Benedicto XIV.* (3). qui asserit quòd post Trident. cum plausu hanc sententiam omnes scholæ sibi adoptarunt; undè rectè dicunt *Suar. Less. Castr. Filliuc. Garden. Rainaud. Lug. Prado, Tanner. Viva*, et *Croix*, hanc sententiam hodie post Concilium esse moraliter certam, et oppositam non esse amplius probabilem. Et quòd scholæ (saltem communiùs) tanquam moraliter certam habeant, constat ex Decreto *Alexandri VII.* 1667. die 5. Maji, ubi sub excommunicatione prohibuit: *Ne quis audeat alicujus theologicæ censuræ, alteriusque injuriæ aut contumeliæ notâ taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos communis videtur; sive asserentem*

(1) *Lib. 6. n. 439.* — (2) *n. 439.* — (3) *De synod. l. 7. c. 15. ex n. 6.*

dilectionis necessitatem. Attestando igitur Pontifex sententiam negantem esse communiorem inter scholasticos, consequenter testatur in scholis haberi communiter certam, dùm quisque scit quòd circa Sacramentorum valorem alias sententias, quàm moraliter certas, non posse DD. amplecti. Nec præfato Decreto vetuit Pontifex sententiam oppositam posse nuncupari improbabilem; nam improbabilitas non est nota censure, aut contumeliæ per Decretum vetita. Tantò magis quòd (sicut infrà dicemus) nos non negamus requiri in attritione initium amoris; sed dicimus tantùm non requiri charitatem prædominantem. Sed ad probationes descendamus.

15. — Probatur nostra sententia 1. ex Trident. sess. 14. c. 4. ubi loquendo de attritione ex metu gehennæ concepta, etc. sic dicit: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Opponunt adversarii quòd Concilium non dixit *sufficit*, sed *disponit*; ergò, dicunt, attritio sine charitate disponit, sed non sufficit; tantò magis quòd, referente Card. Pallavicino, Concilium, post gravem theologorum disensionem, abstulit verbum *sufficit*, quod jam exaratum erat, et in ejus locum suffecit verbum *disponit*. Sed rectè respondet Gonet, quòd Concilium ideò suffecit *disponit*, in quantum importabat necessariò idem ac *sufficit*, quia attritio ex inferni metu concepta, cùm etiam sit donum Dei, ut declaravit Concilium, etiam extra Sacramentum remotè semper disponit ad gratiam; in Sacramento igitur disponit proximè ad illam. Hoc clarè patet ex iisdem verbis: *Et quamvis*, etc.: si Concilium loqui intellexisset de sola dispositione remota, quin eam gratia subsequeretur, inconcludenter et perperàm dixisset: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ attritio gratiam producere non posset, tamen in Sacramento disponit ad eam impetrandam*; sed dicere debuisset: *Et quamvis attritio extra Sacramentum non disponat ad gratiam, disponit tamen ad eam impetrandam in Sacramento.* Cùm igitur dixit: *Quamvis sine Sacramento non possit attritio perducere peccatorem ad justificationem, tamen eum in Sacramento disponit ad impetrandam gratiam*, necessariò intellexit de dispositione proxima. Hoc confirmatur clariùs ex verbis quæ subjunguntur: *Quamobrem falsò quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre.* Hæretici cum Luthero numquam Catholicos

calumniati sunt, qui dicebant dari gratiam contritis, sed tantum eos qui dicebant dari attritis, ex eo quia isti bonorum motuum expertes non sunt, et sufficientem habent dispositionem ad obtinendam gratiam in Sacramento: *Tristitia* (dicebat Lutherus) *ob fœditatem peccatorum, amissionem beatitudinis, etc. fecit magis peccatores, et tales indignè absolvuntur*, ideòque damnabat eos, qui vocant attritionem hanc proximè disponentem ad contritionem. Hi sunt igitur illi quos Concilium dicit falsò ab hæreticis calumniari.

16. — Probatur 2. ratione, quia Sacramenta actualiter operantur quod significant; undè verificari debet (ex se loquendo) quòd, cum sacerdos dat absolutionem, eo momento peccata remittuntur; propterea Pœnitentia nuncupatur Sacramentum mortuorum, quia confert vitam gratiæ illi qui eâ privatus est. Si ergò in dolore necessario exigeretur charitas prædominans, Sacramentum nunquam causaret gratiam, quia omnes accederent jam justificati, nam quilibet dolor qui ex charitate prædominante procedit, est vera contritio, ut docet S. Thomas (1), et hoc accidit (ut explicat Sanctus) quoties homini displicet potius gratiæ, quam alterius boni amissio; et cum illa sit vera contritio, quamvis exiguus sit dolor, delet peccata: *Quantuscumque parvus sit dolor* (verba Angelici), *dummodò ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet*. Et hìc certè Sanctus loquitur de dolore extra Sacramentum, sicut alibi id exprimit (2): *Per solam contritionem dimittitur peccatum... Sed si, antequam absolvatur, habeat hoc Sacramentum in voto, jam virtus clavium operatur in ipso*. Quid clarius? Sed quòd quælibet contritio quæ oritur ex charitate prædominante deleat peccata, legitur in eodem Trident. sess. 14. c. 4. in illis verbis: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu accipiatur, etc.* Hic certè non loquitur de charitate perfecta ratione intensionis, sed de charitate perfecta ratione motivi charitatis prædominantis; nam Concilium hìc distinguit eam à contritione imperfecta, quæ originem non habet ex charitate, subjungendo immediatè ibi: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ metu, et pœnarum concipitur* Et ratio est clara, quia quælibet contritio est actus formalis charitatis, et charitas

(1) *Suppl. q. 5. a. 3.* — (2) *Quodlib. 4. a. 10.*

non potest cum peccato conjungi, ut probatur ex sexcentis Scripturis: *Ego diligentes me diligo.* Prov. 8 17. *Qui autem diligit me, diligitur à Patre meo.* Joan. 14. 21. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Epist. I. Joan. 4. 7. Et id communiter docent SS. Patres, et theologi cum S. Thoma (1), qui dicit: *Charitas non potest esse cum peccato mortali*, et pro charitate utique S. Doctor non intelligit hîc intensam, sed prædominantem, dum alibi (2) declarat charitatem consistere in amando Deum super omnia, dicens: *Actus peccati mortalis contrariatur charitati, quæ consistit in hoc, quòd Deus diligatur super omnia.* Certius hoc fit ex prop. 32. Baji damnata à Gregorio XIII. quæ dicebat: *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non semper est conjuncta cum remissione peccatorum.* En sic quæro: quisnam est amor, qui est plenitudo legis, nempe qui satis est ad adimplendum præceptum charitatis? Certè est ille quo diligitur Deus super omnia, ut fatentur omnes cum S. Thoma (3), qui explicans illud præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, dicit: *Cùm mandatur quòd Deum ex toto corde diligamus, datur intelligi quòd Deum super omnia debemus diligere.* Itaque cum certum sit charitatem prædominantem, quamvis remissam, non posse cum peccato conjungi, certum est etiam quamlibet contritionem, quæ formaliter est actus charitatis, delere peccata. Igitur hoc posito, si velint ut amor inchoatus, requisitus in attritione, sit amor prædominans, hoc non rectè prætenditur, quia (ut ostendimus) si hoc esset, quilibet peccator accedere deberet jam justificatus ad recipiendam absolutionem sacramentalem, adeoque nunquam accideret quòd Sacramentum causaret actualement justificationem, quæ est proprius illius effectus. Si autem in attritione pro dispositione ad gratiam obtinendam, desideratur amor inchoatus qui sit principium amoris, sicut loquitur Trident. sess. 6. c. 6., dum agit de dispositione eorum, qui ad obtinendam justificationem *Deum tamquam justitiæ fontem diligere incipiunt*: hoc non negatur, et dicimus hoc initium jam in qualibet attritione reperiri, tum metu pœnarum à Deo infligendarum, ex eo quod dicit *Ecclesiast. 25. 16. Timor Dei initium dilectionis ejus*; tum spe remissionis, et beatitudinis, ex eo quod dicit S. Thomas (4): *Ex hoc quòd per aliquem speramus bona, incipimus ipsum diligere.* Sed non jam si

(1) 2. 2. qu. 45 art. 4. — (2) 2. 2. qu. 24. art. 12. — (3) 2. 2. qu. 44. art. 8. ad 2. — (4) 1. 2. qu. 40. art. 7.

optatur verus charitatis prædominantis actus; hic certè non est necessarius ut in Sacramento obtineatur gratia. Adeò id verum est ut, referente eodem Pallavicino (1), ad illa verba *diligere incipiunt*, nonnulli Patres Concilii contendebant addendum esse, *per actum charitatis*; sed obstetit Concilium, et non adjecta fuerunt.

Quidam auctor modernus libri, cui titulus *Esposizione sulla dottrina cristiana*, loquens de Sacramento Pœnitentiæ, inducit super hoc puncto aliam inauditam opinionem, et dicit: Quòd si peccator, qui habet charitatem prædominantem remissam, decessurus sit ante susceptionem Sacramenti, hunc non sinet Deus damnari, quia (ut ait) horrendum videtur, quòd Deus in æternum perdat, qui eum super omnia diligit. Undè censet, eo casu Deum per quamdam providentiam extraordinariam illum salvare. Si auctor iste diceret, quòd Deus hujusmodi peccatori decessuro ante mortem dispositionem auget, præfata opinio videretur minùs incongrua. Sed quis unquam credere poterit, quòd peccator ille, eandem dispositionem habens, nunc in odio. nunc in dilectione sit Deo? Quomodò eadem in substantia dilectio erga Deum nunc reddet eum dignum divino amore, nunc odio dignum relinquet? Dèùm peto, ubi fundat auctor hanc extraordinariam Dei providentiam? super qua Scriptura, quo Ecclesiæ Canone, quâ Patrum doctrinâ? Gratis igitur id asserit. Potiùs ex eo concludendum videtur, quòd si durum et horrendum est putare, quòd Deus damnet eum, à quo super omnia diligitur, horrendum etiam dici debet quòd Deus hominem super omnia eum diligentem odio habeat. Vide in Opere (2), ubi allatæ doctrinæ, hic strictiùs comprehensæ, fusiùs expositæ inveniuntur unà cum aliis. Sed veniamus ad dubia.

17. — Quæritur 8. an sufficiat attritio metu temporarium pœnarum concepta, in quantum illæ sunt à Deo inflictæ? Alii negant, dicendo dolorem debere oriri ex timore pœnarum æternarum, quia cùm æterna sit pœna peccati mortalis, pœnitens debet dolorem peccatorum concipere ex timore æterni mali; ita *Canus, Conc. Pasqual.*, etc. Sed alii communiùs, ut *Lugo, Suarez, Anaclæt. Viva, Elbel, Gobat. Croix*, etc., probabiliùs affirmant ex verbis Tridentini sess. 14. c. 4. ubi dicitur: *Attritio ex gehennæ et pœnarum metu concipitur*. Concilium itaque distinguit alias pœnas ab illis inferni, ubi certè omnes aliæ pœnæ

(1) *Pallav. Hist. Trident. l. 8. c. 13.* — (2) *Lib. 6. ex n. 440.*

includuntur. Sed quia prima sententia non potest dici improbabilis, in praxi non possumus amplecti secundam (1).

18. — Quæritur 9. an possit dari Sacramentum validum et informe? Casus accidere possit, si quis habens duo peccata, unum sacrilegii, alterum furti, et cùm recordaretur solius sacrilegii, tantùm illius se pœniteret ob supernaturalem turpitudinem illius vitii: hic quæritur an iste validè reciperet Sacramentum, adeò ut detestando postea furtum, reciperet gratiam, et postea tantùm teneretur confiteri furtum? Multi id negant, et præcipuè *Scotistæ*; sed ipsi discrepant inter se; alii enim dicunt hujusmodi Sacramentum non solùm esse validum, sed etiam formatum, nempe gratiæ infusione; quia pœnitens se dolendo de offensa in Deum ob sacrilegium, et cupiendo reconciliari Deo, hic dolor et hoc desiderium efficiunt, ut ille virtualiter etiam detestetur furtum. Sed huic rationi responsio clara se offert; istum enim in tantùm pœnitet offensi in Deum ob sacrilegium, et cupit se reconciliari cum Deo, in quantum movetur ob turpitudinem sacrilegii, sed hæc non comprehendit turpitudinem furti; adeò ut posset dari casus quo pœnitens si recordaretur solius furti, turpitudine furti forsitan non moveret eum ad pœnitendum; quare motivum turpitudinis sacrilegii non comprehendit virtualiter detestationem furti. Alii autem dicunt Sacramentum non solùm esse informe, nempe sine gratia, sed etiam invalidum, dicentes non posse esse materiam aptam pœnitentiæ illam, quæ non potest causare gratiam. Sed huic etiam subest responsio, quòd, cùm concurrant partes essentielles, quæ sunt dolor, confessio, et absolutio, non potest invalidum dici Sacramentum; undè libenter adhæremus sententiæ affirmativæ, et communissimæ Thomistarum cum *Suar. Lug.* et *S. Thoma* (2). et dicimus talem confessionem semper esse validam, sed gratiæ expertem (3).

19. — Quæritur 10. an dolor præcedere debeat confessionem? Affirmant *Laym. Castrop. Coninch.* et alii; tùm quia dolor debet esse sensibilis, et nequit talis fieri nisi confessione; tùm quia confessio, ut sit materia apta, debet esse dolorosa, aliàs esset simplex peccatorum narratio. Alii autem communiùs negant, ut *Lugo, Suarez, Bonac. Holzm.*, etc., et ipsis valdè favet Rituale dicens: *Auditâ confessione* (confessarius) *ad dolorem adducet.* Et rectè respondent ad primam rationem, dicendo dolorem

(1) *Lib. 6. n. 443.* — (2) *In 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. q. 1.* — (3) *L. 6. n. 444.*

non tantum per confessionem fieri sensibilem, sed etiam aliis signis, et verbis. Sed ad secundam rationem nullam convincentem afferunt responsionem; undè propter illam dico esse probabilem primam sententiam, proptereaque in praxi sequendam. Conveniunt autem communiter *Conc. Viv Salm. Holzlm*, etc., sufficere si poenitens post actum doloris dicat: *Iterum me accuso de omnibus peccatis confessis* (1).

20. — Quæritur 11. quamdiu moraliter perseveret dolor? Alii dicunt diutius, et sufficere quod non sit retractatus; sed hoc rejicitur; alii per diem, imò *Croix* dicit quod in praxi semper renovandus est, cum poenitens notabiliter ad alia distractus est. Ego verò cum *Ronc.* non dubito asserere, quoties confessio dirivat ex peccatorum dolore, semper virtualiter perseverare dolorem saltem per unum, aut alterum diem, dum illa confessio est doloris effectus. Secus autem, si quis ex mera devotione, aut ad votum, aut poenitentiam implendam, confiteretur (2).

21. — Quæritur 12. an actus doloris debeat elici in ordine ad confessionem? Affirmant *Bon. Busemb. et Conc.*, dum (ut dicunt) tam minister, quam suscipiens debent ordinare materiam ad Sacramentum, v. g. ablutionem ad Baptismum, tactum ad Ordinationem, et ita dolorem ad poenitentiam; undè volunt isti quod si quis actum doloris, quin ad confessionem cogitet, elicit, debet illum renovare, dum confitetur. Alii tamen probabilius, ut *Lugo, Sporer, Moja, Gobat.*, etc., negant, tum quia ex Trident. sufficit attritio habita, tum quia dolor saltem ordinatur ad absolutionem, cum per confessionem manifestatur. Sed quia prima sententia etiam est probabilis, ideò in praxi sequenda (3).

22. — Quæritur 13. cum quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum, an teneatur iterum dolorem elicere? Negant communiùs *Lugo, Anacl. Ronc. Viva, Spor.* etc., dicendo quod prior contritio, cum fuerit generalis, jam extenditur ad oblita, et eo casu sine dubio moraliter perseverat; et licet illa sint plura Sacramenta, benè tamen una et eadem materia plura Sacramenta constituere potest, sicut aqua potest esse materia plurimorum baptismorum. Sed affirmant *Vasq. Bonac. et Filliuc.*, dicendo per absolutionem impertitam jam prius iudicium completum esse, ac completum fuisse Sacramentum; undè

pro posteriori Sacramento requiritur nova materia; et licet dolor perseveret, non tamen perseverat in ordine ad posteriorem absolutionem, juxta quod dictum est præcedenti numero; ille enim dolor elicited est tantum in ordine ad primam. Et quia hæc secunda sententiæ est etiam probabilis, ideoque rectè dicunt *Croix*, et *Concina* hanc in praxi tenendam. Intelligitur tamen hoc ante Sacramenti susceptionem, quia postquam illud susceptum est, probabiles jam sunt omnes sententiæ oppositæ trium quæsitorum antecedentium: undè post factum rectè eas amplecti possumus (1).

23. — Quæritur 14. quomodò eliciendus est dolor de venialibus? Extra confessionem docet *S. Thomas* (2): *Sufficit aliquis motus charitatis ad eorum remissionem*; sed ad Pœnitentiæ Sacramenti susceptionem certum est apud omnes formalem dolorem requiri. Sed hîc dubitatur 1. an mortaliter peccet qui venialia sine dolore confitetur? Negant *Gonet*, *Juven.* et *Natalis Alexand.*; dicunt hi quòd quoties abest animus profanandi Sacramentum, illud frustrare in materia levi non excedere levem irreverentiam; sed communiter, et rectè affirmant alii DD. et *De Lugo* priorem sententiam appellat omnimò falsam, dicens injuriæ gravitatem non consistere in materia, sed in Sacramenti frustratione, in non apponendo materiam aptam, et essentialem, ut est dolor; undè sive frustretur ob gravem materiam, sive ob levem, irreverentia semper est gravis (3). Dubitatur 2. an in confessione venialium sufficiat pœnitere unius tantum, quin aliorum pœniteat? Nonnulli id negant; sed etiam communiter et rectè affirmant *Suar.* *Lug.* *Conc.* *Antoine*, etc. Et ratio luculenta est, quia venialia non sunt materia necessaria, sed sufficiens. Dicunt autem *Castrop.* *Spor.* *Lugo*, *Tamb.*, etc. sufficere pœnitere multitudinis venialium, quin alicujus in particulari pœniteat; sed contradicunt *Arriaga*, et *Dicast.* dicentes saltem necessarium esse dolorem erga aliquod illorum, ut diximus. Sed hæc sententiæ facilè conciliantur, quia impossibile est quòd ille, quem multitudinis pœnitet, non doleat de ultimis quæ multitudinem constituunt, et sicut quoad speciem sufficit (ut dictum est) dolere de una peccatorum venialium specie, et non de alia, ita quoad numerum sufficit posteriorum, non autem priorum pœnitere; adeò ut tunc pœnitens in recto doleat de multitudine, et in obliquo de ultimis peccatis (4).

(1) *Lib. 6. n. 448.* — (2) *3. p. q. 87. a. 2.* — (3) *L. 6. n. 449.* — (4) *Lib. 6. n. 449.* Dubit. 2.

PUNCTUM II.

De proposito.

Propositum I. debet esse firmum. An qui credit se lapsurum, etc.

24. II. *Debet esse universale* 25. III. *Debet esse efficax. An relapsus sit signum semper confessionum invaliditatis? Et an propositum debeat esse explicitum* 26.

24. — TRES sunt conditiones veri propositi ad confessionem requisiti: Ut sit firmum, universale, et efficax. Et primò debet esse *firmum*, ita ut pœnitens habeat firmum animum in quocumque casu non peccandi. Hic fit dubium, an valeat propositum alicujus qui non habet animum peccandi, sed credit certò quòd inposterum relapsurus sit? *Sanch. Laym. Nav. Sporer.* etc. dicunt valere, quia propositum voluntatis benè stare potest cum iudicio intellectûs, quod prævidet certum relapsum ex eo, quia de sua fragilitate experimentum habet. Contrà *P. Conc.* reprobatur ut infirmum etiam propositum illius qui timet probabiliter se relapsurum. Hæc secunda opinio est nimis rigida, et parùm rationabilis, quia timor relabendi potest simul stare cum proposito quàm firmissimo. Sed nec mihi placet prima, saltem practicè loquendo; nam sicut rectè dicit *Croix*, et non distat ab eo *Busembaum*, in praxi qui certò credit se esse relapsurum, demonstrat suum propositum non esse satis firmum; dùm non est possibile quòd qui scit Deum auxilium in eum speranti, et ab eo petenti præstaturum esse, et non permissurum aliquem ultra vires tentari, proponat firmiter cuicumque malo potiùs se subjecturum quàm Deum offendere, et postea credat se certò in eadem peccata recasurum; undè si iste hoc credit, signum est quòd ejus propositum non sit firmum (1).

25. — II. Propositum debet esse *universale* (intellige de mortalibus), ut docent omnes cum *S. Thoma* (2); nec audiendi sunt nonnulli AA. qui autumant, sicut valet dolor particularis, ita valere etiam propositum particulare; nam respondetur quòd dolor particularis admittitur, quia dolor respicit sola peccata commissa; sed non potest admitti propositum particulare, dùm quilibet debet esse paratus ad evitanda omnia peccata mortalia, quæ committere potest; ideòque Trident. loquendo de dolore, ait; *Dolor est detestatio de peccato commisso*; sed loquendo

(1) *Lib 6. n. 451.* — (2) *p. 3. q. 87. a. 1. ad. 1.*

de proposito, dicit, *cum proposito non peccandi de cætero*. Dictum est *de peccatis mortalibus*, quia quoad venialia, certum est cum S. Thoma (1) sufficere, si proponat se abstinere ab aliquo, quin proponat abstinere à cæteris (2). Cæterùm (ût dicunt *Suar. Croix*, etc.) potest homo proponere evitare omnia peccata venialia deliberata, et in quantum ad indeliberata sufficit proponere evitare ea quantum fert humana fragilitas, ût dicit idem Angelicus loc. cit.

26. — III. Debet esse *efficax*, nempe ut homo proponat non solum non committere peccata, sed etiam omnia media ad illa evitanda conducentia eligere, et præcipuè omnes occasiones proximas remove. Sed hîc advertendum (quicquid dicat *P. Concina*) relapsus non semper esse signa infirmi propositi, adeo ut semper repetendæ sint confessiones præteritæ, ût invalidæ; quia relapsus non est signum certum quòd defuit voluntas, sed sæpè est signum mutatæ voluntatis, dùm sæpè solent homines firmiter proponere, et postea iterùm cadere; ideòque ait Rit. rom.: *In peccata facîle recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpè confiteantur et, si expediât, communicent*. Non dicit, ut facîle recidentibus absolutio danda non sit, propter dubium quod subest de eorum proposito, sed ut consulendum sit potius eis ut sæpè confiteantur, et communicent: intelligitur, semper ac dignoscitur adesse debita dispositio, ût dicemus *Tom. III. Tr. ult. punct II*. Et quoad repetendas confessiones præteritas, rectè dicit *P. Segneri*, talem obligationem non adesse, nisi habeatur moralis certitudo de invaliditate confessionum præteritarum, ût esset, cùm observatur quòd aliquis post confessiones semper reincidit in eadem peccata statim post biduum, aut triduum, sine ulla resistentia, et quin aliquod medium adhibuerit, et quin occasionem removerit. Hîc occurreret loqui de illis qui sunt in occasione proxima, et de habitatis, et recidivis, sed de his peculiaribus *Punct. I. et II. Tract. ult.* loquemur. Restat tantùm hîc ut videamus, an pro confessione sufficiat propositum virtuale in dolore inclusum? Hic tres adsunt sententiæ. Sententia 1. negat cum *Scoto, Cano, Cajet. Tolet. Conc.*, etc. qui id inferunt ex *Trid. sess. 14. c. 4.* ubi videtur requiri propositum formale, cùm dicatur quòd pars essentialis Pœnitentiæ sit *dolor cum proposito non peccandi de cætero*. Sententia 2. quam tenent

(1) *Ibid.* — (2) *L. 6. n. 451. v. II. Requirit.*

Laym. Nav. Card., quam moraliter certam appellat *Lugo*, etc. affirmat, quoties dolor sit ex motivo universali; et etiam hæc fundatur in Concil. ubi dicitur quòd attritio, si excludat voluntatem peccandi, jam disponit ad gratiam. Et huic sententiæ adhæsit in Concil. rom. Bened. XIII. in quo approbavit instructionem ad populum, in qua (*pag. 440.*) dicitur quòd qui saltem non habet attritionem cum firmo proposito, saltem implicito, ampliùs non peccandi; remissionem non obtinet. Sententia 3. cum *Suar. Bellarmino, Bon. et Holzm.* qui eam vocat communem, distinguit, et dicit, quòd si pœnitens nihil cogitat de futuro, ut contingere solet infirmis proximis morti, tunc sufficit propositum implicitum. Secùs autem dicendum de eo qui cogitat de futuro, quia (ut dicit idem Concilium) contritio continet tam cessationem à peccando, quàm inceptioem novæ vitæ, juxta illud Ezechielis: *Projicite à vobis prævaricationes... et facite vobis cor novum. Ezech. 18. 31.* Cæterùm, quia prima sententia est satis probabilis, ante factum illa sequenda est, sed post factum, si quis bonâ fide confessus est cum proposito implicito, non tenetur repetere confessiones, ut dicunt *Bellarmin. Suar. Vasq. Bonac.* et alii communiter; dùm qui probabiliter recepit Sacramentum validum, non est obligatus ad illud repetendum; nam tunc cessat periculum injuriæ Sacramenti, illud frustrandi (1).

CAPUT III.

DE CONFESSIOE.

PUNCTUM I.

De conditionibus confessionis.

Confessio I. debet esse vocalis. II. debet esse secreta 27. III. Debet esse vera. Qui mentitur in confessione, etc. 28. IV. Debet esse integra. De circumstantiis aggravantibus 29. De peccatis dubiis 30. 31. et 32. De peccatis dubiè confessis 33. Qui confessus est peccatum dubium, cum novit esse certum, etc. 34. Quando excuset impotentia physica mutos, surdos, ignorantés linguam, et moribundos 35. De moribundo qui dedit signa per testes 36. De iis qui nullum dant signum 37. De iis qui in actuali peccato corripuntur 38. Quando excuset impotentia moralis 39. Qui debet complicitatem aperire, etc. 40. Non potest confessarius inquirere nomen complicitis 41.

27. — QUATUOR sunt confessionis conditiones: Nempe, ut sit vocalis, secreta, vera et integra. Et primò debet

(1) *Lib. 6. n. 450.*

esse *vocalis*, nempe voce, dùm hic est usus communis Ecclesiæ, non jam facta per signa aut scripto; habetur ex *Extrav. Inter cunctos, de privil.* ubi dicitur: *Nisi articulus necessitatis occurrat, sanctificanda est oris confessio*: modò nulla adsit gravis causâ, v. g. nimix et extraordinariæ verecundiæ, aut linguæ impedimenti, et hujusmodi, quia in tali casu sufficit, postquam confessarius confessionem legerit, quòd dicat pœnitens: *Me accuso de omnibus istis peccatis*; ita communiter *Castr. Cano, Conc. Tamb. Salm.*, etc. (1). Qui autem non posset voce confiteri, tenetur saltem per signa aut scripto, cùm sine periculo, et sine magno incommodo id efficere potest, prout dicemus loquendo de muto *seq. n. 35. ad 1. (2)*. II. Debet esse *secreta*, quia nemo tenetur publicè, nec per interpretem confiteri, nisi esset in mortis periculo constitutus, aut existens in mortali dubitaret de contritione sua, ut dicemus *cit. num. 35.*

28. — III. Debet esse *vera*; undè graviter peccat sacrilegii qui mentitur in materia gravi, negando aut tacendo sine justa causa aliquod peccatum grave patratum, aut non adhuc confessum; et aliquando pœnitens tenetur aperire peccata confessa ad manifestandum habitum contractum (contra id quod dicebat prop. 58. ex proscriptis ab Innoc. XI.), ut confessarius posset se dirigere ad impertiendam, aut differendam absolutionem. Ita etiam peccat qui ex malitia se accusat de aliquo peccato gravi, quod non commisit; imò iste duo committit peccata, unum contra virtutem religionis, propter injuriam quæ in Sacramentum infertur, alterum contra virtutem veracitatis, cùm tale mendacium sit graviter ipsimet nocivum. Dictum est *in materia gravi*, quia negare in confessione aliquod veniale commissum, aut mortale jam confessum, aut dicere aliud mendacium leve, communis est sententia cum *Suar. Lugo, Bon. Ronc. Anacl. Holzm.*, etc. (contra *Cajet. et Armilla*) non esse grave. Nec obstat id quod dicit *S. Thomas* (3), peccare mortaliter qui negat veritatem quam confiteri debet; quia ibi loquitur Sanctus de confessione, quæ fieri debet in foro externo, non autem de sacramentali, ubi certum est non teneri nos ad confitendas nec culpas veniales, nec graves jam confessas, nisi cùm hoc expèdiret ad recipiendam absolutionem (4).

29. — IV. Confessio debet esse *integra*. Et hìc distin-

(1) *Lib. 6. n. 492. et 495.* — (2) *n. 479.* — (3) *2. 2. q. 69. a. 1.* — (4) *l. 6. n. 195. ad 497.*

guenda est integritas materialis à formali. Per se loquendo confessio debet esse materialiter integra, nam pœnitens tenetur ad explicandas tam species peccatorum, quàm eorum numerum. Jam *Tom. I. Tr. III. punct. III.* locuti fuimus de distinctione specifica, et numerica peccatorum, et ex quibus radicibus desumenda sit. Sed hic quæritur an teneamur confiteri non solum circumstantias speciem mutantem, an etiam notabiliter aggravantes? Tres adsunt sententiæ probabiles. Prima affirmat cum *Soto, Suar. Gonet, Sanchez, Concina*, etc., dicentes eandem rationem, quæ obligat ad explicandas circumstantias mutantem speciem, obligare etiam ad aggravantes, dum utræque mutant notabiliter confessarii iudicium. Secunda sententia, quam tenent *Layman, Sporer, Busemb.* etc., etiam affirmat, sed tantum de illis circumstantiis quæ respiciunt integritatem substantialem peccati, ut est quantitas furti, et gradus conjunctionis in incestu; secus (ut dicunt) confessarius debitum iudicium substantiæ peccati formare non potest. Tertia sententia communior et probabilior, quam tenent *S. Antoninus, S. Bonaventura, S. Bernard. Sotus, Cabass. Lugo, Castrop. Bonac. Ronc. Holz. Salm.* et alii, absolute id negat; et hanc sententiam tenet *S. Thomas* (1), qui dicit: *Alii vero dicunt quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt, et hoc probabilius est*: et in responso ad 2. subjungit: *Undè sufficit quod (sacerdos) cognoscat quantitatem quæ ex specie peccati consurgit.* Ratio est 1. quia Tridentinum *sess. 14. cap. 5.* non imponit ut confiteantur nisi solas circumstantias, quæ mutant speciem, dicens quod sine earum notitia non potest confessarius rectè iudicare; ergò è converso, juxta Concil. cum explicantur illæ, confessarius jam rectè iudicium ferre potest. 2. Quia obligatio confitendi circumstantias aggravantes esset pœnitentibus nimie angustiae, cum possint ipsi dubitare an circumstantiæ omissæ essent leves, aut notabiliter aggravantes, et an sint sufficienter expressæ. 3. Quia (et hæc est ratio potissima aliarum) talis lex confitendi circumstantias aggravantes, uti dicunt *Cabassut. Lugo, Roncayl. et Salmantic.* cum *Lambert.* (2), est dubia, et nemo tenetur ad leges dubias, uti ostensum est in *Tom. I. Tr. I. n. 33.* cum *S. Thoma* (3), qui dicit: *Nullus ligatur per præceptum, nisi mediante scientiâ illius præcepti.* Nec obstat

(1) *In 4. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5* — (2) *Notif. 80. n. 19.* — (3) *De veritate qu. 17. a. 3.*

hîc dicere, quòd in Sacramentorum materia non possimus sequi opiniones solùm probabiles, quia hoc procedit cùm agitur de valore Sacramenti, secùs de integritate: et in quantum ad valorem, certum est sufficere integritatem formalem. Nihilominùs rectè advertunt *Lug. Castrop. Salmant.*, etc. quòd in quantum ad furtum, licèt pœnitens per se non teneatur ad explicandam quantitatem, plerùmque tamen tenetur confessarius ad eam investigandam, ut se dirigat ad absolutionem impertiendam, et circa quantitatem et modum restitutionis (1).

30. — Præterea quæritur an adsit obligatio confitendi mortalia dubia? Sed hic quæsitæ distinguenda sunt; hinc quæritur 1. an confitenda sint peccata positivè dubia, nempe cùm probabile est ea commissa fuisse, et probabile non fuisse? In eo casu affirmant *Merbes. Habert*, et *Con.*, quia ut hi auctores dicunt, *in dubiis via tutior est eligenda*. Sed communiter id negant *Silvester Sylvius*, *Gerson. Sanchez, Suarez, Bonac. Anacl. Ronc. Salmant. Holzm.* et alii plurimi, propter generalem rationem, quòd licèt sequi possumus opiniones verè probabiles, ut ostensum est *Tom. I. Tr. I. ex n. 33*. Et ad regulam oppositam respondetur cum *S. Antonino*, ut ibidem *num. 36*. Rectè tamen advertunt *Sanch. Viva, Holzm.*, etc., quòd in mortis articulo in tali dubio quilibet aut debet contritionem elicere, aut accipere absolutionem confitendo saltem aliam materiam certam (2).

31. — Quæritur 2. an confitenda sint peccata negativè dubia, nempe quorum nulla apparet ratio affirmandi, vel negandi? Affirmant cum communiori *Busemb. Dian. Tambur.*, etc., dicendo Trident. *sess. 14. cap. 5.* præcipere pœnitentibus confessionem omnium mortalium, *quorum conscientiam habent*: ergò (dicunt) utique confitenda sunt peccata dubia, quæ dubia sunt in conscientia. Sed negant probabiliùs *Merbes. Habert, Coninch. March. Holzm. Croix, Mazzotta*, etc., et hanc sententiam probabilem vocant *Layman*, et *Viva* cum *S. Antonino, Ledesm. Palud.* etc. Ratio 1. est quia Concilium non jam imponit, ut supponunt adversarii, confessionem peccatorum, ut sunt in conscientia, sed peccatorum, *quorum* (pœnitentes) *conscientiam habent*, dicere intendens eorum quorum pœnitentes certam habent scientiam, cùm *conscientiam* (sicut explicat *S. Bernard.*) significat cordis scientiam; undè perperam dicitur quis habere conscientiam illius peccati, cujus nullam habet rationem illud commisisse. Tantò ma-

(1) *Vide lib. 6. n. 465.* — (2) *n. 473.*

gis, quòd Trident. loco cit. subjungit: *Nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigì, quàm ut... quisque... ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit*; qui negativè dubitat, non potest dici quòd recordetur commisisse peccatum. Ratio 2. est quia (sicut superius diximus) non debet onus certum pro lege dubia imponi: contrà nulla adest lex certa confitendi peccata dubia (1). Et hoc currit, etiamsi quis vellet communicare, ùt diximus *Tract. XV. n. 34*: quicquid dictum sit in Opere (2).

32. — Cæterùm regulariter loquendo, consultiùs est pœnitentibus suadere ut peccata dubia confiteantur, ad majorem suæ conscientiæ quietem, modò non sint scrupulosi, ùt diximus *Tom. I. Tr. I. n. 10. et 11*. Insuper sapienter dicunt *Salm. Scholastici, Habert, Bonac. Suar. Croix* et alii, quòd personæ probatæ pietatis, quæ diutiùs nunquam, aut valdè rariùs mortali alicui ssentitæ sunt, istæ cùm dubitant de consensu, præcipuè si recordantur in principio restitisse, aut dubitant si fuerint in perfecta vigilia, possunt certò sibi statuere mortaliter non peccasse; cùm (sicut dicunt *Salm. et Habert*) moraliter impossibile est, quòd voluntas in bono proposito ita obfirmata, mutetur, quin clarè hoc percipiat. Dicit *P. Alvarez*, quòd peccatum mortale est monstrum ita horribile, ut in animam, quæ ab eo per multum temporis abhorruit, se introducendo, non potest se in eam introducere, quin anima dilucidè illud cognoscat; sicut contra, loquendo de iis qui ex habitu mortalibus consentiunt, in dubio præsumuntur illi consensisse, quia si restitissent, utique de conatu in tentatione repellenda adhibito recordarentur: undè rectè concludit *Croix*, quòc in tali materia difficulter datur dubium negativum, dùm præsumptio bonæ aut malæ vitæ rectè fundat credulitatem dissensûs, aut consensûs præstiti (3).

33. — Quæritur 3. an pœnitens teneatur confiteri peccatum certè commissum, sed in dubio, an de illo nec ne confessus sit? Si dubium est negativum, certum est apud omnes eum teneri. Contrà si dubium est positivum, adeò ut probabiliter credat de eo confessum esse, adest sententia non teneri ad illud confitendum; et hanc tuentur *Suar. Navar. Silvest. Bonac. Lugo, Salm. Croix*, etc. Verùm sicut mihi probabilis minimè visa fuit opinio relata *Tom. I. Tract. I. n. 17. in fin.* eorum auctorum, qui dice-

(1) *Lib. 6. n. 174.* Dubit 2. — (2) *n. 475.* — (3) *Lib. 6. n. 476. v. Item,*

bant non esse obligationem implendi vota, quæ probabiliter impleta sunt, ita nec valeo hanc approbare sententiam quoad peccatum probabiliter confessum, cum obligatio confessionis sit certa, et satisfactio dubia. Non autem reprobo id quod iidem citati auctores tradunt, nempe quòd ille qui diligens fuit in suis peccatis confitendis, si postea dubitat an aliquod peccatum omiserit, postquam multum elapsus sit tempus à quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, cum possit credere eo casu moraliter certè jam de illo confessum fuisse. Et subjungit *P. Concina*, quòd illi qui diutiùs vitam rectam duxerunt, licèt antea in vitiis habituati fuerint, si postea ipsi dubitant aliquod peccatum aut circumstantiam omisisse in confessione generali, aut particulari, debità diligentia præcedente, confessarius debet imponere ut ampliùs de illis non confiteantur, et ut nunquam ad illa animum addicant. Et loquendo de scrupulosis (ut dicunt communiter DD.), hic non tenentur aliquod peccatum confiteri, nisi certi ita sint, ut juramento possint affirmare illud peccatum fuisse mortale, et quòd nunquam confessi sunt (1); vide dicta *Tom. I. Tract. I. n. 10. et 11.*

34. — Quæritur 4. an qui confessus est peccatum uti dubium, teneatur iterum confiteri, cum advertit illud certum? Negant *Holz. Spor. Tamb. Elbel*, etc., quia illud peccatum (ut dicunt) est jam directè absolutum. Sed vera, et communissima sententia *Sanch. Card. Ronc. Busemb. Viva, Diana*, etc., affirmat; quia licèt peccatum fuerit directè absolutum, non tamen fuit, sicut erat in conscientia, explicatum cum commissum fuit, et sicut est in præsentì juxta suam cognitam gravitatem, et juxta confessionem à Trident. *sess. 14. c. 5.* præceptam. Opponunt: Ergo si quis confitetur commisisse decem peccata circiter, et postea recordatur certò fuisse undecim, hic teneretur ad repetendam confessionem. Sed respondetur quòd in illo *circiter* jam includitur numerus undecimus: contrà in dubia accusatione non includitur certa: nec dubia potest unquam pro certa sumi. Cæterum probabiliter dicunt *Coninch. Suar. Sanch. Salmant.*, etc., quòd si quis confitetur peccatum, quod ille nec confessarius ut grave cognoscit, non tenebitur postea illud repetere, cum cognoscet certò illud esse grave in suo genere, quia in tali casu pœnitens exponit peccatum ut est in conscientia (2).

(1) *N. 477.* — (2) *Lib. 6. n. 478.*

35. — Hactenùs de integritate materiali; sed aliquando in confessione sufficit integritas formalis, nempè quòd pœni ens confiteatur juxta quòd nunc moraliter potest, remanente cæteroquin sibi obligatione faciendi postea confessionem materialiter integram; cùm impedimentum fuerit remotum, et urgeat præceptum iterùm confitendi. Itaque excusat ab integritate materiali impotentia tam physica quàm moralis. Et primo ob impotentiam physicam excusantur 1. muti, quibus tam in morte, quàm in præcepto paschali sufficit signis, modo quo possunt, explicare unum peccatum dumtaxat (1). An autem muti scribere scientes teneantur confiteri sua peccata scribendo; negant *Castrop. Cajet. Nav. Valent.* et alii, dicendo quòd talis modus est periculo manifestationis obnoxius. Sed communiter, et probabiliter affirmant *Lugo, Bonac. Anaclæt. Croix, Salm.,* etc. cum *S. Thoma* (2), dùm qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media. Intelligitur modò hæc media non sint notabiliter difficilia; quapropter non tenetur mutus ad scribendam confessionem, cùm extraordinario incommodo aut periculo esset illi, ut peccata sua ab aliis cognoscantur (3). 2. Surdi, qui confessarii interrogationibus respondere nequeunt, nec uti deberent, peccata sua explicare sciunt: intelligitur hoc de omninò surdis, quia surdastri debent adduci in aliquem remotum locum, ut eorum confessiones audiantur. 3. Illi qui linguam patriam ignorant. Isti tempore præcepti, aut alterius necessitatis, possunt absolvi manifestando tantùm signis peccatorum suorum dolorem, nec tenentur per interpretem confiteri, ut dicunt *Suar. Vasquez, Lugo;* etc. An autem teneantur confiteri sic in morte. Alii affirmant; sed alii, ut *Sot. Cajet. Castr. Salm. Viva,* etc. probabiliter negant, nisi esset quòd dubitarent de contritione sua; quia tunc tenentur ad confitendum cum sola attritione quam haberent, ut per Sacramentum gratiam perciperent; sed tunc sufficet ipsis, ut confessario per interpretem aliquod veniale manifestent (4). 4. Moribundi; sed hic multa discernenda sunt. Si moribundus suû compos est, sed nequit loqui, quoties ipse pœnitentiæ dat signa, aut ostendit velle absolutionem, benè potest absolvi, et quoties repetit signa; quia tunc jam adest confessio in illa expostulatione quam facit de absolutione, aut in illo signo quod dat doloris sui, quo jam confitetur se esse pec-

(1) N. 479. — (2) *In 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 3. ad 2.* — (3) *L. 6. n. 497. v. Quær.* — (4) *Lib. 6. n. 479. v. II. Surdus.*

catores; undè tunc directè absolutionem recipit super peccatis omnibus sub generica peccati ratione, licèt ipse teneatur, cùm poterit, ad ea in particulari explicanda, ut confessionem materialiter integram faciat (1).

36. — Sed hìc quæritur 1. an possit absolvi moribundus sensibus destitutus, cùm adstantès testificantur illum confessionem petivisse, aut pœnitentiæ signa dedisse? Negant *Cano, Ledesm. Alvar.*, etc. Sed est communis sententia opposita, quæ tenenda est, quia tunc per testes satis sensibilibiter cõfessario fit nota infirmi confessio; ita docent *Bellarmin. Sotus, Suar. Lugo, Conc. Salm.*, etc. cum *S. Thoma* (2), qui dicit: *Si infirmus qui petit Unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, ungat eum sacerdos; quia in tali casu debet etiam baptizari, et à peccatis absolvi.* Et hoc currit, ut dicit *S. Antoninus*, relatus in Sacerdotali romano apud *Lugo*, etiamsi infirmus diutiùs fuerit habituatus in peccatis, et confessus non sit. Hoc probatur ex Concil. Arausicano in *can. Qui recedunt 26. q. 6.* et ex Concil. III. et IV. Carthaginensibus, et à *S. Leone Papa* in *can. 15. Qui 26. q. 6.* et denique ex *Ritual. rom. (de Sacrament. Pœnitent. §. Ordin. min.)* ubi dicitur: *Etiamsi confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Et hæc sententia habet locum, ut probabiliter dicunt *Lugo, Dicast. et Croix*, licèt unus tantùm testis adsit, et etiamsi sit mediatus, qui testetur signa à moribundo data. Nec obstat decretum *Clementis VIII.* quo præscripta fuit confessio facta in absentia confessarii, dùm (ut testantur *Bellarmin. Suar. et Petrus Lombardo*) idem Pontifex declaravit non intellexisse comprehendere moribundos, imò expressè dixit hos in nostro casu debere omninò absolvi (3). An autem talis absolutio debeat absolutè dari, sententia communior affirmat, dicendo quòd in tali necessitate Sacramenta debent absolutè conferri, quoties de materiæ valore probabilitas habetur: sub conditione autem quoties prudens tantùm dubium habetur: sed *Suar. S. Anton. Bon. Wigandt, et Croix* tenent dandam esse in nostro casu sub conditione; et hæc opinio mihi videtur tuta, præcipuè cùm dubitatur (prout facilè dubitari potest in rudibus) an pœnitens nec ne ritè actum doloris elicuerit (4).

37. — Quæritur 2. an possit absolvi sub conditione moribundus sensibus destitutus, qui nulla dat, nec dedit,

(1) *N. 480.* — (2) *Opusc. 6. de Sacra Unct.* — (3) *Lib. 6. n. 481.* — (4) *Ibid. v. Utrum.*

pœnitentiæ signa. Multi negant, ut *Lugo*, *Busemb. Petroc. Abel. Laym. Roncagl.*, etc., quia tunc, ut dicunt, deest materia sensibilis Sacramenti; sed communiùs et probabiliùs affirmant *Merbesius, Molin. Sarden. Pontius, Salmeron. Juvenin., Conc. et Croix*, et clarè id docet etiam *S. Augustinus* (1) qui dicit: *Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentes finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet Mater Ecclesia* (2). Oponitur: Sed in tali casu ubinam est materia sensibilis Sacramenti? Respondent *Gonet.* et *Juvenin*; sed eorum responsiones parùm satisfaciunt, ut videre est in *Opere*. Melius respondent *Molfes. Avers. Salm. Viva*, et alii, quòd in tali casu jam prudens dubium habetur, quòd moribundus antequam sensibus destitueretur, aut in aliqua intervalli luce, suæ damnationis periculum agnoscens, velit, ac etiam petat absolutionem signis sensibilibus, v. g. suspiriis, oculorum aut oris motibus, aut saltem respiratione anxia quam ostendit, licèt hujusmodi signa non possint perspicuè percipi, sed ipsa aut eorum dubium jam sufficiunt ad dandam absolutionem sub conditione; in casu enim necessitatis urgentis benè licèt uti materia etiam dubià: quòd utique principium certum est apud theologos, ut testatur *Juven.* Imò possumus uti tunc opinionibus etiam tenuiter probabilibus, sicut communiter docent *Sot. Navar. Carden. Sanch. Viva, Gobat. Croix*, etc., quia necessitas efficit ut in quocumque dubio licèt ministretur Sacramentum sub conditione, dum per conditionem jam reparatur Sacramenti injuria, et eodem tempore prospicitur proximi salutem. Et hìc præterea advertendum est cum *Suar. Vasq. Viva, Mazzot.* et aliis communiter, quòd sacerdotes (cùm possunt) tenentur sub gravi absolvere infirmos, ut deducitur ex *can. Si presbyter* 26. q. 6. ubi *Julius Papa* dicit: *Si presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum*. Contrà etiam advertit *Ronc.*, loquendo generaliter de moribundis, quòd non debet intra breve temporis spatium sæpius replicari absolutio, nisi novum et certum doloris signum habeatur, quàm bis aut ter intra aliquam proportionatam distantiam, quia reverà tunc esset necessitas. Non negatur tamen quòd si sensuum destitutio diutiùs perseverat, cùm actuale mortis periculum adsit, potest pluries repeti absolutio v. gr. ter aut quater in die (3).

(1) *L. 1. de Adult. c. 2.* — (2) *L. 6. n. 482.* — (3) *Lib. 6. n. 482. v.* Sed dices.

38. — Quæritur 3. an possit dari absolutio conditionata peccatori, qui sensibus destituitur in actu peccati, v. g. in adulterio, vel duello? Negant *Habert, Gonet, Juvenin.* et *Conc.*; sed affirmant *Pontius, Carden. Holzman, Stoz. Gormaz.* et alii. Dicunt hi quòd semper ac constet hujusmodi peccatorem fuisse catholicum, debere absolvi sub conditione in mortis momento; et rectè dicunt *Merbes.* et *Du-Pasquier*, quòd possumus hâc uti opinione, potissimum ob S. Augustini auctoritatem (1) dicentis: *Qui... retinent adulterina consortia, si desperati et intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebris usque ad Baptismum statuerint retineri? Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit.* Et dicendo Sanctus, *Quis enim novit, utrum,* etc. supponit certò tales peccatores nullum certum suæ conversionis signum præstitisse. Hanc sententiam puto sufficienter probabilem ratione eâdem superiori quæsito adductâ, quia de quolibet Catholico prudens potest esse præsumptio, quòd si unquam ille aliquo usûs rationis intervallo donetur, optet modo meliori quo potest, damnationem suam aufugere. Dictum est *Catholico*, dùm (ut benè notat *Holz.*) hæreticus moribundus, licèt det signa pœnitentiæ, nòn potest absolvi, nisi expressè absolutionem petat; nam aliàs non potest prudenter præsumi ea signa dare in ordinem ad confessionem, à qua hæretici vehementer abhorrent (2).

39. — Secundo loco ob impotentiam *moralem* excusatur pœnitens ab integritate materiali, et ei sufficiet formalis in pluribus casibus: 1. Si est scrupulosus et jugiter præteritarum confessionum timore vexatur, ut docent communiter *Laym. Illsunq. Elbel,* et *Holz.* 2. Si infirmus, confesso uno vel altero peccato, deficeret, aut in periculo deficiendi esset. 3. Si dùm affertur Viaticum, confessarius adverteret confessiones præteritas fuisse nullas, et infirmus non posset tunc integrè confiteri, nisi cum periculo sine absolutione decedendi, aut scandali, ut superiori *Tract. XV. n. 24.* dictum est. Et idem dicit probabiliter *Ronc.* cum urgens esset necessitas celebrandi, aut communicandi, et tempus finiendæ confessionis non suppetet. Idem currit pro sacerdote habente reservatum, et in celebrandi necessitate constituto, si non adesset confessarius facultate præditus, ut in antecedenti *Tract. n. 27.*

(1) *Lib. 1. de Adult. Conjug. c. 28.* — (2) *Lib. 6. n. 483.*

diximus. 4. Si sacerdos esset in mortis periculo antequam absolutionem impertiatur. Cùm grave adest periculum infectionis, quia tunc confessarius potest absolvere pœnitentem infectum, audito uno tantùm peccato: *Conc. Wigandt, Bonac. Elbel*, et alii. Sed si confessarius vellet audire totam confessionem, tenetur infirmus integrè confiteri (1). 6. Si imminet naufragium. aut prælium: quia sufficit cuique tantùm veniale confiteri, aut se peccatorem esse in generali; et potest tunc sacerdos absolvere omnes in generali, dicendo: *Ego vos absolvo*, etc.; præcisus pœnitentium concursus, aliâ non interveniente causâ, non est ratio sufficiens ad dimidiandam confessionem, ut ex prop. 59. damn. ab Innoc. XI. (2). 7. Si ex confessione alicujus peccati prudenter pœnitens posset timere grave damnum spirituale, aut temporale, proprium aut alienum, v. g. revelationis, scandali sui, aut confessarii, mortis, aut infamiæ. Sed intelligitur cùm urget necessitas confitendi ob mortis periculum, aut satisfaciendi Communioni paschali; aut (dicunt *Lugo, Henriq.*, etc.) si pœnitens esset in mortali, et cæteroquin ei expectandum esset per biduum, aut triduum, ut confiteretur; imò etiamsi per unum diem, sicut dicunt *Suar. et Escob.* (licèt in alia re) ut dicetur in *append. III. de Examine Ordinand. n. 20.* 8. Denique si non posset peccatum confiteri quin sigillum sacramentale revelet (3).

40. — Tenent autem nonnulli DD. ut *Navarr. Innoc. Hostiensis*, etc. quòd pœnitens debeat peccatum suum reticere, si non potest illud confiteri quin complicem manifestet confessario; nam (ut dicunt) præceptum naturale proximi famam servandi præferendum est præcepto positivo integritatis confessionis. Sed hoc negatur cum communi sententia *S. Bonaventuræ, S. Antonin. Gonet, Conc. Suar.*, etc. cum *S. Thoma* (4) qui dicit: *Si speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam cum qua peccavit, necesse est, ut exprimat.* Et idem dicit *S. Bern. (de Forma bon. vitæ)*. Ratio est, quia ex unâ parte integritas confessionis, quoties potest, servanda est: contra (ut dicit *S. Thomas*) manifestare alterius peccatum vacat culpâ, cùm justa intercedit causa: ultra quam quòd complex peccando amisit jus ad famam, in quantum ad confessionem, quam illius peccati facere debet. Hoc tamen intelligendum, cùm confitendum est mortale: nam ut

(1) *Lib. 6. n. 484. et 485.* — (2) *n. 486.* — (3) *n. 487. et 488.* — (4) *Opusc. 12. q. 7.*

confiteatur veniale, aut mortale jam confessum, non licet alterius grave peccatum patefacere, ut dicunt *Lug. Ronc. Viva*, et *Tamb.* contra *Renzi* (1). Et etiam in primo casu quo mortale non adhuc est confessum, tenetur pœnitens alium inquirere confessarium, cui complex est ignotus; modò (excipiunt DD.) ad hoc faciendum ei incommodum spirituale, aut temporale patiendum non sit, ut esset 1. Si jam suum declarasset peccatum confessario, cui notus esset complex, ac propterea obligaretur bis ad confitendam culpam suam. 2. Si esset in celebrandi, aut communicandi necessitate. Si ad perquirendum alium confessarium longè ei proficiscendum esset, aut ne indulgentias amitteret; aut si ei gravi esset incommodo conscientiam suam alii quàm confessario ordinario manifestare; aut si omitienda esset consueta Communio; et tantò magis si cæteroquin ei ultra biduum (ut dicunt *Lugo*, *Viva*, *Renzi*) in mortali perseverandam esset. *Henriq.* putat diuturnam esse bidui dilationem. Imò *Antoine* absolutè dicit excusare ab obligatione perquirendi alium confessarium unius diei dilationem. Præterea sæpè excusantur matres, et uxores in referendis apud confessarium filiorum et virorum peccatis, dum hoc ei confert ad sedandum dolorem, aut ad consilium melius capiendum de modo quo se gerere debeant. Insuper auctores excusant pœnitentem, si judicaret illum confessarium doctiorem, aut saltem suæ conscientiæ magis conscium, adeò ut meliùs posset illum dirigere, et animæ suæ paci consulere; tantò magis, quòd multi DD. graves, ut dictum est *Tom. I. Tr. XI. n. 41.*, tenent non esse culpam gravem etiam sine causa uni vel alteri viro prudenti proximi delictum manifestare (2); sed hæc esset causa cur etiam à veniali excusaretur.

41. — Advertendum hìc denique, quòd licet pœnitens posset in casibus præfatis licitè complicem detegere confessario, nihilominus non licet confessario a pœnitente complicitis nomen exquirere, licet hoc bono fine efficeret, ut eum corrigat, aut damnum impediat; dum *Benedict. XIV.* in Bulla *Ubi primum* edita 3. Junii 1746. hoc appellat detestabile: et detestabilius, si confessarius absolutionem negaret ei qui complicem manifestare recusaret. Hinc Pontifex declarat, hoc esse peccatum mortale, et imponit hujusmodi confessario suspensionem (sed ferendæ sententiæ) ab audiendis confessionibus; et excommunicationem papalem ipso facto in præsumentes docere oppo-

(1) *Lib. 6. n. 489.* — (2) *n. 490.*

situm; et insuper aliis (non autem pœnitentibus), qui scirent aliquem confessarium propter hoc absolutionem denegasse imponit denuntiationis obligationem, modò ille ex simplicitate hoc non effecerit. Rectè tamen dicit *P. Concina*, non intelligi per hoc vetitum fuisse confessario circumstantias ad confessionis integritatem necessarias exquirere, prout sunt illæ quæ mutant speciem, aut expediat eas scire ad pœnitentis directionem; quare benè potest confessarius interrogare de conjunctionis gradu, si complex sit in peccato turpi, an sit ligatus voto castitatis, an sit famula, si in eadem domo commoretur (1). Præterea dicit *P. Mazzotta*, quòd si à complice gravia timerentur damna, quæ solus confessarius avertere posset, tunc complex manifestandus est. Addit auctor Commentarii in *Antoine*, non potest absolvi pœnitens, qui nollet complicem patefacere, cùm hoc est necessarium ad publicum damnum reparandum. Ego tamen dico, quòd in tali casu nunquam licet confessario, stante præfatà Pontificis prohibitione, interrogare de complice nomine; tantùm poterit ille tunc obligare pœnitentem in generali, ut revelet complicem alicui qui malum impedire potest; sed si pœnitens sponte suâ confessarium rogaret, ut ipse sibi susciperet has partes et ex se revelaret complicem, tunc confessarius non peccat, et utique potest uti eâ notitiâ, ut remedium afferat; licèt plerùmque non expediat ut confessarii hoc onus corrigendi ex confessionis notitia sibi assumant, quia hoc difficulter accidit sine scandali periculo, aut sacri ministerii dedecore.

PUNCTUM II.

Quandonam confessio sit invalida, et quomodò revalidanda est.

Quandonam confessio sit nulla ex parte confessarii 42. Quandonam ex parte pœnitentis. De complice in peccato turpi 43. Quomodò convalidanda confessio apud eundem confessarium; et an sufficiat recordari pœnitentiæ impositæ 44. De rudibus qui non explicarunt nec species, nec numerum 45. Quando rependa est confessio 46.

42. — CONFESSIO potest esse invalida, aut ex parte confessarii, aut ex parte pœnitentis. Ex parte confessarii 1.

(1) *Lib. 6. n. 491. et 492.*

si ille caret jurisdictione; 2. si deficit in danda, aut in proferenda absolute; 3. si nullum pœnitentis peccatum intellexit: dico *nullum*, quia si aliqua intellexit, valida est absolutio, si pœnitens bonâ fide eam recipit; tantùm huic restat obligatio confitendi peccata, quæ confessarius non audivit. Secùs autem si eam recipit in mala fide, cùm jam advertit, confessarium aut non audire, aut dormire, aut esse ignarum, aut peccati gravitatem non concipere, aut facilem esse in absolvendis, etiam indispositis, quia tunc cùm pœnitens peccet in eadem confessione, quam facit, illa certè nulla est. Si autem tu cùm confiteris, peractâ confessione, cognosceres confessarium aliquod peccatum non audivisse, sed nescis quodnam sit, tunc dicunt communissimè *Sanch. Tamb. Salm. Lugo. Dicast.*, etc., quòd si confessio est brevis, teneris eam repetere, secùs autem si fait longa, quia eo casu præsumitur Deus non obligare ad integritatem confessionis cum tanto incommodo (1). Dicunt autem *Suar. Sol. Castr. Lugo, Salm.*, etc. confessionem bonâ fide factam confessario nescienti distinguere nec species, nec numerum peccatorum, esse validam, nec repetendam. Ego dico hoc intelligendum in casu quo non constat de omissione; quia si constat quòd defuit integritas, hæc semper supplenda est, ut dicunt ipsi *Salm.* et *Lugo*; quandoquidem licèt prior confessio fuerit valida, saltem est invalida secunda, in qua defectus animadvertitur (2).

43. — Ex parte autem pœnitentis est invalida confessio, 1. si ille est excommunicatus, nam excommunicatio privat cujuscumque Sacramenti perceptione; 2. si ex malitia aut culpabili negligentia omittit aliquod grave peccatum confiteri; 3. si debitum dolorem aut propositum non habet; præcipuè si restituere non vult, ut debet, bona, honorem, aut famam ablatam: aut si occasionem proximam voluntariam nolit auferre; 4. si confitetur aliquod peccatum turpe apud eundem complicem; nam, ut declaravit Benedictus XIV. in sua Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ* data 1. Jun. 1741., confessarius omni privatus fuit jurisdictione erga complicem sui peccati turpis, præterquam in casu mortis, et quando nullus alius sacerdos etiam simplex adesset; alioquin ille absolvendo incurrit papalem excommunicationem, ut fusè dicetur loquendo *de Jurisdictione confessarii n. 95.* (3).

44. — Hinc quæritur, quomodo repetenda est confessio

(1) *Lib. 6. n. 498. et 499.* — (2) *Lib. 6. n. 500. v. Eodem.* — (3) *n. 501.*

invalida, cum apud eundem confessarium fiet? Oportet hic prius advertere, quod cum absolutio dilata est, non opus est ut confessarius distinctè reminiscatur peccatorum, quæ jam confessa fuerunt, nec ut confessionem repetere faciat, sed sufficit ut in confuso recordetur status pœnitentis; ut communiter *Silv. Suar. Navarr. Conc. Laym. Croix*, etc. (1). Fit attamen dubium an hoc sufficiat, cum confessio fuerit nulla? Distinguunt *Suar.* et *Coninch.* et dicunt quod tunc tantum sufficit, cum confessio invalida fuit solo confessarii defectu circa suum officium, v. g. si absolutionem non dedit, aut sibi defuit animus absolvendi; secus autem cum fuit nulla defectu alicujus partis essentialis, ut si defuit dispositio in pœnitente, aut jurisdictio in confessario; quia tunc cum confessio fuerit sacrilega, aut facta apud non judicem, non est sacramentalis. Hæc sententia est probabilis, nihilominus opposita est communis cum *Navar. S. Antonin. Silvest. Vasq. Medina, Lugo, Laym. Sa, Bonac. Valent. Tamb. Aversa, Croix, Salm.*, etc., et est valdè probabilis. Hi DD. dicunt, quacumque ex parte veniat defectus, necesse non esse confessionem repetere, sed sufficere quod pœnitens in genere iterum se accuset de peccatis jam patefactis, et quod confessarius pœnitentis statûs recordetur; aut ad summam illius conscientie in confuso reassumat notitiam. Ratio est 1. quia talis confessio non fuit jam simplex narratio, sed cum facta fuerit in ordine ad recipiendam absolutionem, benè potest illa verè dici sacramentalis; dum jam obligat ad sigillum sacramentale. 2. Quia quamvis talis confessio non fuisset sacramentalis, saltem ejus ratificatio, iterum pœnitente se accusante de peccatis confessis, conjuncta cum cognitione quam confessarius de illis prius habuit, reputatur utique sufficiens ad efficiendam illam validam, et integram. Imò hoc admittit *Card. de Lugo*, etiamsi pœnitens antecedenter peccata sua ob simplicem narrationem confessario declarasset; sed huic acquiescere nequeo, quia tunc dico quod neutra confessio potest dici sacramentalis: non quidem prior, quia illa non fuit facta in ordine ad absolutionem: non secunda, quia non adest confessio cujlibet peccati in particulari, sicut requirit Trident., tantum hoc posset admitti, si confessarius, dum pœnitens se accusat de peccatis narratis, distinctam eorum haberet notitiam (2). Addunt multi graves DD. ut *Tol. Vasq. Laym. Sa, Busemb.*, quod cum adfuerit confessio facta in ordine

(1) N. 502. v. Quær. — (2) Lib. 6. n. 502. Dubium 1.

ad absolutionem, non solùm sufficit memoria in confuso illius sed etiam solius pœnitentiæ impositæ; quia ex sola pœnitentiæ notitia potest confessarius debitum formare iudicium pœnitentis statûs. Addunt *Castrop. S. Antonin. Silv.*, etc. apud *Croix*, sufficere etiam solius pœnitentiæ adimpletæ reminisci, licèt nec confessarius, nec pœnitens recordentur quænam fuerit; sed hæc opinio mihi videtur nimis extensa, quia sacerdos, ut diximus, debet iudicium formare saltem in confuso de statu pœnitentis, tam ad dandam absolutionem quàm ad pœnitentiam injungendam, quæ in tali casu utique debet imponi ad faciendum Sacramentum integrum (1).

45. — Dicit *Tambur.* et adhæret *P. Segneri* (in sua *Instructio ad confessarios*) rudes et pueros qui semper in confuso confessi sunt sine specierum et numeri peccatorum distinctione, sed in bona fide, hos non teneri ad repetendas confessiones. Sed hæc opinio nescio quomodò possit admitti, dùm isti, ut dicunt *Lugo, Navar. Bonac. Salm.*, etc., semper tenentur ad explicandas species, et numerum omissum, cùm id animadvertunt; quia licèt eorum confessiones validæ fuerint, tamen semper remanet obligatio ad reintegrandam confessionem materialiter (2). Admittunt tamen *Salm.* cum *Dicast. Fagund. Henriq* opinionem *Tamb.* in casu quo rudis dudùm semper conformem vitam duxisset, adeò ut ex confessione unius anni possit iudicari de præteritis. Sed hoc dico posse admitti quando confessarius à principio confessionis comprehendisset hanc vitæ uniformitatem etiam pro annis præteritis; secùs autem quando in fine confessionis cognosceret defectum præteritarum, et illius novissimæ confessionis notitia distincta peccatorum in ejus mente non restaret, nam licèt confessario sufficiat ad dandam absolutionem notitia confusa statûs pœnitentis, nihilominùs semper opus est ut iudicium peccatorum in particulari semel formaverit (3).

46. — Cæterùm rectè dicunt *Filliuc. Gobat. Holzm. Elbel, Croix, Mázotta* cum *P. Segneri* in dubio non teneri pœnitentes ad repetendas confessiones, quoties præsumptio et per consequens possessio stat pro illarum valore, nisi de nullitate constet. Nec obstat dicere quòd, cùm adest præceptum, et dubitatur de ejus satisfactione, possessio est pro obligatione; nam respondetur hoc habere locum cùm dubitatur de actu satisfactionis; sed non cùm est

(1) *Ibid.* Dubit. 2. et 3. — (2) *Lib.* 6. n. 504. et *ibid.* v. Dicit II. — (3) *Ibid.* v. Dicit III.

certum opus fuisse adimpletum, quia tunc in dubio possessio stat pro valore actûs, juxta principium communiter receptum à DD. ; ita *Laym. Croix, Spor. et Mazzotta* cum *Navar.* qui dicit: *Præsumptio pro actûs valore præponderat aliis* (1). Et circa obligationem repetendæ confessionis, optimam regulam exhibet *Habert*, et sic dicit: Si observetur quòd pœnitens post confessionem occasiones vitavit, et pro aliquo tempore tentationibus obstitit, benè possunt judicari validæ confessiones; secùs autem, si observatur quòd paulò post, oblatà sibi primâ occasione, facilè, ut priùs, lapsus est; dùm illi, quem verè pœnitet, et qui firmiter vitam in melius mutare statuit, impossibile est quòd ita faciliter recidat, quin saltem per aliquod tempus perseveret, aut quin priùs saltem multam præstiterit resistantiam; undè fit quòd si quis post confessionem statim sine ullo conatu labitur, signum moraliter certum exhibet, ejus confessiones præteritas nullas fuisse, quia deërat dolor et propositum (2).

CAPUT IV.

DE SATISFACTIONE, SIVE DE POENITENTIA.

QUONIAM si peccatori remittitur culpa, non semper tota pœna remittitur, sed plerùmque ei remanet satisfacienda; ideòque tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ est satisfactio sacramentalis, quæ dicitur pars non essentialis, (quia sine hac etiam potest esse validum Sacramentum), sed integralis, nam inservit ut Sacramentum fiat integrum.

PUNCTUM I.

De impositione pœnitentiæ.

De obligatione imponendi pœnitentiam. An post absolutionem, etc.

47. *Pœnitentia debet imponi ex obligatione* 48. *Quando possit diminui. De infirmis corpore* 49. *De infirmis spiritu* 50. *et* 51. *Quæ species pœnitentiarum debeant imponi* 52. 53. *et* 54.

47. — CIRCA hoc multa adnotanda sunt. Notandum 1. confessarium in danda absolutione tenere imponere pœnitentiam, ut declarat Trident. sess. 14. c. 8. : undè peccat, si eam non imponit, et quidem graviter, cum confessio est de mortalibus; si est de venialibus, aut de mortalibus jam confessis, probabile est (ut dicunt *Lugo, Dicast. Salm. Mazzotta*, etc.) non peccare graviter (3). Et licèt

(1) N. 505. — (2) Lib. 6. n. 505. v. Et quoad. — (3) n. 506.

pœnitens statim post absolutionem alterius peccati confiteatur, confessarius pariter debet imponere novam pœnitentiam, saltem levem. Dicunt *Bon. Croix*, et *Mazzot.* sufficere tunc ei imponere denuò priorem pœnitentiam; sed rectè hoc negant *Castrop. Ronc.*, etc., quia licèt possit imponi opus debitum ex alio præcepto, sicut infra dicetur, nihilominùs non posset imponi opus debitum eodem titulo pœnitentiæ (1). Pœnitentia plerùmque imponenda est ante absolutionem, ut videat quomodò eam pœnitens acceptet; sed potest aliquando imponi immediatè post absolutionem; tunc enim moraliter cum illa unitur: ita communissimè *Busemb. Salm. Viva, Diana, Sporer*, etc. (2).

48. — Notandum 2. pœnitentiam semper debere imponi sub aliqua obligatione. Sed fit dubium an confessarius possit imponere pœnitentiam gravem sub levi obligatione? Negant *Bonac. Coninch.*, etc., dicentes materiam gravem sub levi obligatione imponere solius legislatoris esse, non autem simplicis ministri, qualis est confessarius. Sed communiùs et probabiliùs affirmant *Suar. Filliuc. Henriq. Fag. Busemb. Segneri, Tamb. Dicast.*, etc., quia in Pœnitentiæ Sacramento sacerdos non simplicis ministri Jesu Christi fungitur officio, sicut in cæteris Sacramentis, sed est verus iudex à Salvatore constitutus cum facultate solvendi à peccatis, et ligandi per pœnitentiam, adèò ut obligatio hujus totaliter dependeat ex confessarii præcepto (3).

49. — Notandum 3. circa quantitatem pœnitentiæ, illam debere esse proportionatam culpis; sed in hoc attendenda sunt verba Tridentini, *sess. 14. c. 8.* ubi sic dicitur: *Debent ergò sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salutare et convenientes satisfactiones injungere, ne, si fortè peccatis conniveant, et indulgentiùs cum pœnitentibus agant levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Itaque quantitas pœnitentiæ à Concilio remittitur confessarii arbitrio, *quantum spiritus et prudentia suggesserit.* Hinc fit quòd pœnitentia multis de causis potest minui. 1. Si pœnitens accessit valdè contritus; aut si ille priùs multas pœnales patravit actiones (4). 2. Tempore jubilæi aut indulgentiarum plenariarum; sed semper tunc debet imponi aliqua pœnitentia, ut declaravit Benedictus XIV. tùm quia nemo potest securus esse plenariam indulgentiam lu-

(1) *Lib. 6. n. 515.* Dubit. 2. — (2) *n. 514. v. 8.* Etsi. — (3) *n. 518.* — (4) *Lib. 6. n. 507.*

crari, tùm quia semper integrandum est Sacramentum (1). Et cùm pœnitens indiget pœnitentiâ medicinali, hæc omninò imponenda est, ut benè advertit *Mazzot.* 3. Si pœnitens sit infirmus corpore, cùm advertat Rituale rom., infirmis tunc non esse imponendam gravem pœnitentiam, sed tantùm pro tempore cùm convaluerint. Quòd si infirmus sit constitutus in mortis periculo aut sensibus destitutus, tunc potest absolvi sine ulla pœnitentia; licèt semper expediat aliquam levem ei imponere, ut osculari Crucifixum, aut invocare nomina Jesu et Mariæ, saltem in corde, etc. Non expedit infirmo pro pœnitentia imponere ut patienter infirmitatis incommoda sufferat, hoc enim potest esse illi multorum scrupulorum occasio. Contrà rectè advertunt *Salm.* quòd si infirmus possit satisfacere per eleëmodynas, istas utique esse à confessario injungendas, dùm quilibet tenetur eam facere, quam potest, pœnitentiam (2).

50. — Potest 4. minui pœnitentia, si pœnitens est infirmus spiritu; adeò ut prudenter timeatur ne ille non adimpleat pœnitentiam proportionatam; ita docent communiter *Suar. Scot. Navar. Laym. Abelly, Castr. Habert, Gonet, Gerson. Cajet. Natalis ab Alex. Antoine, Anacl.*; ita etiam *S. Carolus Borrom. in Instruction. ad confessarios*, qui monet confessarios, ut minuant pœnitentiam juxta dispositiones pœnitentium, eos admonendo: *Hoc factum esse* (sunt sua verba) *ne eam, quæ pro culparum ratione injungenda erat, deserant* (nota) *cum periculo salutis suæ.* Idem docet *S. Thomas*, cujus verba mox infrà referemus. Verum est quòd in Trid. dicatur, quòd pœnitentia debeat delictorum qualitati correspondere; sed mox subjungit, quòd debeant esse *pro pœnitentium facultate salu-ares et convenientes. Salutare*, nempe utiles pœnitentis saluti: *et convenientes*, nempe proportionatæ, non solùm peccatis sed etiam pœnitentis viribus. Hinc non solùm non essent salutare, nec convenientes illæ pœnitentiæ, quibus pœnitentis vires ob spiritûs imbecillitatem pares non sunt; sed potiùs essent ei pernicipi, quàm saluti. In hoc Sacramento potiùs attenditur emendatio, quàm satisfactio; propterea ait Rit. romanum (*de Sacramento Pœnitentiæ*) quòd confessarius in danda pœnitentia debet rationem habere pœnitentis dispositionis. Et *S. Thomas* (3) dicit: *Sicut medicus non dat medicinam ita efficacem... ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; ita*

(1) N. 519. — (2) n. 507. — (3) *Suppl. quæst.* 18. art. 4.

sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus desperet, et à pœnitentia totaliter recedat. Et alibi (1) dicit, quòd sicut parvus extinguitur ignis, si multa ligna superimponentur, ita accidere potest, quòd parvus pœnitentis effectus contritionis extinguitur pondere pœnitentiæ: et subjungit: *Meliùs est quòd sacerdos pœnitenti indicet quanta pœnitentia esset sibi injungenda, et injungat nihilominus quod pœnitens tolerabiliter ferat.* Et alibi (2) addit: *Tutius est imponere minorem debito, quàm majorem, quia meliùs excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quàm propter nimiam severitatem, quia talis defectus in purgatorio supplebitur.* Id priùs tradidit Chrysostomus in *c. Alligant 12. caus. 26. q. 7.* dicens: *Sicut enim si fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris, necesse habet, ut aut fascem abjiciat, aut sub pondere confringatur: sic et homini, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus ampliùs peccet.* Idem etiam dicunt Gerson. Cajet. et præcipuè S. Antonin. (3) qui dicit, quòd debet imponi illa pœnitentia quam judicatur pœnitens executurus, et quam ille tunc libenter acceptat. Et si pœnitens protestatur sibi non esse vires sufficientes ad pœnitentiam convenientem, concludit tandem S. Anton: *Tunc quantumcumque deliquerit, non debet sine absoluteione dimitti.* Sufficiens tunc erit, ait Sanctus, ut ei imponatur in generali quicquid boni egerit sub iisdem verbis Ritualis: *Quicquid boni feceris, etc.*, quæ opera cum Sacramento Pœnitentiæ conjuncta, ut docet Angelicus (4), ob Sacramenti virtutem, majorem acquirunt valorem ad satisfaciendum pro peccatis commissis. Item probabiliter addunt multi DD. Lugo, Petroc. Croix, et Salm. cum eodem S. Antonin. (5) esse justam causam ad minuendam pœnitentiam judicare pœnitentem ita meliùs erga pœnitentiam affici studio. O quàm pulchrum est consilium sancti Thomæ à Villanova (6), *facilem unam injunxeris, acriorem consulueris!* Expediit ut pœnitenti comprehendere facias pœnitentiam quam mereretur; cui potest conducere etiam indicare pœnitentias antiquas Canonum pœnitentialium (hæ inveniuntur in Opere (7) adnotatæ). Juvabit pariter, ut dicit S. Thomas de Villanova, suadere pœnitenti graviorem pœnitentiam,

(1) Quodl. 3 art. 28. — (2) Opusc. 65. §. 4. — (3) 5. part. tit. 16. cap. 20. et in Opere morali l. 6. n. 510. per totum. — (4) Quodlib. 3. art. 28. — (5) Vide ibidem. — (6) Serm. Feriæ 6. post Domin. Latere. — (7) Lib. 6. n. 530.

sed postea imponere ei oportet eam tantum, quam prudenter judicabit confessarius ab eo adimpletam iri. Insinuat S. Franciscus de Sales (1), et idem dicit Rit. parisien (2) expedire, ideòque à pœnitente expetere, an valeat ipse eam pœnitentiam exequi; secùs commutetur. Idem admonuit S. Carolus Borromæus, dicendo: *Talem imponat pœnitentiam qualem à pœnitente præstari posse judicet. Proindè aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, anve dubitet pœnitentiam sibi impositam peragere; alioquin eam mutabit, aut minuet.* Confert etiam plerùmque inter opera injuncta aliquam gravem pœnitentiam imponere, sed non sub gravi (ut *num. præcedenti* dictum est); aut aliquod opus aliundè præceptum, aut debitum, ut infra dicemus.

51. — Ex quo deducitur quàm imprudenter se gerunt confessarii, qui pœnitentiam viribus pœnitentium impari injungunt. Quot istorum multoties non dubitant faciliter recidivos indispositos absolvere, et etiam eos qui in proxima peccandi occasione versantur, et insipienter postea putant iis mederi imponendo gravissimas pœnitentias, licèt videant quòd illi eas adimplere non possint: imponunt v. gr. ut octavo quoque die per annum confiteantur: ut quindecim decades Rosarii quolibet die recitet ille, qui ne solitus quidem fuit quinque in hebdomada recitare: imponunt jejunia, disciplinas, orationem mentalem illi, qui nec nomen unquam audivit. Et quid hinc eveniet? Eveniet quòd licèt inviti acceptent quod imponitur, ut absolutionem aucupentur, nihilominus postea nihil horum executioni demandant; et credendo in novum peccatum esse delapsos; imò putando (præcipuè rudes) nullius fuisse momenti confessionem factam, quia pœnitentiæ impositæ non satisfecerunt, propterea ad pristinum perditum vivendi modum redeunt: et ob pœnitentiæ impositæ pondus perterriti à confessione horrent, et ita in peccatis tabescere pergunt. Et hic est fructus qui in perniciem tot miserorum colligitur ex hujusmodi satisfactionibus, quas convenientes vocant, sed meliùs dicendæ essent inconvenientissimæ. Cæterùm extra casum gravissimæ infirmitatis, aut compunctionis extraordinariæ, non benè ageret confessarius, si pro culpis gravibus adjungeret levem satisfactionem, levem inducentem obligationem; etenim licèt (cùm expedit) possit adjungi opus quod, habitâ peccatorum ratione, sit leve, attamen

(1) *Instruct. ad confess. c. 8.* — (2) *Lib. 6. n. 509.*

semper debet imponi gravis satisfactio, quæ obliget sub gravi (1).

52. — Notandum 4. circa qualitatem pœnitentiæ, non imponendas pœnitentias perpetuas, aut valdè onerosas, ut ingredi religionem, et tantò minùs matrimonio ligari, quod omnimodam requirit libertatem; item non imponantur vota perpetua; imò licèt pœnitens vellet vovere, v. g. de non relabendo, ei non permittatur nisi ad tempus; ut videat quomodò illud observet. Loquendo autem de pœnitentia conditionata, v. g. aut de jejunando, aut de eleëmosynam elargiendo quoties cadet, potest utique illa imponi, et cùm imponitur, tenetur pœnitens eam acceptare et exequi, ut rectè dicunt *Suar. Laym. Bonac. Salm. et Aversa* (contra *Dianam*, etc.); sed non expedit eam ad longum tempus imponere, quia postea facilliter negligitur et peccata multiplicantur: potest igitur imponi tantùm ad breve tempus, ut ad mensem, aut ad aliam confessionem (2). Item advertendum, non esse imponendas pœnitentias publicas pro peccatis occultis; tenetur autem confessarius has imponere, si alià vià occurrì non possit scandalo dato, vel honori alicujus palàm detracto; sed non est adstringendus pœnitens ad publicam pœnitentiam, si ipse renuit, et alio modo possit scandalum reparare, nimirùm Sacramenta frequentando, ecclesias visitando, ad aliquam congregationem se aggregando, etc. (3).

53. — Notandum 5. opera satisfactoria debere esse pœnalia, nam (ut advertit Trident. *sess. 14. cap. 8.*) satisfactio non solùm debet esse medicinalis in novæ vitæ custodiam, sed etiam ultrix in peccatorum commissorum satisfactionem. Hæc pœnalia opera reducuntur ad jejunium, eleëmosynam, et orationem. Sub jejunii nomine veniunt omnia sensuum mortificationum genera. Sub orationis nomine etiam veniunt confessiones, Communiones, ecclesiarum visitationes, et etiam actus interni charitatis, contritionis, aut meditationis, qui actus utique possunt imponi in pœnitentiam, juxta communem DD. (4). Advertunt tamen tam orationem, quàm eleëmosynam, et quodcumque opus bonum valere pro opere pœnali, ut communiter docent theologi; nam respectu nostrî filiorum Adam post statum naturæ lapsæ quæcumque actio virtuosa habet rationem pœnæ, quia propter justitiam originalem amissam, omnes proni sumus in malum, et pro-

(1) *Lib. 6. n. 510. in fine. v. Ex his et 518.* — (2) *n. 511.* — (3) *Lib. 6. n. 512.* — (4) *n. 514. Dubit. 1.*

prias commoditates; ita *Valent. Castrop. Laym. Pitig. Salm.* cum multis aliis (1). Idem novissimè scripsit doctus auctor *Instruct. pro novis Confessariis* (2), qui ait: *Hic advertendum nos haud dicere, nec inutilem reputare pœnitentiam illam, quæcumque illa sit, quæ injungitur in Sacramento cum certum sit, quòd etiã signum crucis cum Sacramento conjunctum est efficacæ ad satisfaciendum; tantò magis, quia in statu præsentis naturæ lapsæ omne opus bonum est quodammodo affligens, et pœnale.* Hoc etiã confirmatur ex *S. Francisco de Sales* (3), qui sic ait: *Alius patitur in jejunando, alius infirmis inserviando, audiendo confessiones, concionando, orando, et similibus actibus. Hæc pœna (orandi) præstat alteri pœnæ (jejunandi); etenim oratio, præterquam quòd domat corpus, affert fructus desiderabiliores.* Præsertim confirmatur è *S. Thoma*, qui dicit: *Qualibet oratio habet rationem satisfactionis, quia quamvis habeat suavitatem spiritûs, habet tamen afflictionem carnis, ut dicit Gregorius (super Ezech. homil. 17.): Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur fortitudo carnis* (4). Potest etiã imponi in pœnitentiam aliquod opus ad quod pœnitens tenetur, ut interesse Sacro die festivo, jejunare in vigiliis. sicut etiã communiter dicunt *Sot. Suar. Laym. Sanch. Valent.*, etc., quia cum tale opus sit satisfactorium, tunc per Sacramentum elevatur ad meritum satisfactionis sacramentalis. Hoc potest fieri, cum dignoscitur pœnitens valdè debilis spiritûs; cæterum regulariter loquendo debet imponi aliquod opus liberum; ideòque quoties confessarius non se manifestat, intelligitur impositum opus distinctum. Attamen si confessarius imponit adesse Sacro per mensem, non tenetur die festivo duobus adesse; ita communiter *Castrop. Bonacin. Coninch. Laym. Sanch. Croix, Salmant.*, etc. Potest etiã imponi opus aliis applicandum, ut animabus purgatorii, ut probabilius dicunt *Lugo, Tournel. Busemb.*, etc. (5). Potest etiã imponi abstineri ab aliquo opere bono, v. gr. à Communionem, et jejunio, sicut probabiliter tenent *Suar. Mol. Lugo, Sporer, et Salm.*, quia talis cessatio utique potest esse actus virtutis, saltem ut experiatur obedientia erga seipsum confessarium. Sed hoc non est practicandum, nisi cum animabus devotis, et nec cum ipsis qui-

(1) *Valent. tom. 4. disp. 7. quæst. 14. punct. 3. Castrop. dist. un. p. 21. §. 3. n. 1. Laym. tr. 6. de Sacram. Pœnit. cap. 15. n. 9. Pitig. 2. p. dist. 15. quæst. 1. art. 3. concl. 1. Salmant. tract. 6. de Pœnit. cap. 10. n. 26.* —

(2) *Instr. pro nov. conf. p. 1. cap. 16. n. 373.* — (3) *Introd. ad vitam devotam, cap. 23.* — (4) *S. Thom. Suppl. q. 15. art. 3.* — (5) *Lib. 6. n. 514. Dubit. 2.*

dem, cùm possit aliis ingeri suspicio talem cessationem esse pœnitentiam à confessario impositam (1). Non potest autem pœnitens satisfacere per alios, sicut dicebat propos. 15. damn. ab Alexandro VII. Potest verò confessarius hoc concedere pœnitenti, ut dicunt *Sot. Suar.*, etc., cum S. *Thoma*; nam tunc non opus jam, sed hujus procuratio esset satisfactio Sacramentalis, sicut notant *Laym. Vasq. Bon.*, etc. cum *Mazzotta* (2).

54. — Circa præxim regula hujus requirit, ut imponantur opera carnem coërcentia pro peccatis sensualibus, eleëmosynæ pro peccatis avaritiæ, oratio pro blasphemiiis, etc. Sed considerandum quid magis expediat, aut magis utile sit pœnitenti. Quamvis autem maximè utile sit imponere Sacramentorum frequentationem, orationem mentalem, et eleëmosynas; nihilominùs praxis habet has reddi damnosas iis, qui aut nihil, aut parùm habuerunt horum usum. Satisfactiones utiles generatim pro omnibus hæ solent esse, nimirùm aggregari ad aliquam congregationem: quolibet vesperi (saltem ad tempus) actum doloris elicere, et quolibet mane propositum renovare, dicendo cum S. Philippo Nerio: *Domine, ne auferas hodie manus tuas à me, ne tui proditor efficiar*; visitare quotidie sanctissimum Sacramentum, et imaginem quoque Mariæ sanctissimæ, ab eis perseverantiæ gratiam postulando: Rosarii saltem tertiam partem, et ter Salutationem angelicam mane, meridie et vesperi, dicendo; *Mater mea, adjuva me hodie, ne in Deum peccem* (Hanc tamen pœnitentiam, ter recitandi Salutationem angelicam cum prædicta supplicatione, ego plerùmque solitus fui injungere, aut saltem consulere iis, qui eam non solebant frequentare): cùm cubitum iverint, dicere in lecto: *Si nunc mihi morandum fuisset in inferni igne*; aut dicere: *Veniet dies quo mihi in hoc lecto moriendum erit*: qui legere sciunt, et potissimum Ecclesiastici, quotidie legere aliquem librum de rebus spiritualibus agentem. Monet autem S. Franciscus Salesius, (3) non esse gravandum pœnitentem multis rebus, ne confundatur et terrefiat.

(1) *Ibid.* v. 7. Potest. — (2) *De Pœnit. qu. 5. in fin.* — (3) *Instruct. Conf. c. 8.*

PUNCTUM II.

De acceptatione et satisfactione pœnitentiæ.

Obligatio acceptandi pœnitentiam 53. *Obligatio adimplendi eam* 56. *Qui differt pœnitentiam* 57. *An requiratur intentio satisfaciendi* 58. *Si pœnitens obliviscatur pœnitentiæ* 59. *Quid si adimpleat in mortali* 60. *Qui possit. mutare pœnitentiam* 61.

55. — QUOAD pœnitentiæ acceptationem, communiter docent DD. teneri sub gravi pœnitentem eam acceptare cum illa est rationabilis, quia in hoc confessarius est verus ejus iudex, cui ille parere debet. Undè *Suar.* et *Bonac.* post *Trid.* vocant temerariam opinionem *Navar.* et *Cajet.* etc. qui dicebant pœnitentem posse pœnitentiam recusare, ut eam in purgatorio satisficiat (1). Dicit *Busemb.* cum *Soto*, et *Reginal.* quòd si pœnitens nollet aliam acceptare pœnitentiam quàm levem, licèt mereatur gravem, posset utique confessarius eum absolvere. Sed ego nec huic acquiesco, juxta quod diximus n. 51. in fine, et juxta id quod docet *Lugo*; quia sicut peccaret confessarius, qui sine justa causa (ut infirmitatis) vellet levem pœnitentiam pro culpis gravibus imponere, ita etiam peccat pœnitens, qui graves culpas afferendo, non vult acceptare nisi levem pœnitentiam. Cæterùm probabiliter dicunt *Suar.* *Layman*, *Concina*, *Busemb.* *Elbel*, *Holzlm.* et *Sporer*, quòd si pœnitens putaret illam pœnitentiam nimis gravem respectu sui peccati, aut saltem *suarum virium*, et confessarius nollet eam moderari, benè potest ille, recusatà absolute, alium quærere confessarium (2).

56. — QUOAD autem pœnitentiæ satisfactionem, notandum 1. jam peccare graviter qui pœnitentiam gravem sibi impositam pro peccatis gravibus non adimplet; sed contrà peccat tantùm venialiter, qui levem omittit pœnitentiam pro culpis levibus impositam, aut pro peccatis jam aliàs confessis juxta communem. Nec obstat dicere quòd Sacramentum restaret incompletum; quia cum sit essentialiter hoc completum, obligatio illud integrandi non est nisi levis, cum materia non est nisi levis; sed Rosarium B. V. licèt quinque decadum, non potest esse tale. Dubium majus fit, si imponatur pro pœnitentia materia gravis pro culpis levibus aut jam confessis? Volunt tunc *Bonac.* *Conc.* et *Roncag.* debere sub gravi eam adimpleri; sed probabiliter hoc negant *Sotus*, *Navar.* *Laym.* *Lugo*, *Sporer*,

(1) *Lib. 6. n. 516.* — (2) *Ibid.*

Croix, etc. Ratio est quia in tali casu, sicut confessarius non potest imponere sub gravi obligatione gravem pœnitentiam, ita nec pœnitens tenetur sub gravi eam satisfacere. Non nego tamen cum *Roncagl.* quòd si casu illa peccata, licèt venialia, valdè disponerent ad mortale, benè potest confessarius imponere pœnitentiam gravem, ut liberet pœnitentem à periculo mortalis; et tunc pœnitens tenetur, si cupit absolvi, ad eam acceptandam, et satisfaciendam sub gravi obligatione (1). An. autem circumstantiæ pœnitentiæ, v. gr. flexis genibus, nudis pedibus, etc. importent obligationem gravem, aut levem, hoc dependet ex gravi molestia, quam secum affert circumstantia, ut communiter dicunt DD. (2).

57. — Notandum 2. quòd licèt non adsit obligatio adimplendi pœnitentiam ante Communionem, ut requirebat propositio 22. damnata ab Alexandro VIII., nihilominus peccat qui diutiùs eam differt, v. g. per annum, et etiam per sex menses, ut rectè dicit *Mazzotta*; sed neutiquam qui per mensem eam differt, modò pœnitentia non sit medicinalis, ut advertunt idem *Mazzotta* et *Croix*; et modò in posterum posset eam adimplere. Cæterum non peccat graviter qui jejunium feriæ sextæ in sabbatum transferret, aut qui Communionem singulorum mensium ad 6. aut 8. dies alios transferret, ut probabiliter dicunt (contra *Salmant.* et *Lugo.*) *Suarez*, *Castrop. Spor. Holzm. Mazzot.* cum *Ronc.* (qui tamen rectè excipit, si pœnitentia esset medicinalis). Imò *Croix* cum *Gob. Steph.*, etc. putat non esse mortale, si ex 10. Communionibus unam omitteret (3). Cæterum qui omittit die statuto pœnitentiam adimplere, non ideò deobligatus ab illa restat; nam quando à confessario assignatur dies, semper ille intelligitur accessoriè destinatus, nempe ad sollicitandam, non autem ad finiendam obligationem (4). Dicunt tamen *Bonac. Coninch. Gobat.*, etc. apud *Mazzotta* (5), quòd si confessarius imponit Communionem singulis B. Virginis festis, aut jejunium quolibet sabbato in ejus honorem, elapso illo die, terminatur obligatio, quia tunc videtur confessarius velle obligare jejunium tantum ad diem illum. Non dubitatur autem quin possit pœnitentiæ satisfieri eodem tempore quo alteri satisfit præcepto, prout Rosarium recitare dum in festo auditur Sacrum, etc., sicut dictum fuit *Tom. I. Tract. II. n. 30.* Sed cum confessarius imponit duas

(1) *Lib. 6. n. 517.* — (2) *Ibid. v. An autem.* — (3) *n. 521.* — (4) *Lib. 6. n. 525.* — (5) *de Pœnit. qu. 5. v. Dico 4.*

audire Missas eodem die, intelligitur successivè, non autem eodem tempore, ut rectè dicit *Mazzotta* (1) cum *Croix*.

58. — Quæritur 1. an pœnitentia debeat satisfieri cum intentione ei satisfaciendi? Alii affirmant, ut *Vasq.* cum *Mazzotta* (2), dicendi quòd in cæteris præceptis sufficit ponere opus præceptum, sed in hoc requiritur ampliùs intentio integrum efficiendi Sacramentum. Sed probabiliter negant *Sanch.* et *Lug.* (3) cum *Suar.* et cum communi, ut asserit. Utitur *Lugo* aliâ ratione; sed illa quæ apud me majorem vim facit, est quòd pœnitens in acceptando pœnitentiam utique animum eam adimplendi habet, undè quoties ille ponit opus injunctum, saltem ponit id ex intentione habituali habita, et non retractata pœnitentiæ satisfaciendi; et in hoc cur non sufficit intentio habitualis, cum habitualis sufficit ad suscipiendum quodlibet Sacramentum? Propterea quisque in quolibet satisfactorio opere, quod ponit, semper intendit voluntate generali satisfacere priùs operi debito, quàm aliis subrogationis.

59. — Quæritur 2. ad quid teneatur pœnitens, qui oblitus est pœnitentiæ? Alii, ut *Busemb. S. Anton.*, etc., volunt teneri ad repetendam confessionem, ut Sacramentum faciat integrum; sed communiter, et valdè et forte magis probabiliter negant *Suar. Vasq. Laym. Castrop.* et alii, et hoc etiamsi culpabiliter oblitus fuisset, ut dicunt *Sot. Navar. Lugo, Salm. Croix*, et *Holz.*, quia in tali casu pœnitentia reddita est impossibilis, et ex altera est valdè dubia lex, an repetenda sint peccata jam semel directè remissa, ut integretur Sacramentum. Attamen si pœnitens putaret confessarium reminisci posse pœnitentiæ impositæ, teneretur certè eundem adire, ut eum de illa interroget (4).

60. — Quæritur 3. an pœnitens in mortali existens possit pœnitentiæ satisfacere? Alii negant, sed communissimè affirmant *Suar. Nav. Lugo, Conc. Ronc. Salm.*, etc., quia ex regula generali *S. Thomæ* pluries repetita, finis præcepti non cadit sub præcepto. Opponunt hìc quemdam textum ejusdem Angelici: sed *S. Doctor* ibi aliud non dicit quàm illud opus in peccato factum merito carere, sed non dicit non satisfacere (5). Communis autem est sententia apud omnes, quòd pœnitens, satisfaciendo pœnitentiæ in peccato mortali, non peccet mortaliter. Cæterùm judico esse

(1) *Loc. cit.* — (2) *Ibid.* — (3) *de Pœnit. D. 24. n. 45.* — (4) *Lib. 6. n. 520.* — (5) *n. 522.*

probabile cum *Suar. Laym. Bonacina*, etc. (contra alios) istum saltem peccare venialiter, dum satisfaciendo in mortali impedimentum ponit effectui partiali Sacramenti (1).

61 — Quæritur 4. quinam possit pœnitentiam mutare? Certum est, et commune apud DD. (quicquid dicat *Diana* cum paucioribus) pœnitentem non posse ex se pœnitentiam mutare, etiam in opus evidenter melius; nam sicut non potest pœnitentia nisi à confessario imponi, ita nec potest nisi ab eo solo mutari (2). Dubium fit an possit mutari ab alio confessario, quin repetantur peccata? Negant probabiliter *Castrop. Lugo, Laym. Conc. Holzm. Spor.*, etc., dicendo pœnitentem debere tunc iterum confessionem repetere apud illum confessarium, saltem in confuso, ut ei det notitiam statûs suæ conscientiæ. Sed multi alii etiam probabiliter affirmant, ut *Tolet. Navar. Bonac. Sa*, et probabile dicunt idem *Lugo, Laym. Salm. Holzm. Sporer*, etc. Ratio est quia in hac posteriori confessione non agitur de peccatorum in priori confessione adductorum iudicio faciendo, cum illud jam absolutum sit, sed tantum de imbecillitate pœnitentis priori pœnitentiæ satisfaciendi. Opponitur: sed pœnitentia debet esse medicinalis, et quomodo medicinam præscribet qui infirmi vulnus ignorat? Respondetur quòd confessarius ex eadem pœnitentia imposita potest peccatorum, pro quibus illa imposita erat, materiam argumentari, et ita potest se dirigere in commutando aut diminuendo eam (3). Et probabiliter dicunt *Nav. Spor. et Tamb.* confessarium non requisitum à pœnitente posse ex se mutare ei pœnitentiam, cum prævidet quòd ille verisimiliter perget eam negligere (4). Nonnulli DD. ut *Castrop. Sanch. Bonac.*, etc. permittunt etiam confessario inferiori posse pœnitentiam à Superiore ob casus reservatos impositam permutare. Sed hoc rectè negant *Gonet, Suar. Lug. Holzm. Spor. Conc. Coninch. Valenz. Renzi*, etc., quia inferior non habet facultatem mutandi sententiam Superioris in iudicio prius formato; tantum hoc posset admitti cum *Suar. Bonac. Renzi, Med.* etc., cum pœnitens difficulter posset ad Superiorem redire, et contra gravis adesset causa ut mutetur pœnitentia, quia tunc meritò præsumitur Superioris conniventia (5). Dubitatur autem an pœnitentia possit mutari extra confessionem? Respondetur, quòd si confessarius est alius, certum est non posse fieri; si autem est idem, alii AA.

(1) *N. 523.* — (2) *n. 528. Resp. 5.* — (3) *Lib. 6. n. 529. Dubit. 1.* — (4) *Ibid. in fin.* — (5) *Lib. 6. n. 529. Dubit. 2.*

admittunt posse id fieri etiam post 8. dies; sed meritò hoc negat sententia communior *Bonac. Suar. Nav. Salm.*, etc. quia vix id permittunt confessario immediatè post absolutionem, antequam à confessario discedat pœnitens (1). Attamen factâ commutatione semper potest pœnitens eligere primam pœnitentiam, uti docent *Suar. Less. Bonac.* et alii cum *P. Mazzotta* (2).

PUNCTUM III.

De satisfactione per indulgentias.

De indulgentiis 62. *An quis possit lucrari plenariam ex parte* 65. *De jubilæo, et de pluribus declaratis circa jubilæum, à Benedicto XIV.* 64. *An opera debeant omnia in una hebdomada adimpleri; et hîc de oratione, et eleëmosyna, et etiam de commutatione* 65. *An ex invalida confessione auferatur reservatio, et censura* 66. *An peccet absolutus postea non adimplendo opera* 67. *Qui reservati obliviscitur* 68. *Qui peccat in confidentiam jubilæi* 69. *An antequam damno satisfiat, etc.* 70. *In jubilæo à quibus casibus, et censuris potest absolvi* 71. *Nonnulla circa annum sanctum adnotantur* 72.

62. — LOQUENDO de indulgentiis in generali, indulgentia definitur: *Gratia quâ remittitur pœna temporalis, opere præscripto præstito; idque per absolutionem in subditos, per suffragium in defunctos.* Declaravit autem Trident. sess. 25. *Decr. de Indulg.* Ecclesiam à Deo habere facultatem indulgentias concedendi, et eam ab antiquis temporibus illis usam fuisse; undè Concilium excommunicatione damnat eum, qui inutiles esse indulgentias diceret, aut qui eam potestatem in Ecclesia esse negaret. Ad lucrandas indulgentias tria requiruntur: 1. Ut adsit causa rationalis, et proportionata. 2. Ut opera præscripta adimpleantur. 3. Ut persona sit in gratia, saltem cum ultimum opus præscriptum ponit: alioquin non lucrabitur indulgentiam, neque pro se, neque pro defunctis, quicquid dicant alii (3). Deindè notandum 1. indulgentiam non spirare morte concedentis, nisi adsit clausula, *Ad beneplacitum nostrum.* Notandum 2. indulgentias intelligi debere, ut Indulti verba sonant; quia error, licèt communis esset, in hoc non supplet. Contrà, cum sint gratiæ, largè interpretandæ sunt; unde fit, quòd si tempus non determinatur, perpetuæ intelligendæ sunt. Notandum 3. indulgentiam esse alteram *plenariam*, sive *totalem*, quæ ab omni

(1) *Ibid.* Dubit. 3. — (2) *De Pœn. qu. 5. c. 2.* — (3) *Lib. 6. n. 555.*

pœna liberat: alteram *partialem*, ut sunt *septenæ*, et *quadragenæ*, quibus intelligitur tolli illa pœna, quæ tolleretur per jejunium illorum annorum, aut dierum, qui in Indulto exprimuntur (1).

63. — Dicit autem *Busemb.* non lucrari indulgentiam plenariam eum, qui ab omni culpa. etiam veniali, non est immunis. Sed multi alii AA., ut *Laym. Wigandt, Sporer, Viva, Pellizar.* et *Renzi*, tenent, quòd quamvis peccatum sit veniale, si non est remissum quoad culpam, neque remitti potest quoad pœnam, ut certum est cum *S. Thom.* (2); nihilominus veniale non remissum non impedit, quominus remittatur pœna debita aliis peccatis jam remissis; quia sicut non repugnat, ut remittatur culpa unius venialis, quin remittatur culpa aliorum; ita etiam de pœna dici potest; et non sine ratione talis esse præsumitur Pontificis intentio (3). In sequenti numero, loquendo de jubilæo, dicemus alia quæ etiam ad hanc indulgentiarum materiam pertinent.

64. — Procedendo igitur ad loquendum de jubilæo, antequam ad dubia, quæ super hac re occurrunt, descendamus, multa hîc adnotare oportet, quæ declaravit Benedictus XIV. in sua Constitutione, *Inter præteritos*, edita die 3. Decemb. 1749: (4), in qua (ut ipse alibi declarat) voluit de medio tollere multas quæstiones, quas super hac re DD. agitabant. Ea, quæ declarata fuerunt, sunt sequentia: 1. Clausula *Verè pœnitentibus, et confessis*, in jubilæo intelligenda est de vera confessione, contra opinantes non opus esse confiteri eum, qui à culpis gravibus erat immunis; ita in jubilæo; sed pro aliis indulgentiis ait Pontifex hoc pendere ab Indulti verbis, an requirant confessionem uti conditionem, an uti dispositionem (nota quòd Clemens XIII. declaravit, semper requiri confessionem ad lucrandas indulgentias). 2. Omnes visitationes ecclesiarum præscriptæ debent uno die compleri, incipiendo à media ad mediam noctem, aut à vespers ad vespers alterius diei. 3. Indulgentiæ concessæ, *Ad beneplacitum nostrum*, morte Pontificis spirant. 4. Indulgentiæ pro vivis non possunt applicari pro defunctis. 5. In jubilæo non potest absolvi hæresis externa. 6. Clausula, *Commutatio votorum fiat dispensando*, intelligitur, ut commutatio non sit multò inferior opere promisso. 7. Facultas commutandi opera pia non intelligitur in con-

(1) *Lib. 6. n. 534. et 535.*—(2) *Suppl. q. 27. a. 1.*—(3) *n. 534. c. Certum. 7.*
—(4) *In Bull. tom. 3. p. 140. et edit. Mechl. t. 8. p. 6.*

fessionem, aut Communionem (præterquam cum pueris), nec in orationem necessariam in visitatione; nec cætera opera præscripta possunt commutari in ea quæ aliâ causâ jam debentur. 8. In quolibet jubilæo vetitum est confessario absolvere proprium complicem in peccato turpi. 9. Jubilæi facultate non gaudent, qui parati non sunt ad illud lucrandum, et ad operibus præscriptis satisfaciendum. 10. Vota tantùm intra confessionem commutari possunt. 11. In jubilæo à confessario semper debet aliqua injungi poenitentia in confessione. 12. Non possunt commutari vota in damnum tertii, et præcipuè votum perseverantiæ quod in aliquibus congregationibus emittitur, nam illud contractûs naturam assumit. 13. Qui in mortale post confessionem labitur, iterùm confiteri debet, si indulgentias jubilæi lucrari cupit, ut saltem ultimum opus injunctum in statu gratiæ ponatur; sed non adest obligatio replicandi visitationes. 14. Ad lucrandas indulgentias sufficit oratio vocalis; et qui mentaliter orat, adjungat aliquam vocalem. 15. Facultate jubilæi semel tantùm quis gaudere potest; sed indulgentias, qui opera præscripta repetit, utique pluries lucrari potest: hoc tamen non intelligitur de indulgentiis concessis visitantibus præscriptis diebus aliquam ecclesiam. 16. In concessione facultatis absolvendi à censuris *Bullæ Cœnæ* non includitur facultas absolvendi ab hæresi externa. 17. Qui jam est absolutus à censuris, aut dispensatus à voto, non reincidit in eas si jubilæum non lucratur. 18. Facultas data Monialibus eligendi confessarium intelligitur de approbato ad Moniales (1). Notandum hîc denique quòd Regulares possunt confiteri apud quemcumque sacerdotem ab Ordinario approbatum etiam secularem, ut declaratum fuit à Gregor. XIII. apud *Peyrinum* (2), et etiam ab Alexandro VII. in Constitutione *Unigenitus*.

65. — Queritur 1. an ad lucrandum jubilæum omninò in alterutra hebdomada omnia opera præscripta perfici debeant? Negant *Castrop. Bonac.*, etc.; consentit *Laym.* si aliqua adfuerit causa. Sed affirmant *Sanch. Lugo, Spor. Renzi, Viva*, etc., et his ego etiam ad hæreo, tum quia talis est usus fidelium, tum quia videtur is esse Indulti sensus, cum ibi conceditur jubilæum ei qui perficit opera diebus *alterius* (non autem dicitur *utriusque*) *ex duabus hebdomadis*. Probabilissimum tamen est confessionem, et Communionem posse fieri tam in prima, quàm in Do-

(1) *Fusus lib. 6. n. 536.* — (2) *Peyr. de privileg. reg. 4. t. 3. c. 4. n. 8.*

minica immediatè sequenti (1). Dicunt *Sanch. Ugol. Busemb.*, etc. quòd qui jubilæum in patria lucrari neglexisset, benè posset illud postea lucrari alibi ubi etiam illud duraret. Dicunt insuper *Bonac.* et *Diana* posse lucrari etiam in patria, cùm ille ex invincibili ignorantia ignoraverit jubilæum publicatum fuisse (2). Loquendo hìc de opere injuncto ad lucrandum jubilæum, quoad orationem vocalem in visitatione alii requirunt 7. *Pater*, et *Ave*; alii dicunt sufficere quinque. Circa autem eleëmosynam, quanta esse debeat, duo consideranda sunt: primò verba Indulti, si dicant *uniuscujusque facultate*, aut *prout devotio suggeret*: secunda causa, quia si eleëmosyna imponitur in subsidium alicujus piæ operæ, tunc debet esse uniuscujusque viribus correspondens: si autem dumtaxat ad exercendam misericordiam, tunc sufficit quamcumque parvam summam præstare. Etiam pauperes debent eleëmosynam largiri; sed pro Religiosis, filiisfamilias, et pro uxõribus, sufficit ut cum intelligentia eorum à Superioribus pro ipsis præstetur. Denique quoad jejunia, si quis applicare vellet jejunia ad quæ ex voto, vel aliâ lege tenetur, hæc utique non sufficiunt (3). Advertendum quòd cùm datur facultas opera præscripta commutandi, hoc potest efficere quilibet confessarius (etiam extra confessionem), ut declaratur in Bulla indulgentiarum Gregorii XIII. cùm ibi dicatur, quòd nomine confessarii venit quilibet approbatus; ita *Busemb.* cum *Henriq.* et *Præpos.* (4).

66. — Quæritur 3. an ob confessionem invalidam in jubilæo auferatur reservatio peccatorum, et an à censuris absolvatur? Cùm confessio est nulla culpabiliter, nempe sacrilega, omninò negandum est cum *Lugo*, et *Viva*, etc., quicquid dicant alii; tùm ex regula illa quòd *fraus nulli patrocinari debet*; tùm magis quia Pontifex in cit. Bulla declaravit non posse facultatibus gaudere, nisi eum, *qui ad consequendum jubilæum præparatus sit*. Si verò confessio sit nulla ex defectu doloris, sed culpâ haud cognitâ, tunc volunt *Lugo*, *Coninch.* *Viva*, etc. reservationem auferri, quia tunc pœnitenti verus est animus jubilæum lucrandi. Sed hoc non obstante, negant *Bonac.* *Rodriq.* *Reginald.*, etc., et huic sententiæ ego adhæreo, dum *Benedict. XIV.* in Constitut. suprâ. cit. n. 64 *Inter Præteritos*, §. 62. declaravit quòd facultates conceduntur *velut præparatio ad consecutionem jubilæi*: igitur non præsumitur Pontificis voluntas esse, ut

(1) *Lib. 6. n. 537.* — (2) *n. 535. v. 4. Qui.* — (3) *n. 538. Quær. XI. et XII.*
 (4) *n. 534. v. 15. Quando.*

facultatibus gaudeant ii quos facultates non præparant ad consequendum jubilæum (1).

67. — Quæritur 3. an peccet graviter qui, postquam à reservatis absolutus fuit, reliqua opera præscripta negligit? Affirmant *Suar. Vasq. Filliuc.* etc.; sed communiùs negant *Sanch. Lug. Bonac. Castrop. Spor. Salm.*, etc., quia in tali casu non apparet talem adesse obligationem, nec ex jubilæi natura, nec ex Pontificis, aut confessarii præcepto. Cæterùm, ut declaravit idem Pontifex, iste in reservationem, aut censuras minimè reincideret (2).

68. — Quæritur 4. an qui confitetur in jubilæo, et reservati obliviscitur, possit à quocumque confessario absolvi? Certum est quòd possit, si confessarius jubilæi expressè eum à reservatis oblitis absolvere intellexit; secùs autem, si hoc non intellexit; ita *Bonac. Vasq. Sayr.*, etc., sed probabilius affirmant *Nav. Sanch. Suar. Viva, Croix*, etc.; dùm præsumitur confessarius omnia beneficia, quæ potest, pœnitenti sua conferre velle. Et idem probabiliter dicunt *Less. Castrop. Sanch. Spor. Viva*, etc. contra alios, de votorum commutatione; quia vi jubilæi pœnitens quoddam acquisivit jus ad talem commutationem. Omnes autem conveniunt, quòd si quis cœpit confessionem intra jubilæum, potest deindè absolvi ab eodem confessario; et etiam à reservatis post jubilæum commissis, ut probabiliter dicunt *Sanch. Viv. Bos.* et alii (3); idem probabiliter dicunt *Suar. Sanch. et Emanuel.* (contra *Conc.*) de eo, qui confitetur animo consequendi jubilæum, et deindè non consequitur, dùm per absolutionem jam absolutè aufertur reservatio quin ab eventu futuro pendeat (4). Si verò pœnitens confitetur Superiori extra jubilæum, et recordetur reservati, vide dicenda n. 140.

69. — Quæritur 5. an possit absolvi à reservatis peccans in jubilæi confidentiam? Alii negant, et probabiliter, quia non præsumitur Pontifex velle fovere iniquitatem. Sed alii communiùs et probabilius id affirmant, quia non limitanda est facultas sine limitatione concessa. Nec dicere valet ita fovere iniquitatem ea remedia, quæ Superiores peccantibus præparant (5).

70. — Quæritur 6. an virtute jubilæi possit absolvi à censuris, qui aliquem damnificavit, antequam satisfecerit, si adest clausula: *Non absolvetur, nisi satisfactâ parte?* Affirmant aliqui DD. dicendo præfatam clausulam potiùs

(1) *Lib. 6. n. 537. Quær. II. et v.* Si autem. — (2) *Ibid. Quær. III.* — (3) *Lib. 6. n. 537. Quær. IV. in fin.* — (4) *Ibid. Quær. V.* — (5) *Ibid. Quær. VI.*

importare suasionem, quàm conditionem; sed negant *Suar. Vasq. Spor. Viva*, etc., et hodie omninò hoc tenendum est, ut declaravit Benedictus in præfata Bulla. Si tamen debitor omninò satisfaciendo non esset, potest utique absolvi; modò satisfaciendi, cum poterit, juramentum præstet, ut in eadem Bulla cautum est. Quòd si, cum possit, non satisfaceret, aliqui volunt reincidere in censuras; sed probabilius est oppositum cum *Sa, Bos. Spor. Viva*, etc.; nam ex *cap. Ad reprimendam, de Offic. Ord.* reincidentia non incurritur, nisi in lege exprimat. Cæterum, debitor penitus ab omni satisfaciendi debito liberabitur, si pars læsa remittet injuriam; sed hic benè advertit *Croix* cum *Filliuc. et Bonac.*, contra *Vivam* et *Dianam*, 1. non sufficere monachi offensi remissionem, si injuria in totum monasterium redundat; 2. debitorem liberari, si offensus justam satisfactionem respuit; 3. si debitor non possit tunc sine gravissimo damno suo satisfacere (1); sed hoc intelligendum juxta dicta *Tom. I. Tr. X. n. 65. et 117.*

71. — Quæritur 7. à quibus casibus et censuris possint confessarii absolvere tempore jubilæi? Communis est sententia, cum *Suar. Laym. Vasq. Spor. Viva*, etc., facultatem in jubilæo concessam absolvendi à papalibus, intelligi etiam de episcopalibus; et licet hæretici non possint absolvi, possunt tamen absolvi eorum fautores, et ii qui legunt vel imprimunt libros de hæresi tractantes, et etiam blasphemii hæreticales: ita *Lugo, Sanch. Bos. Suar. Viva, Croix*, etc., quia talia peccata non sunt propriè hæresis formalis (2). Possunt etiam absolvi publici clericorum percussores, et alii nominatim inflictas ab homine, declaravit Papa ab istis posse absolvi tantum ad effectum indulgentias consequendi (3). Et quoad irregularitates, dixit quòd præscindendo à quæstione, an irregularitates ex delicto habeant rationem censuræ sive pœnæ, super illis dispensari possit tantum, quæ ob censuræ violationem incursum sunt (4).

72. — Loquendo de jubilæo anni sancti, præcipuè notandum est 1. quòd eo tempore omnes indulgentiæ pro vivis suspenduntur; non autem pro defunctis, et pro constitutis in mortis articulo, ut apparet ex Decreto Urbani VIII. apud *Busemb.*; nec indulgentiæ concessæ particulare ab aliis quàm à Papa. Notandum 2. quòd in anno

(1) *Ibid.* Quær. VII. — (2) *Lib. 6. n. 537.* Quær. VIII. — (3) *Ibid.* v. Sed hic dubit. 1. — (4) *Ibid.* Dubit. 2.

sancto suspenditur etiam facultas absolvendi à casibus papalibus, et dispensandi à votis, etc., concessa in ordine ad lucrandum indulgentiam plenariam. Sed non suspenditur facultas data Episcopis à Trident. in *cap. 6. Liceat*, *sess. 24.*; nec facultas dispensandi super impedimentis matrimonii, aut petendi debitum, etc., quæ facultates Episcopis competunt de jure communi; ita *Busemb.* cum *Zeruc.* et *Quint.* (1). Addit *Busemb.* cum *Sanch.* et aliis, nec suspendi facultates Regularibus concessas vi suorum privilegiorum absolvendi à reservatis, etc.; sed Benedictus XIV. in cit. Constit. declaravit oppositum, dicens suspendi omnes facultates tam ad effectum indulgentiarum, quam ob alias causas (2). Idem declaravit ibidem quòd per verbum *incolæ* intelliguntur morantes in urbe Romæ, animo ibi per majorem anni partem morandi.

CAPUT V.

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

73. — MINISTER Sacram. Pœnitentiæ nullus alius quàm sacerdos esse potest, nam solis sacerdotibus data fuit peccata remittendi potestas: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, etc. Joan. 20. 22. 23.* Et quòd dicit *S. Th.* post sententiarum magistrum, nempe quòd in necessitate debeat pœnitens cui potest, etiam non sacerdoti confiteri, quia tunc supplet Deus, intelligitur, ut explicant alii DD., non de præcepto, sed ut tali actu humilitatis excitetur ad contritionem, aut ut solamen, aut consilium recipiat. Dicunt dumtaxat multi cum *S. Antonin. Panorm. Ledesm. Sanch.*, etc., quòd in mortis articulo, si desit sacerdos, possunt clerici absolvere à censuris, ne infirmus sepulturâ, et suffragiis careat: sed probabilius id negant *Lug. Laym. Castrop. Salmant.*, etc., quia hoc nunquam in Ecclesia fuit in usu: tantò magis quòd juxta Rit. si excommunicatus cum pœnitentiæ signis decesserit, potest absolvi ejus cadaver ab habente facultatem. Ad hoc autem, ut sacerdos validè hoc Sacramentum ministrare possit, præter Ordinis potestatem requiritur, ut habeat ab Ecclesia jurisdictionis potestatem, et juxta Trid. etiam Episcopi approbationem. Hoc tamen non currit pro Regularibus; dum hi confiteri possunt cuicumque sacerdoti, etiam non approbato, modò à Prælato suo eis concedatur: Monialibus

exceptis, quæ, licèt exemptæ, sicut statuit Greg. XV., non possunt confiteri, nisi sacerdotibus approbatis pro ipsis ab Ordinarioloci (1).

PUNCTUM I.

De approbatione confessarii.

Necessitas approbationis. Non est necessarium examen 74. *Si approbatio injustè revocetur. An successor possit ad examen revocare, etc.* 75. *An sacerdos simplex possit absolvere à venialibus* 76. *An parochus possit sibi adsciscere parochum alterius diœcesis* 77. *An ejusdem diœcesis* 78. *Quinam Episcopus approbare potest* 79. *An Regulares approbati in una diœcesi, etc.* 80.

74. — APPROBATIO non est jam jurisdictionis collatio, sed est judicium à Trident. requisitum de sacerdotis habilitate ad jurisdictionem recipiendam. Super hoc notanda sunt 1. quòd licèt peccaret Episcopus, qui injustè approbationem alicui negaret, nihilominus sine hac nemo potest confessiones audire, uti constat ex propositione 13. damnata ab Alexand. VII. quæ dicebat: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.* Et in quantum ad Regularium privilegia quæ opponuntur, respondent *Salm.* privilegia loqui, cùm ipsis negata est injustè jurisdictio, non autem approbatio (2). 2. Ad approbationem non requiri necessariò examen, sed sufficere prudens Episcopi judicium de habilitate sacerdotis; ita *Laym. Coninch. et Busemb.* Dicunt item *Salmant.* quòd licèt Prælatus internè aliquem reprobareret, tamen approbareret eum externè, hoc sufficeret ad ei conferendam jurisdictionem (3). Notandum 3. quòd Episcopus potest hanc dare approbationem etiam per alios, nam hic est actus non ordinis, sed jurisdictionis (4).

75. — Notandum 4. approbationem posse limitari quoad personas, et tempus, et locum. Si autem data esset absolutè, non dubitatur quin peccaret Episcopus, si justà non existente causâ eam revocaret. Dubium restat an talis revocatio injusta non solùm esset illicita, sed etiam invalida? Alii negant; sed affirmant *Suar. Lugo, Castrop. Ccnc. Salm.*, etc., dicendo quòd sine justa causa non potest privari confessarius jure suo jam acquisito. Cæterùm rectè

(1) *Lib. 6. n. 539. et seq.* — (2) *Lib. 6. n. 546.* — (3) *n. 545.* — (4) *n. 550. v. 3. Episc.*

advertit *Lugo*, quòd in dubio revocatio præsumi debet justa; et hoc posito, sententia præfata difficulter potest deduci in praxim, dùm Episcopo in revocanda approbatione multæ possunt esse causæ, quæ confessario ignotæ sunt (1). Notandum 5. Episcopum successorem ex justa causa ad examen revocare posse omnes confessarios approbatos à prædecessore, etiam parochos, modò vehemens eorum imperitiæ adsit suspicio, ut decrevit S. C. 15. Jan. 1667. (2); et etiam Mendicantes, ut rectè dicunt (contra aliquos) *Suar.* et *Lugo*; et super hoc refert *Cabass.* Alexand. VII. 30. Jan. 1656, in causa Episcopi Andegav. quæ cum diversis Ordinibus regularibus agebatur, damnasse ut erroneam hanc propositionem: *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Et præterea refert decisum fuisse in Concilio statûs Galliæ Episcopum non teneri reddere rationem revocationis approbationum (3). Notetur hîc insuper S. Pium V. in Constitut. *Romani Pontificis*, dixisse quòd Regulares approbati ab Episcopo prædecessore, *ab Episcopo successore examinari de novo poterunt, et si minùs idonei reperti fuerint, reprobati.* Hinc inferunt multi AA. ut *Silv. Mirand. Fagund. Cespida, Nicolius*, et alii apud *Ferraris*, Vicarium capitularem non posse auferre facultatem Regularibus ab Episcopo approbatis, nec ad examen revocare, modò approbatio ab Episcopo data non esset cum clausula, *Ad beneplacitum nostrum*; tunc enim morte Episcopi expirat. Nunc restant hîc discutienda 4. dubia.

76. — Dubitatur 1. an confessiones venialium factæ sacerdoti simplici sint illicitæ ac invalidæ? Quòd sint illicitæ hodie in dubium revocari nequit post Decr. Innoc. XI. apud *Bonac.* (4) 12. Febr. 1679. in quo non solùm præceptum fuit Episcopis: *Ne permittant, ut venialium confessio fiat sacerdoti non approbato ab Episcopo*; sed præterea hoc vetitum fuit ipsis sacerdotibus, cùm ibi dicatur: *Si quicumque sacerdotes secùs egerint, sciant Deo se rationem reddituros.* Dubium ergò restat, an hujusmodi confessiones sint etiam invalidæ? Communissima est sententia quæ negat; sed cùm valdè probabile sit talem facultatem non habere sacerdotes simplices directè à Jesu Christo (ut dicunt alii), sed ab Ecclesia, ut tenet *Suar. Lugo, Bonac. Conc. Ronc.*, etc., puto valdè probabile esse cum

(1) *Lib. 6. n. 551.* — 2. *Apud Lambert. Notif. 9. n. 16.* — 3) *L. 6. n. 552.* — (4) *Bonac. tom. 1. D. 5. q. 7. p. 2.*

P. Conc. Platel., etc, tales confessiones post Decr. Innoc. XI. hodie esse etiam nullas; nam non præsumitur Ecclesia velle jurisdictionem conferre eis, quibus expressè illa talis jurisdictionis prohibet usum (1).

77. — Dubitatur 2. an parochus possit adsciscere parochos alterius diœcesis ad audiendas confessiones in sua ecclesia? Affirmant *Castropal. Suar. Vasq. Lug. Wigandt, Conc. Bonac.*, etc, dicendo quòd parochus in collatione parochiæ approbatur pro tota Ecclesia, ex eo quod dicit Trident. (sess. 23. cap. 15.): *Nullum posse confessiones audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat.* Ex quo inferunt omnem parochum approbationem universalem pro tota Ecclesia accipere. Sed probabiliùs hoc negant *Laym. Barb. Piasec. Garc. Croix*, etc. cum *Lamb.* (2), nam per verba allata non intellexit Concil. dare parochis approbationem universalem, sed tantùm declaravit quemlibet parochum, collatâ sibi curâ, sine alia approbatione approbatum remanere à Concilii dispositione; non autem ab Ecclesia, et pro tota Ecclesia, sed à suo Episcopo, et juxta ejus voluntatem, ut confessiones suarum ovium audiat. Et super hoc adsunt plures declarationes S. C. (3). Advertendum hìc obiter parochum, qui à cura se abdicavit, non posse confessiones audire sine speciali Episcopi approbatione (4).

78. — Dubitatur 3. an parochus possit sibi adsciscere alium parochum alterius parochiæ, sed ejusdem diœcesis? Affirmant communiùs, præter citatos DD. *Castropal. Croix*, et *Mazz.*; sed probabiliter hoc etiam negant *Barbosa* cum *Piasec. Homeb.* et cum altera declaratione S. C. Et ratio est, cum probabiliùs sit, ut dictum est, parochum non approbari ab Ecclesia universali, sed ut dictum est. à suo Episcopo, et pro ejus voluntate, quoties nescit Episcopum voluntatem habuisse, se pro tota diœcesi approbandi, ille non potest confessiones audire, nisi tantùm in sua parochia: dum facillè esse potest, quòd Episcopus eum idoneum judicaverit pro uno, et non pro alio loco, nempe pro oppido, et non pro civitate. Rectè tamen dicunt *Bonac. Cler.* et *Lambert.* (5) sententiam oppositam benè practicari posse ubi sic fert usus; imò *Wigandt* absolute id admittit, quia dicit talem esse consuetudinem multarum diœcesium.

79. — Dubitatur 4. à quonam Episcopo obtinenda sit

(1) *Lib. 6. n. 545. c. Quær.* — (2) *Notif. 86. n. 7.* — (3) *Lib. 6. n. 544.* Hìc dubit. 1. — (4) *n. 542. v. 2.* Etiam. — (5) *Notif. 86. n. 13.*

approbatio? Sub nomine Episcopi venit quilibet alius prælati jurisdictione episcopali gaudens, ut gaudent nonnulli Abbates, et capitula Sedibus vacantibus. Venit etiam Episcopus confirmatus, licet non consecratus, sed non qui tantum est electus, aut si Episcopatu se abdicavit, *Lug. Salm.* et *Croix* (1). Sed quod magis refert, est ut sciatur quinam intelligatur pro Episcopo proprio, à quo approbatio impertienda est? Alii intelligunt Ordinarium pœnitentis, alii Ordinarium sacerdotis; sed hodie (quicquid dicat *Mazzotta*) procul dubio intelligendus est Ordinarius loci ubi confessiones audiuntur, ex Bulla, *Lum sicut*, Innocent XII. 19. Aprilis 1700. relata per extensum à *Salmant.* (2) (et confirmata à Benedicto XIV. in Bulla *apostolica indulta*. data 3. Aug. 1744.) ubi declaratum fuit, *quosvis confessarios non posse audire confessiones sæcularium in vim Bullæ Cruciatæ sine approbatione Ordinarii loci; secus* (dixit) *invalidæ sunt confessiones, et confessarii suspensi; et concludit his verbis: Reprobata tanquam falsâ et temerariâ quâcumque contrariâ opinione.* Hoc non obstante, *P. Mazzotta* sustinere contendit improbabilem non esse priorem opinionem, nempe intelligi etiam Ordinarium pœnitentis, dicendo Bullam Innocentii probabiliter intelligi tantum pro iis confessariis, qui absolvunt contra voluntatem suorum Ordinaiorum. Sed nescio quomodo hæc interpretatio locum habere possit, dum expressè Bulla dicit, nullas esse confessiones, quæ fiunt *sine approbatione Ordinarii loci, in quo ipsi pœnitentes degunt.* Et si hoc currit pro iis qui privilegio gaudent *Cruciatæ*, tantò magis valebit pro eo qui nullo fruitur privilegio; et ita mecum sentiunt *Ronc.* et *Salm.* qui scripserunt post Bullam Innoc., se revocando ab eo quod priùs docuerant in *Tract. de Pœnitent.* (3). Dicunt tamen *Salm.* hoc currere pro iis, qui privilegio *Cruciatæ* donati sunt, non autem jubilæi, aut hujusmodi; sed Benedictus XIV. in alia Bulla *Benedictus Deus* data 25. Dec. 1750. §. 4. declaravit etiam in Jubilæo Seculares alium non posse eligere sibi confessarium quàm à loci Ordinario approbatum, et Moniales non alium quàm approbatum pro Monialibus (4). Advertendum contra valdè probabile esse cum *Croix*, e *Salm.* (qui hanc sententiam, ut communem habent) parochum posse ubique locorum confessiones suorum subditorum audire. Et circa hoc adest declarat. S. C. (5).

80. — Quoad Regulares autem ante Innoc. XII. declara-

(1) *Lib. 6. n. 547.* — (2) *Tract. 18 de privil. c. 4. n. 80.* — (3) *Lib. 6. n. 54 r. Tertia sentent.* — (4) *Ibid.* — (5) *n. 548. v. Quær.*

verat Innoc. X. suo Brevis (1), Regulares etiam exemptos, qui confessiones secularium audire cupiunt, approbandos esse ab Ordinario loci: *Regulares in una diœcesi approbatos non posse in alia confessiones audire, sine approbatione Episcopi illius*, sunt verba Brevis, quòd postea confirmatum fuit ab Innoc. XIII. in Bulla *Apostolici ministerii*, et deindè in quadam alia Bulla à Benedicto XIII. (2).

PUNCTUM II.

De jurisdictione confessarii.

Quinam habet jurisdictionem ordinariam, et quinam delegatam 81. *An delegata spiret morte, etc. Si habetur à principe aut ad causarum universitatem* 82. *De consensu præsumpto Episcopi* 85. *Qui absolvit cum jurisdictione dubia* 84. *Quis potest sibi eligere confessarium* 85. *Quilibet potest confiteri approbato* 86. *Cuinam confiteri possunt peregrini* 87. *Cuinam Religiosi* 88. *Cui Moniales* 89. *De titulo colorato, et de errore communi* 90. *De jurisdictione probabili* 91. *An excommunicati, etc. possint absolvere moribundos* 92. *An sacerdotes simplices coram approbatis* 93. *Casus excepti* 94. *De confessario complice in peccato turpi* 95. *An confessarii simplices coram Superiore possint absolvere, etc.* 96. *An à casibus papalibus* 97. *An moribundus teneatur per litteras facultatem petere à Superiore* 98.

81. — JAM dictum est alteram esse potestatem Ordinis quam circa peccatorum absolutionem recipit quilibet sacerdos à Jesu Christo, cum sacerdotio initiatur: alteram potestatem jurisdictionis, quæ ei ab Ecclesia confertur, ut exerceat Ordinis potestatem erga subditos suos, super quos Ecclesia auctoritatem ei concedit. Hæc autem potestas jurisdictionis altera est ordinaria, altera delegata. *Ordinaria* est illa quam habent omnes pastores, ut sunt Papa, Episcopi, Archiepiscopi (cum visitant subditos Suffraganeorum suorum), parochi, et Prælati Religionum. De vicariis generalibus Episcoporum dubitarunt nonnulli AA., an ipsi habeant jurisdictionem ordinariam in foro sacramentali, adeò ut possint confessiones excipere, et aliis facultatem dare, dicendo eorum potestatem esse tantum circa causas fori externi. Sed affirmat sententia communissima, et verior, cum *Fagnan. Hostien. Nav. Azor. Silv. Sanch. Bos. Salm.* et aliis, quia vicarii habent talem jurisdictionem non jam ab Episcopo, sed à Canone, sive à lege, dum ipsi cum Episcopis unum constituunt tribunal, ut apparet ex *cap. 2. de Consuet. in 6. et cap. Romana, de Appellat.*

(1) *Ad. Salm. tr. 6. de Pœnit. c. 11. n. 95.* — (2) *Lib. 6. n. 549.*

in 6. (1). *Delegata* autem est illa quæ conceditur ab iis qui habent ordinariam, ut à Papa qui pro tota Ecclesia concedere potest, ab Episcopis pro sua diœcesi, à Prælatiis pro suis ordinibus, et à parochis pro suis parochiis. Papa delegare potest facultatem contra consensum Episcoporum, et aliorum Prælatorum, et Episcopi et Prælati contra consensum parochorum, et inferiorum Prælatorum, sed non è converso (2).

82. — Notandum 1. jurisdictionem externam terminari morte concedentis, non autem internam, ut dicit *Busemb.* cum aliis; sed melius distinguunt *Sanch.* et *Salm.* dicendo hoc currere, cum delegatio est generalis (sive sit à Papa, aut ab Episcopo); secus autem cum est particularis pro particulari casu aut persona (3). Notandum 2. quod delegatus non potest subdelegare, nisi id sibi expressè concessum est. Excipitur 1. si quis esset delegatus à principe; sed hoc intelligitur ut explicant *Laym.* et *Castr.* (4), cum talis delegatio facta est alicui pro officio, non autem cum electa est persona intuitu peritiæ suæ, aut cum ei commissa est alicujus causæ expeditio. 2. Si quis est delegatus ad causarum universitatem, licet non à principe; sed in hoc pariter distinguere oportet cum *Laym.* (5). duobus modis posse alicui delegari jurisdictionem ad causarum universitatem: Primò cum ei committitur aliquod officium cui annexa est jurisdictio, et hoc etiam, licet officium non sit proprium, sed vicarii, verbi gratiâ, viceparochi, aut vicerectoris, in locum parochi absentis, aut non adhuc sacerdotis. Talis vicarius utique potest jurisdictionem suam subdelegare, non quidem totam, sed pro una aut altera causa, ut communiter dicunt DD., quia huic non solum commissum est parochi exercitium, sed etiam officium, cui officio non solum competit solus usus, sed etiam jurisdictionis delegatio; ita *Laym. Castr. Sanch. Coninch. Silv.* et alii cum *S. Thoma* (6) qui dicit: *Vicarius non potest totam suam potestatem communicare, sed potest partem.* Secundò, cum alicui delegata est, non officium, sed jurisdictio tanquam privilegium perpetuum officia suc, aut jurisdictioni annexum, quia tunc talis jurisdictio judicatur tanquam ordinaria, prout est facultas *cap. 6. Liceat.* concessa Episcopis à Trident. *Sess. 24.* Dicunt autem *Rod. Beja,* et *Viva,* cum *Navar. Peirin. Naldo,*

(1) *Lib. 6. n. 557. et 558.* — (2) *Ibid. v. Delegata.* — (3) *n. 559.* — (4) *Laym. de Pœnit. c. 10. n. 14. et Castr. eod. tit. d. un. p. 13. n. 15.* — (5) *Loco cit. n. 12. v. Duobus.* — (6) *Quodlib. 12. a. 31.*

Bord., etc. quòd si Episcopus dat facultatem alicui confessario absolvendi ad omnibus reservatis, posset hic subdelegare talem facultatem alteri in aliquo particulari casu; sed melius *Laym.* et *Castrop.* cum *Coninch.* hoc admittunt, si talis facultas concessa est ratione officii; v. g. parochi, aut viceparochi, ut superius dictum est, non autem cum alicui ratione suæ peritiæ, aut probitatis concessa est; nam facultas subdelegandi competit tantum illi cui committitur officium, non autem cui committitur solus usus exercitii jurisdictionis (1).

83. — Notandum 3. ad Pœnitentiæ Sacramentum administrandum non sufficere internum Episcopi consensum, nec præsumptum de futuro, sive sit ratihabitio, nempe quòd si sciret, utique assentiretur; quia talis voluntas interpretativa non sufficit ad conferendam pro tempore præsentis jurisdictionem. Sed sufficit contra consensus præsumptus de præsentis, signis externis patefactus, ut esset si quis, Episcopo præsentis et non contradicente, confessiones audiret (2).

84. — Notandum 4. peccare sacerdotem qui absolveret ex dubia jurisdictione. Sed excipiunt casus in quibus urgeret aliqua necessitas, ut esset (sicut dicunt *Elbel*, *Busemb.* *Holz.*, etc.): 1. Si adesset periculum mortis. 2. Si pœnitens deberet satisfacere præcepto annuæ confessionis, et non adesset confessarius qui haberet jurisdictionem certam. 3. Si pœnitens celebrare deberet, aut communicare, et secus incurreret infamiæ notam, aut addunt *Salm.*, si sacerdos deberet ex obligatione eo die celebrare. Sed in hoc advertere oportet, quod dictum est *Tract. præcedenti num. 24.*, quia si quis certus esset de peccato mortali, et non esset certus de contritione, in tali casu recipiendo absolutionem dubiam, non posset communicare; tunc enim possideret præceptum de se probando, quod importat absolutionem certam, non verò dubiam. Cæterum in casibus allatis dicunt AA. citati posse confessarium conditionatam dare absolutionem, si possum. Advertunt *Suar. Conc. Reg.* et *Busemb.* expedire tunc quòd pœnitens se accuset de aliquo peccato veniali, ut directè ab illo absolvatur, et indirectè ab aliis (3).

85. — Notandum 5. Possunt sibi eligere confessarium ratione suorum privilegiorum, 1. Reges, et principes (nempe qui supremo gaudent dominio). 2. Pontificis domestici (4). 3. Episcopi, etiamsi titulares sint, ut dicit *Busemb.* Sed in hoc animadverti debet olim ex *cap. fin.*

(1) *Lib. 6. n. 566.* — (2) *n. 570.* — (3) *Lib. 6. n. 571.* — (4) *n. 565.*

de pœnit. tam Episcopos, quàm Superiores regulares, ac etiam Prælatos minores exemptos (intelliguntur Prælati rom. Curiaë et Superiores regulares locales) potuisse sibi in confessarium eligere quemlibet sacerdotem; nihilominus S. C. declaravit, ut refert *Fagnan.*, quòd Episcopi confiteri nequeunt, nisi approbatis ab Ordinariis domicili ipsorum sacerdotum, sicut explicat *Card. de Lugo*, et hoc confirmatum fuit à Gregorio XIII. 4. Decemb. 1532. ut refert *Fagnan.* et *Pitton* (1). Concessum est tamen Episcopis secum conducere confessarium jam approbatum, et ei confiteri etiam in aliena diœcesi. Et idem currit pro Cardinalibus, qui præterea Romæ degentes possunt sibi et familiæ suæ confessarium eligere, et eum quocumque eunt, conducere. Quoad parochos autem damnata fuit ab Alexandro VII. prop. 16. quæ dicebat, eos cuicumque sacerdoti confiteri posse (2.) Loquendo communiter de aliis, dixerunt nonnulli AA. posse aliquem confiteri simplici sacerdoti, si approbatus esset indoctus, aut incurreret periculum gravis damni, si confiteretur approbato, aut si ille nollet ejus audire confessionem; sed omnes istæ opiniones communiter refelluntur (3). Notandum etiam hîc capellanos castrorum non posse milites in stationibus commorantes absolvere sine Pontificis facultate, aut sine Ordinarii licentia, ut pluries declaravit S. C. (4).

86. — Notandum 6. hodie certum esse (quicquid olim erat in usu) cuilibet sæculari licere confiteri cuicumque confessario approbato, etiam contradicente parochò, et etiam pro adimplendo præcepto annuæ confessionis. Nec obstat quod dixit *Joannes Launojus*, confessionem præceptam juxta Concil. Later. in *cap. Omnis, de Pœn. et remis.* faciendum esse proprio parochò, cùm ibi dicatur, *confiteatur proprio sacerdoti*, dum pro sacerdote *proprio*, ut declaravit Clemens VIII. et Clemens X. in *Bulla Suprema* (5), intelligitur de quocumque confessario approbato; et Joan. XXII. in *Extrav. Vas electionis*, damnavit *Joan. Poliacum*, qui docuerat nullas fuisse confessiones proprio parochò non factas (6).

87. — Notandum 7. certum etiam et commune esse hodie apud DD., ut docent *Castrop. Vasq. Suarez, Conc. Lugo Bonac. Salm.*, etc., peregrinos ratione conniventiaë Episcoporum, sive melius ex consuetudine universali, posse

(1) *Ibid.* Dubit. hîc. 1. — (2) *Ibid.* Dubit. 2. — (3) n. 568. — (4) *Apud Zacch. ad Croix* l. 6. p. 2. n. 1518. — (5) *Apud Lambert. notif.* 18. n. 7. — (6) *Lib. 6. n. 564. v. Ex conces. et n. 574.*

confiteri cuicumque confessario approbato pro loco ubi illi reperiuntur, et talis consuetudo currit, etiamsi peregrinus proficiscatur è patria sine alibi confitendi, ut dicunt *Pontius, Fill. Renzi, Tambur. Mazz.*, etc. (1): vetitum fuit à Clemente X. dumtaxat in alienam diœcesim proficisci in fraudem reservationis; de quo in seq. cap. VII. n. 135. et 136.

88. — Notandum 8. Religioso sine licentia Prælatorum suorum non posse aliis sacerdotibus extra ordinem suum confiteri, ex privilegio quo gaudent ordines dato ab Innoc. IV. et aliis Pontificibus; et novissimè concessum etiam fuit à Bened. XIV. per Brev. *Quod communi*, 30. Mart. 1742. Capuccinis, quibus vi suarum regularum vetitum erat confiteri aliis; sed hi non possunt confiteri nisi approbatis ab Ordinariis loci, vel Regularibus approbatis à Superioribus regularibus. Sed loquendo de religiosis peregrinantibus, advertendum quòd hi, si socium sui ordinis habent, modò ille sit idoneus, huic confiteri debent. Si autem deesset socius, aut alius sacerdos idoneus sui ordinis, confiteri possunt cuilibet idoneo sacerdoti regulari aut seculari. Hoc totum commune est apud DD. *Laym. Ronc. Salm. Tamb. Croix*, etc., et certum est ex verbis Innoc. VIII. mox referendis. Dubium restat an confiteri debeant sacerdoti approbato? Ita volunt *Wigandt, Conc. Antoine*, cum aliis paucioribus; sed communissima et verior est sententia opposita, quæ id negat cum *Suar. Escob. Castrop. Ronc. Bordon. Salm. Mazzot. Rodr. Tamb.* etc. (exceptis Capuccinis qui, ut paulò antè dictum est, ex Bulla Bened. XIV., debent confiteri approbatis). Et id probatur perspicuè ex concessionibus Sixti IV. et clariùs Innoc. VIII. qui sic dicit: *Nos igitur fratribus hujusmodi quos itinerari, et per eorum superiores mitti contigerit, ut si aliquem presbyterum idoneum ex professoribus dicti ordinis haberi non possint, quemcumque presbyterum idoneum religiosum vel secularem eligere valeant, qui confessiones eorum audire licitè possit.* Et rectè dicunt *Salm.* cum *S. Antonin. Soto, et Silv.* quòd per tò *quemcumque alium presbyterum* intelligitur quicumque sacerdos simplex idoneus; nam hæc præsumitur etiam esse voluntas Prælatorum in danda suis subditis licentia foras proficiscendi, juxta communem consuetudinem (2). Advertit tamen *Bus.* hoc intelligi pro non reservatis (3).

89. — Circa autem confessiones Monialium plura hìc

(1) N. 569. v. Communiter. — (2) Lib. 6. n. 575. — (3) n. 574. in fin.

notanda sunt : I. Confessarii Monialium indigent speciali electione , aut saltem approbatione Episcopi loci , licèt Moniales sint exemptæ , et subjectæ Regularibus , ex Bulla Gregor. XV. *Inscrutabilis* , et ex Bulla Innoc. XIII. *Apostolici* , confirmatis à Bened. XIII. in Bulla *Pastoralis* ; et hoc etiam pro confessione venialium , ut declaravit S. C. II. Elapso triennio hujusmodi confessarii suspensi remanent , nisi accedat licentia S. C. ut etiam declaravit S. C. et hoc etiam currit pro confessariis conservatoriorum . Si autem confessarius destinatus esset pro supplemento , probabiliter dicit *P. de Alex. Tianen.* cum aliis , quòd potest confirmari pro alio triennio ; quia ista prohibitio , prout odiosa , strictè sumenda est de electione ordinaria . Notat insuper præfatus auctor , quòd alicubi ob confessariorum idoneorum deficientiam permittunt Episcopi illos ultra triennium pergere ad earum confessiones audiendas ; advertit item *Bord.* quòd licèt possint aliquando Moniales respuere confessarium designatum , si justa accedit causa , v. g. si confessarius nimio rigore vir esset , aut suorum propinquorum inimicus , etc. III. Ob diversa Decreta S. C. apud *P. de Alex.* nequeunt esse Monialium confessarii 1. Vicarii generales. 2. Parochi , cum cura notabiliter pateretur detrimentum. 3. Regulares. 4. Canonici Pœnitentarii . Probabiliter tamen dicit præfatus auctor *de Alex.* permissum esse Episcopo hos eligere , si ita expedire judicaret. IV. Episcopi et Regularium Prælati tenentur bis aut ter in anno exhibere Monialibus sibi subjectis confessarium extraordinarium , ut præcipuè statuit Innoc. XIII. in Bulla *Apostolici ministerii* , extensa à Benedicto XIII. ad totum christianum orbem , et ut novissimè confirmavit Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis* , 5. Augusti 1748. Dicit *Busemb.* cum *Quintanad* , Moniales , si eis non exhibetur extraordinarius , posse sibi eligere confessarium , et citat quamdam declarationem S. C. apud *Barbos.* ; sed hæc opinio meritò rejicitur a *P. de Alex.* tantò magis quòd hodie præfatus Benedictus declaravit in allata Bulla , quòd Moniales , tam claustrales quàm conservatoriorum si extraordinarium non obtinent , possunt ad Pœnitentarium majorem recurrere , qui eis illum assignare debet . Insuper præcipitur in dicta Bulla *Pastoralis* , quòd quælibet Monialis , licèt confiteri nolit , teneatur saltem se præsentare ad extraordinarium . Præterea ibi præcipitur , ut in mortis articulo cuilibet moniali concedatur confessarius particularis , si eum illa expostulat ; et si Monasterium est exemptum , et Prælati regularis illum non concedit , cum assignet Episcopus ; et cum Epi-

scopus nec eum designaret, recurratur ad Pœnitentiarium majorem. Insuper ibi disponitur quòd si qua Monialis recusabit ordinariò confessario confiteri, Episcopus pro certis vicibus ei deputet alium (et in hoc Papa hortatur Episcopos, ne difficiles sint aliquando concedere dictos extraordinarios illis qui efflagitant). Et si monasterium est exemptum, deputetur à Prælato regulari; et cùm ille recuset, concedatur ab Episcopo, et ipso negligente, concedatur à Pœnitentiaro majori. Denique præcipitur ut prælati regulares bis aut ter in anno assignent Monialibus sibi subjectis confessarium extraordinarium ex approbatis ab Episcopo pro Monialibus, qui (nota) saltem semel sit secularis aut alterius ordinis; secùs eum eligat Episcopus; et Papa præcipit ut eo tempore omninò sit prohibitum ordinariò confessiones alicujus audire, ne Abbatisæ quidem, aut novitiarum. (1).

90. — Restat nunc discutienda multa dubia. Quæritur 1. an in errore communi suppleat Ecclesia jurisdictionem quæ deest confessario? Si error communis est adjunctus cum titulo colorato, sive putativo, certum est apud omnes Ecclesiam supplere: ita *Sot. Navar. Cajet. Sanch. Cardenas, Concin. Antoine*, etc., et probatur ex lege *Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* et ex *cap. Infamis 3. q. 7.* Ratio est, quia aliàs multæ animæ perirent, ideòque ratinabiliter præsumitur Ecclesia supplere; advertit tamen *Sanch.* hoc non currere cùm titulus est fictus, sed cùm verè est collatus à Superiore licèt sit tantùm putativus, quia fortè Superiori prohibitum est illum conferre, sicut dicitur in *Novella 44. cap. 1. Anth. de Tabell.* Sed magis dubium est, an Ecclesia suppleat jurisdictionem, cùm solus intervenit error communis, sine titulo colorato? Negant *Busemb. Concina, Ronc. Sporer, Holzm.*, etc., dùm dicunt quòd secùs sacerdotes impii hinc occasionem sumerent se simulandi confessarios esse, et errores disseminandi. Sed hæc ratio non convincit, quia quamvis Ecclesia his negaret jurisdictionem, nec damnum impediret; quare probabiliter affirmant *Lugo, Less. Ronc. Castrop. Sanch.*, etc., et dicunt probabile esse iidem *Ronc. Spor. et Holzm.* cum *Carden. Viva, Hen. Elbel*, dùm eadem ratio boni communis, quæ pro titulo colorato affertur, currit etiam pro errore communi (2)

91. — Quæritur 2. an liceat confessario absolvere cum jurisdictione probabili? Hic tres adsunt sententiæ. Prima

(1) *Lib. 6. n. 576. et seq.* — (2) *Lib. 6. n. 572.*

est pauciorum, nempe *Eliz. Conc.* et *Antoine*, qui absolutè negant: dicunt hi quòd ex propositione 1. proscripta ab *Innoc. XI.* non licet uti opinione probabili in Sacramentis conferendis. Secunda est communis et communiter affirmat cum *Less. Filliuc. Cardenas, Lugo, Sanch. Bonac. Castr. Salm. Viva, Croix*, etc; et moraliter certam appellant *Sanch. Cardenas, Dicast. Tamb. Gormaz*, etc. Alii assignant rationem erroris communis, sed hæc non convincit; ratio vera est consuetudo universalis, quæ est in Ecclesia in absolvendo cum jurisdictione probabili, ut testantur *AA.* citati; et consuetudo utique dat jurisdictionem, sicut docent etiam communiter *Suar. Barbos. Carden. Quaranta*, et *Pelliz*. Et probatur apertè ex *cap. Contingat, de foro compet.*, ubi sic habetur: *Nisi fortè hi, quibus delinquentes ipsi deserviunt, ex indutgentia, vel consuetudine (nota) speciali jurisdictionem hujusmodi valeant sibi vindicare.* Neque hic obstat dicta prop. damnata quam opponunt, nam (ut benè respondent *Viva*, et *Wig.* cum *Gonet.*) propositio loquitur de opinionibus circa ea, in quibus nil potest Ecclesia, ut circa materiam et formam Sacramentorum; sed circa jurisdictionem supplere quidem potest Ecclesia, et præsumitur eam certè supplere ob bonum animarum: quare confessarius in tali eventu non absolvit cum sententia probabili, sed cum certa. Tertia denique sententia, quam nos sequimur cum *Suar. Marchan. Gobat. Wig. Holzm. Barb. Sporer, Etbel*, et aliis, dicit tunc tantùm licere aliquem absolvere cum opinione probabili, cum concurrat aliqua causa graviter rationabilis; aliter non præsumi debet Ecclesiam favere velle nimix confessariorum libertati. Causa autem rationabilis esset 1. Si pœnitens præcipuè istius confessarii auxilio indigeret. 2. Si complex peccati sit cognitus confessario qui habet jurisdictionem certam. 3. Si aliàs adesset periculum faciendi confessionem sacrilegam. 4. Si pœnitens timeret incurrere aversionem aut suspicionem nocivam, si confiteretur confessario certam habenti jurisdictionem; aut si aliàs diutiùs à confessione abstinere deberet. 5. Si urgeret præceptum annuæ confessionis, aut lucrandi indulgentias peculiare (1). Adde, si jam pœnitens aperuisset confessario aliquod suum grave peccatum, et dubitaretur an illud sit nec ne reservatum, ut dicitur *n. 142.*

92. — Queritur 3. an in articulo mortis possint omnes simplices sacerdotes absolvere, etiam hæretici, schismatici,

(1) *Lib. 6. n. 575.*

aut excommunicati vitandi? Jam compertum est in morte omnes sacerdotes etiam degradatos posse absolvere à quocumque peccato, et censura reservata. Et hoc non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis, ut sententia communissima et verior asserit; ita *Navar. Silv. Suar. Sanch. Lugo, Castrop. Salm.*, etc. contra *Sotum et Canum*; nam in hac materia idem est de articulo ac de periculo, ut patet ex *cap. Si quis suadente 29. caus. 17. q. 4.* ubi dicitur: *Nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo.* Et ratio est, quia quilibet fidelis tam tenetur ad confitendum in articulo, quam in periculo mortis. Tale periculum autem judicatur esse in prælio, in longa navigatione, in partu difficili, et in omni periculoso morbo; ita *Sanch. et Salm.* qui dicunt idem de quocumque qui esset in periculo probabili incidendi in amentiam, aut esset captivus apud Turcas, et timeret futurum esse, ut eò nullus adventaret sacerdos, ut confiteri posset (1). Sed veniamus ad quæsitum, an sacerdotes ab Ecclesia abscissi, ut sunt hæretici, schismatici, et excommunicati vitandi, possint moribundos absolvere? Affirmant *Sanch. Suar. Navar. Lugo, Salm.* et alii, et probant ex *Trid. sess. 14. cap. 7.* ubi dicitur: *In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt,* Sed negant *Fagnan. Petroc. Concina*, etc., cum declaratoine S. C. Et pro hac sententia est *S. Thomas* (2) qui, loquendo de abscissis ab Ecclesiæ communione, dicit, hos tantum posse baptizare in mortis articulo, sed in nullo casu posse aliud ministrare Sacramentum. Nec obstat *Concil.* quia, ut ajunt, ibi nova lex non conditur, sed tantum declaratur jus antiquum, cum dicatur: *In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit*, etc. Atque probat *Fagnan.* sicut etiam declaravit S. C. et idem *Nav.* fatetur, olim communem fuisse sententiam cum *Magistro sententiarum, S. Thoma, Scoto, S. Antonin. Ricar. Turrecr.* excommunicatos in nullo casu posse absolvere (3). Attamen *P. Lucius Ferraris* in sua *Biblioth. verb. Moribundus*, n. 32. advertit, quod *P. Franciscus Campioni* in *Instruct. ad confess. cap. 41. n. 13.* refert ex *Card. Albitio part. 1. de Inconst. in Fide cap. 13. et 19.* quod prædicta declaratio sacræ Congregationis Conc. adducta à *Fagnano* non reperitur in Concilii regestis: signum quod vel non emanarit, vel expuncta

(1) *Lib. 6. n. 561.* — (2) *2. p. q. 82. a. 7. ad 2.* — (3) *Lib. 6. n. 560.*

fuerit, uti contraria communi sententiæ, occasione cujusdam Episcopi, cui respondentem affirmativè objecta fuit doctrina *Fagnani*; at dubio delato ad Innocentium XI, hic jussit supprimi quæstionem, nec ampliùs dubitari moribundum in defectu alterius sacerdotis validè et licitè absolvi ab excommunicato vitando, degradato, aut hæretico.

93. — Quæritur 4. an sacerdos simplex possit absolvere moribundum coram approbato? Prima sententia communissima negat cum *Mol. Sanch. Azor. Bonac. Cardenas, Lugo, Laym. Salmant.*, etc.; et probatur ex Trident. loco cit. ubi dicitur: *Verumtamen ut piè admodùm, ne hæc occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum*, et sequuntur alia verba superiùs relata. Ex præfato textu infertur 1. Concil. novam non condidisse legem, sed declarasse antiquam, et antiqua lex erat quòd sacerdotes simplices tunc tantùm absolvere possent moribundos, cùm deerant approbati, juxta textus ab AA. cit. allatos. 2. Quòd in tantùm Ecclesia dat facultatem sacerdotibus simplicibus, in quantum adest necessitas extrema, *ne aliquis pereat*; sed cessat hæc ratio, cùm adest approbatus. Contrà secunda sententia affirmat cum *Nav. Barb. Sayr. Sa*, etc., et probabilem appellant *Lugo, Viv. Sporer*, etc., dicendo verba Concilii esse generalia; *Atque ideò omnès sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt*. Ad Canones antiquos respondent, eos non loqui de absolute sacramento, sed de sola reconciliatione peccatorum publicorum. Hoc non obstante, judico non esse recedendum à sententia opposita; 1. quia in Rit. rom. (*de Pœnit. sub. init.*) hoc declaratur expressè, dùm dicitur: *Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest absolvere*. Et quòd Rituale declaret antiquum Ecclesiæ usum, constat ex eo quod Paulus V. in sua Bulla dicit, ubi præcipit inviolabiliter observari Rituale, cùm in eo contineantur ea quæ catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit. 2. Quia præfata verba Concil. *atque ideò*, etc. ut dicunt *Fagnan. Petrocor. et Auctor. de Offic. confess.* apud *Croix*, non jam ad quoslibet referuntur sacerdotes, sed ad eos dumtaxat de quibus loquitur Concilium in præfato cap. 7.; nempe de iis qui *ordinariam, aut subdelegatam habent jurisdictionem*; tantò magis quòd in fine dicti capituli addit: *Extra quem articulum sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere niatutur, ut ad Superiores pro beneficio absolutionis accedant*.

En sermo est de simplicibus confessariis (de quibus tantum dici potest quod nihil possunt in reservatis), non jam de simplici sacerdote; et ita declaravit S. C. Conc. ut refert *Fagnan.* Quod autem sacerdotes etiam simplices possint absolvere in morte, deficientibus approbatis, dicimus hoc non haberi à Trident., sed ab aliis Canonibus, et communi Ecclesiæ consuetudine (1).

94. — Probabiliter tamen conveniunt DD. primæ sententiæ in dicendo, quod sacerdos simplex potest absolvere etiam præsentate approbato in sequentibus casibus: 1. Si approbatus non potest, nec vult absolvere. 2. Si is sit nominatim excommunicatus, aut suspensus. 3. Si sit approbatus tantum in aliena diœcesi. 4. Si moribundus ita horreret confiteri approbato, ut esset in periculo sacrilegè confitendi, ut dicunt *Croix*, et *Mazzot.* ex *S. Thoma.* Et putat *Sporer*, idem esse, si infirmus confiteri non posset approbato sine magna difficultate vel incommodo, aut si ipse putaret simplicem confessarium fore sibi utiliore. 5. Si confessio jam inchoata esset apud simplicem, quia tunc ille jam acquisivit jurisdictionem: secus autem, si infirmus jam absolutus fuisset (modò non esset circumstantia peccati jam confessi); et secus etiam, si infirmus aliquâ excommunicatione reservatâ esset ligatus, quia tunc, licet confessionem incœpisset apud simplicem, præsentate Superiore, debet à Superiore prius ab excommunicatione absolvi, et postea confessionem apud simplicem persolvere. 6. Si approbatus fuisset complex in peccato turpi pœnitentis, sicut declaravit Benedictus XIV. (2). Sed super hoc puncto complicitis opus est majore distinctione.

95. — Præfatus Pontifex in duabus Bullis (quarum altera incipit *Sacramentum*, et altera *Apostolici*) dixit confessarium erga complicem *in peccato turpi contra sextum præceptum* privari omni jurisdictione, et excommunicationem papalem incurrere, si excipere audeat illius confessionem. Excipit solam extremam necessitatem mortis, in qua permittit absolvere complicem; modò alius desit sacerdos, etiam simplex, qui infirmum absolvere valeat; aut modò ille sacerdos non possit infirmi confessionem excipere sine gravi scandalo, et infamia approbati. Addit tamen Pontifex quod ille (si potest) tenetur removere tale periculum scandali, aut infamiæ, sub pœna ejusdem excommunicationis, licet, si illud non removeret, valida esset absolutio

(1) *Lib. 6. n. 562.* — (2) *n. 565.*

(1). Circa hujusmodi Bullas advertendum 1. quòd nomine *peccati turpis* contra sextum præceptum, non solùm intelligendum est peccatum fornicationis, etc. consummatum, sed etiam tactus, et colloquium obscœnum, quoties mortale attingit. Ita dicunt *Salmant.* (2). Contra verò non comprehenduntur culpæ veniales, sive tales sint ob parvitatem materiæ, sive ob defectum deliberationis; ita *Salmant. ibid. n. 277.* Idemque rectè dicunt *n. 278.* de mortalibus internis, vel non plenè externè significatis, quoniam etiam actio debet esse externè gravis. Nec comprehenduntur mortalia dubia facti vel juris; *Salmant. ibid. n. 280.* (vide id quod dicetur hìc infra *n. 142.*). Nec cùm dubium vertitur, an pœnitens ipse quoque graviter peccaverit, quia Bulla intelligitur de complici formali in peccato mortali turpi; *Salmant. cit. num. 280. et num. 241.* Advertendum 2. absolutionem impertitam à confessario complici, si pœnitens non adhuc ab alio de peccato turpi absolutus est, esse invalidam etiam quoad alia peccata; secùs autem, si ab alio jam absolutus fuisset. Hæc duo videntur certa. Sed concurrunt duo dubia, an incurrat excommunicationem confessarius qui jam non absolvit, sed tantùm audit complicem suum in confessione, et fingit eum absolvere? Ego dudùm fui pro affirmativa sententia, ex quodam sacrae Pœnitentiariæ responso; sed postea lectâ Bullâ, *Interpræteritos*, ejusdem Pontificis, inveni declaratum oppositum, cùm dicatur ibi: *Non minus sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit pœnitentis, eumque (nota) absolvit; vel in articulo mortis absolvit, cùm alius sacerdos non desit, excommunicationis majoris pœna à nobis imposita fuit.* Alterum dubium est, an Episcopus virtute cap. 6. *Liceat*, Sess. 24. Trident. possit absolvere confessarium qui absolvit complicem suum in peccato turpi. Vide dicenda *Tom. III. Tr. XX. de Privil. n. 37. (3).*

96. — Quæritur 5. an præsentè Superiore, possit in articulo mortis quilibet confessarius approbatus absolvere infirmum à peccatis, et censuris reservatis? Respondetur distinguendo: Quoad peccata utique potest, quia in morte cessat omnis reservatio, ut declaravit Concilium, adeò ut rectè dicunt *Suar. Salmant. Pallud. Navar. Granad. Præpos.*, etc., moribundo à reservatis absoluto, nullam restare obligationem, si convaluerit, se præsentandi Superiori (sed hoc non currit si pœnitens est absolutus in

(1) *Lib. 6. n. 563. v. Probabiliter. in fine, et fusiùs n. 553.* — (2) *Append. de Bulla Cruc. cap. 6. p. 169. ex n. 262.* — (3) *L. 6. n. 554. 555. et 556.*

aliqua necessitate, non quidem mortis) (1). Præterea dicunt *Suarez, Lugo, Sanchez, Salmant.*, etc. quòd si moribundus habet reservata, et adest confessarius approbatus, non potest sacerdos simplex absolvere, licèt confessarius ille careat facultate super reservatis; dùm in mortis articulo (ut suprà dictum est) cessat omnis reservatio. Quoad autem censuras reservatas, confessarius simplex non potest coram Superiore absolvere, quia, cùm certum sit moribundum, si convaluerit, teneri Superiorem adire, non jam ut denuò absolvatur, sed ut suam obedientiam ostendat, et ut pœnitentiam majorem recipiat, si Superior ei illam imponit, secùs si non se præsentet, in eadem incidit censuram, ut docent communiter *Suar. Sanch. Salm.*, ex cap. *Eos qui, de sent. excom. in 6.* Hinc fit quòd si Superior adest, ab eo à censuris infirmus absolvendus est (2).

97. — Quæritur 6. an præsentè Episcopo possit quilibet confessarius absolvere moribundum à papalibus? Alii DD. distinguunt, ut *Mol. Suar. Sanch.*, et dicunt non posse, si casus est occultus; quia tunc Episcopus super illo ordinariâ procedit jurisdictione ex cap. 6. *Liceat*; et idem dicunt de percussione publica clerici juxta caput *Ea noscitur, de sent. excom.*, ubi dicitur ob talem excommunicationem, si nequeat adiri Pontifex, adeundum esse Episcopum. Contrà affirmant posse simplicem confessarium absolvere etiã præsentè Episcopo, si casus est publicus (intellige præter clerici percussione), quia tunc eadem ac Episcopus est præditus facultate confessarius simplex. Sed hanc secundam partem communissimè negant *Navar. Castrop. Coninch. Avil. Sayr. Corn. Hurtad. Salmant.*, etc. dicentes præfatum textum in cap. *Ea noscitur*, non solùm valere pro publica clerici percussione, sed etiã pro quolibet censura papali, dùm pro istis eadem currit ratio; et sicut in quæsito antecedenti probavimus, non possunt censuræ absolvi, præsentè Superiore. Sed hoc non obstante, non puto improbabilem primam sententiam, cùm certum non sit textum præfatum ad omnes extendi censuras (3).

98. — Quæritur 7. an confessarius possit absolvere moribundum à censuris papalibus, cùm ille posset facultatem ab Episcopo per litteras impetrare? Negant *Lugo, Bonac. Suar. Croix*, etc.; sed communiùs et probabiliùs affirmant

(1) *Lib. 6. n. 561.* — (2) *n. 563. Dubit. 1. et n. 567.* — (3) *Lib. 6. n. 563. Dubit. II.*

Azor. Castrop. Sanch. Valenza, Conc Carden. Spor. Salm. Viva, etc., tùm quia in petenda facultate per litteras potest subesse periculum manifestationis; tùm quia in cap. *Quamvis*, de sent. excom. impeditus dicitur quicumque aliquo est præpeditus impedimento, quominus Pontificem adire possit (1).

CAPUT VI.

DE OFFICIO ET ALIIS MUNERIBUS CONFESSARII.

De scientia necessaria confessario 99. et 100. Quot sunt munera confessarii 101. I. De examine 102. et 103. II. De judicio peccatorum 104. III. De instructione 105. IV. De admonitione 106. et 107. Si admonitio non sit profutura 108. ad 112. Si matrimonium est nullum 113. Si sponsi sint parati ad nuptias 114. Si adest obligatio restitutionis. Si admonitio sit postmodum profutura 115. Si pœnitens interrogat, etc. Si adest damnnum commune. In dubio an admonitio, etc. 116. V. De absolutione 117. Quæ certitudo de absolutione, etc. 118. Si pœnitens pro se habeat opinionem probabilem 119. Si pœnitens negat aut tacet peccatum 120. VI. De corrigendis erroribus. De errore circa Sacramenti valorem 121. Circa restitutionem à qua pœnitens dissuasus est, etc. 122. Aut ad quam non sit obligatus 123. An possit admoneri pœnitens licentiâ ejus non petità 124. VII. De obligatione administrandi hoc Sacramentum. An cum periculo mortis, etc. 125. An sacerdos simplex teneatur ad se habilem reddendum 126. et 127.

99. — CUPIENTI hoc Sacramentum Pœnitentiæ administrare, primùm omnium acquirenda est necessaria scientia, quâ hujus magni ministerii officio rectè fungi possit. Sed hic advertendum est quod scripsit S. Gregor. quòd sit *Ars artium regimen animarum*. Et S. Franciscus Salesius dicebat, confessarii officium esse maximi momenti et omnium difficillimum. Et ita est: maximi utique momenti est, quia est finis omnium scientiarum, qui salus æterna est: difficillimum, quia 1. requirit notitiam quasi omnium aliarum scientiarum, et omnium officiorum, et artium. 2. Scientia moralis tot materias disparatas complectitur. 3. Illa magna ex parte legibus positivis constat, quarum quælibet juxta proprium sensum et intelligentiam accipienda est. Præterea ob circumstantias, quæ casus dissimiles efficiunt, resolutiones variandæ sunt. Quidam qui eruditos, et theologos magnæ notæ se jactant, moralistas, quos casuistas (nomen ignominie apud ipsos) appellant, dedignantur ne cursim quidem legere. Dicunt sufficere,

(1) *Ibid.* Dubit. III.

ut confessiones ritè excipi possint, principia generalia moralis callere, illis enim posse resolvi, aiunt, omnes casus particulares. Quis negare potest, omnes casus particulares esse his principiis resolvendos? Sed totum opus, et totus labor est in aptando casibus particularibus, tantis diversis circumstantiis irretitis, principia hujusmodi, utque discernatur quodnam principiorum occurrentibus circumstantiis congruat. Nequit id fieri sine magna discussione rationum, quæ pro utraque parte adsunt. Et hoc est illud quod moralistæ effecerunt, cùm elaborarunt in explicando à quibus principiis multi casus particulares resolvi debeant: præterea hæc nostrâ tempestate, ut dictum est, adsunt tot leges positivæ, tot Bullæ, tot Decreta, quæ nequeunt sciri, nisi casuistæ legantur, qui ea collegerunt, et prout materiarum varietas postulat, ibi opportunè illa inveniuntur; ideòque, quò recentiores ii moralistæ sunt, eò antiquis utiliores. Justâ ratione motus *Auctor Instructionum pro novis confessariis* (1) affirmat, multos theologos quantò profundiores sunt in scientiis speculativis, tantò rudiores in scientiis moralibus, qui ut scribit *Gerson* (2), omnium difficillimæ sunt, et nemo doctus, quantumvis sit in his versatissimus, est, cui indies nova non accidant. Ex quo infert, numquam confessario deserendum esse theologiæ moralis studium. Doctissimus *Sperelli* (3) pariter dicit longè errare eos confessarios, qui totos in scholasticæ studio se applicant, æstimantes tempus in morali frustrâ expendi; *et postea nesciunt distinguere lepram à lepra: qui error* (subjungit) *confessarios simul et pœnitentes in æternam perturbationem trahet*. Peccat igitur absque dubio graviter qui non sufficienter instructus audet confessiones audire: Episcopus qui illum approbat: pœnitens quoque qui noscens ignorantiam ejus, apud ipsum confitetur.

100. — Non negamus autem minorem scientiam exigi in audiendis confessionibus simplicium, et rusticorum, quàm curialistarum, negotiantium, Ecclesiasticorum, et similibus. Minor item scientia requiritur, ut audiantur confessiones in oppido, quàm in civitate; et præcipuè si alicubi sit tanta confessariorum inopia, ut pœnitentes deberent aut per longum tempus à confessione se abstinere, aut aliò proficisci (4). Sed hoc non sufficit ad excusandos aliquos confessarios, qui, cursim lectâ aliquâ brevi summâ

(1) *Part. 1. v. 18.* — (2) *Tract. de Orat.* — (3) *De Episc. p. 3. cap. 4.* — (4) *Lib. 6. n. 628.*

morali, temerè ad excipièndas confessiones se intromittunt. Oportet saltem ut confessarius sciat I. ad quæ sua jurisdictio se extendat. Advertat hic quisque, sacerdotes seculares, et regulares alterius ordinis non posse audire confessiones religiosorum sine licentia suorum Prælatorum; exceptis casibus, si iter agant, si alibi morentur, et socium non habeant, aut alium sacerdotem idoneum ejusdem religionis. Et tunc Religiosi possunt absolvi à quocumque simplici sacerdote (exceptis Capuccinis, vide *præc. num.* 88.), dùm Superiores tunc, dando licentiam his subditis, intendunt eam dare juxta consuetudinem, scilicet confitendi cuivis sacerdoti idoneo (1). Item quivis confessarius scire debet casus, et censuras reservatas, saltem eas in quas frequentius incurri solet, prout sunt excommunicationes papales quæ sunt in Bulla Cœnæ, hæresis externata, lectio aut retentio, aut venditio librorum hæreticorum, qui ex professo de religione tractant, aut continent hæresim formalem: item quinque casus papales Clementis VIII. qui sunt percussio enormis, aut mediocris clerici vel monachi, simonia realis, aut confidentialis, violatio clausuræ Monialium ad malum finem, violatio immunitatis ecclesiasticæ, et duellum: item excommunicationes à summo Pontifice Benedicto XIV. emanatæ in absolventes complices in materia turpi (2), et in eos qui docent posse à confessario exquiri nomen complicitis, etiam per absolutionis sacramentalis negationem, si revelare recuset (3); et aliæ excommunicationes obviæ, quæ observari possunt in Tractatu de Censuris. Sciat II. distinguere peccatum veniale à mortali, saltem in suo genere, quo communiter occurri solet; et de aliis saltem dubitare sciat. III. Sciat interrogationes quas facere debet; circumstantias peccatorum saltem speciem mutantem: quid constituat occasionem proximam, quid inducat restitutionis obligationem, item qualis esse debeat dolor, et propositum, et denique remedia ad emendationem efficaciora. Et ut brevibus me expediam, affirmo in statu damnationis esse eum confessarium qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit. Deus ipse his verbis eum exprobrat: *Quoniam tu scientiam repulisti; repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (4). Nec excusabit eum Episcopi approbatio, cum cognoscit manifestè se inhabilem; approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed supponit. Dico manifestè,

(1) N. 575. — (2) n. 575. — (3) n. 491. — (4) *Osee. c. 4. 6.*

dùm qui tantùm dubitaret, benè potest, imò debet quiescere in sui Superioris iudicio confisus¹, si saltem seduliori studio se habilem reddere satagat. At nullus confessarius intermittere debet theologiæ moralis studium, quia ex tot rebus tam diversis, et inter se disparibus, quæ ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rariùs accidunt, temporis progressu è mente decidunt, qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare.

101. — Præterea advertendum plura alia esse confessarii munera, nempe I. Ut pœnitentis conscientiam investiget. II. Ut de peccatorum gravitate, et numero, debitum formet iudicium. III. Ut pœnitentem instruat de iis quæ scienda sunt circa Fidem, et mores. IV. Ut eum admoneat de suis obligationibus. V. Ut absolvat dispositum. VI. Denique tenetur confessarius emendare errores, quos in audiendis confessionibus commisit.

102. — I. Igitur tenetur confessarius diligenter pœnitentis conscientiam cognoscere. Confessarius est iudex; iudicis officium importat ut, sicut iudex priùs rationes cognoscere debet, indè causæ momenta discutere, et denique sententiam proferre; ita confessarius priùs conscius fieri debet pœnitentis conscientiæ, postea ejus dispositiones inspicere, et tandem absolutionem impertire aut denegare. Et quoad primum munus, quod est peccata pœnitentis cognoscere, quamvis debitum conscientiam examinandi sit præcipuum pœnitentis, nihilominùs (quicquid alii DD. (1) dixerint) non est dubitandum quin, si confessarius cognoverit pœnitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, tenetur ipse eum interrogare, priùs de peccatis in quæ verisimiliter incidere potuerat, et postea de eorum numero, et specie, ut probatur ex cap. *Omnis utriusque, etc. de Pœnit., et Rit. rom.* (2).

103. — Et hic multa advertenda sunt: I. Perperàm eos agere qui rudes dimittunt, ut meliùs se examinent: hoc *P. Segneri* (3) vocat errorem intolerabilem, et jure optimo, quia hujusmodi omnes quantum laborent, difficulter se examinabunt ut par est, et ita exactè, sicut potest ipse confessarius eos examinare; et contrà, cum dimissi sunt, periculum erit ne exterriti difficultate se examinandi, à confitendo retrahantur, et in peccatis obdurescant (4). Qua de re confessarius debet ipse ex hujusmodi pœniten-

(1) *Ap. Lochner. Instr. pag. 55.* — (2) *Lib. 6. n. 607.* — (3) *Confess. instr. c. 2.* — (4) *Lib. 6. n. 607. v. Sed hæc,*

tibus peccata exquirere, eos interrogando juxta ordinem præceptorum, præcipuè si sunt famuli, aurigæ, muliones, milites, satellites, caupones, et alii id genus, qui æternæ salutis vitam negligentem vivere solent, et rerum divinarum sunt ignari, qui stant procul à concionibus, et ecclesiis. Et hic pejor error esset, si ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem, qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticuerit, licèt repetendæ essent confessiones multorum annorum, propter majus periculum quod tunc subest, nempe quòd si non redeat, peribit. Mihi videor aliquem confessariorum audire sic respondere: *Si non redit, pejus sibi erit malum.* Pulchrum quidem charitatis spiritum! Sed sic non loquuntur qui verum habent zelum animas lucrandi: dicamus meliùs, qui hoc munere dumtaxat Deo funguntur. Advertat nihilominùs confessarius se non teneri tam minutè hos interrogare; interroget tantùm de peccatis, in quæ faciliter incidere possunt, spectatâ eorum conditione et capacitate (1). Imò cùm poenitens, licèt rudis, videatur sufficienter instructus, et diligens in confitendo peccata cum circumstantiis suis, juxta statum suum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus; et alio rudis), tunc confessarius nihil aliud tenetur interrogare (2). II. Notandum cum *Lug. Salm. et Dicast.* melius esse, si confessarius singulatim examinet peccata statim ac exponit poenitens, quàm ut differat examen usque ad finem; quia aut faciliter confessarius obliviscitur eorum quæ audivit; aut obligandus esset poenitens cum suo gravi onere ad repetendâ confessâ (3). III. Errare eos confessarios, qui volunt certum judicium facere de peccati qualitate, an sit grave, vel leve, exquirendo à rudibus istis, utrùm pro mortali habebant, an pro veniali; hi enim multoties respondent ut casus sibi verba suggeret, et hoc experienciâ testamur (ut ego millies observavi). Quòd si confessarius paulò post iterùm interroget; respondent modo toto à primo diverso. IV. Advertendum circa numerum peccatorum, quorum habitu aliqui tenentur, cùm non possit haberi numerus certus, curet confessarius statum poenitentis cognoscere, nempe vivendi rationem, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimùm moratus est; et deindè interroget de numero, interrogando poenitentem, quoties circiter peccaverit in die, aut in hebdomada, aut mense, proponens

(1) *Ibid. v.* Sed hæc. *ad III.* — (2) *Ibid. ad II.* — (3) *Lib. 6. n. 607. v.* Sed hæc, *ad IV.*

ei plures numeros, ex. gr. ter, aut quater, octies, vel decies, ut videat cui numero potiùs ille adhæreat; et si pœnitens numero majori adhæret, optimum factu erit, si iterùm interrogetur de numero majori, sed in hoc, ùt benè advertit *Busemb.*, confessarius non sit nimis sollicitus, et anxius ad formandum certum iudicium de numero peccatorum; notet frequentiam in genere, et in confuso iudicium faciat, apprehendendo peccata quotquot sint apud Deum. Aliqui DD. dicunt, circa peccata interna habituatorum, ùt sunt peccata odii, delectationum, et desideriorum pravorum, sufficere plerùmque interrogare de tempore, per quod duravit malus habitus; sed hoc mihi omninò non satisfacit, quia potest esse quòd aliquis sit magis intentus ad externa negotia, aut moretur ubi pauciores sibi occurrent pravarum cogitationum occasiones, alius erit magis aliò animi passione allectus; ideòque opus est interrogationes generales adhibere, de propria applicatione, de loco, de animi inclinatione, etc., ut formet iudicium majoris, vel minoris frequentiaè actuum interiorum. Cæterùm post duas, vel tres interrogationes, non debet angi confessarius, si ei iudicium quòd facit, videtur esse nimis confusum; nam ex conscientia implicatis, et confusis moraliter impossibile est majorem claritatem sperare. V. Regulariter loquendo non expedit ut confessarius reprehendat pœnitentem in confessionis cursu, ne ille exterefactus omittat aliquod peccatum. Nihilominùs expedit aliquando intra confessionem ei proponere malitiam alicujus gravioris peccati, modò statim ei præbeatur animus dicendo: *Sed nunc vis verè vitam mutare? eja ergò, fac ut hæc confessio sit bona: noli timere; dic omnia peccata, quoniam ab omnibus te absolvam.* VI. Oportet animadvertere, quòd licèt confessiones generales sint utilissimæ, nihilominùs confessarius non sit nimis rigorosus ad procurandum ut confessiones præteritæ repetantur (1); nam præsumptio stat pro validitate, quoties error non sit manifestus, ùt ait *Segneri*. Nec lapsus sunt certa indicia confessiones fuisse nullas, præcipuè si per aliquod tempus non ceciderit, aut si antequam caderet, sibi aliquam vim intulerit. Aliud tamen iudicium fieri debet, si pœnitens plerùmque statim ceciderit, post duos nempe vel tres dies à confessione facta, quin aliquo modo tentationi obstiterit; tunc enim videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus.

(1) *Lib. 6. n. 605.*

104. — II. Cùm confessarius peccata audiverit; tenetur judicium facere de gravitate, et numero eorum, quia licèt, ut validè absolvat, sufficiat ut peccatum cognoscat, saltem sub confusa ratione peccati; attamen ut licitè absolvat, debet prudens formare judicium uniuscujusque culpæ, saltem in iis quæ communiter occurrunt; nam alias magis obscuras et minùs usuales sufficit ut audiat et absolvat, ut sunt coram Deo; *Lug. Holzmann, Salm. Spor.*, etc. (1). Advertendum hic sæpius errare confessarios qui judicium certum formare cupiunt de peccati quantitate, utrùm sit grave, aut leve, interrogando pœnitentes rudes, quomodò illud tenebant in conscientia, an tamquam mortale vel veniale. Hi plerùmque respondent ad sortem, et dicunt quod priùs in os venit, et hoc experienciã cognoscitur (sicut mihi mille millies accidit); quòd si mox confessarius iterùm eos interrogat, dicunt totum oppositum. Præterea hic advertendum, quoad pœnitentis obligationem, quòd si ille advertit confessarium non apprehendere gravitatem peccati sui, tenetur illum monitum facere, aliàs ejus confessio erit sacrilega. Et ita pariter si peractã confessione, advertit confessarium non percepisse suum peccatum, debet illud repetere.

105. — III. Confessarius tenetur instruere pœnitentem cùm observat, aut prudenter judicat illum necessaria Fidei, et salutis ignorare. Sufficiet cæteroquin quòd tunc, antequam absolutionem ei impertiatur, eum instruat circa mysteria principalia, prout dictum est *Tom. I. Tr. IV. n. 3*, quia quoad cætera necessaria de præcepto, sufficit quòd pœnitens promittat, quòd se instruere faciat ab aliis, saltem quoad substantiam; et confessarii qui nimiã charitate fervent, non recusant eos docere per seipsos. Debet pariter confessarius instruere pœnitentem circa obligationem compensandi famam, honorem aut bona, occasionem vitandi, scandalum illatum reparandi, correctionem faciendi, aut eleëmosynam largiendi, quando ad id tenetur. Item animadvertendum quòd si pœnitens accedit indispositus, tenetur confessarius (ut docent *Laym. Suar. Busemb. Spor.*, etc.) pro viribus efficere, ut eum disponat ad absolutionem (2). Circa quòd nescio quomodò excusari possint coram Deo illi confessarii desides, qui ubi cognoscunt pœnitentem non esse satis dispositum, eum à se dimittunt, dicendo ei inurbano modo: *Discede hinc, te absolvere non possum, redi inposterùm*. Ego dico cum

(1) N. 627. — (2) *Lib. 6. n. 608. v. Hic adverte.*

AA. citatis, confessarium quoties pœnitentis confessionem suscipit, sub rigorosa charitatis obligatione, quantum facere potest, teneri ut ad absolutionem eum disponat, ei proponendo illius peccatorum turpitudinem, gratiæ divinæ efficaciam, damnationis periculum, et his similes veritates. Nec suâ referre debet quòd in hoc tempus insumatur, et quòd reliqui pœnitentes abibunt, ne tantum expectent. Ille tunc non tenetur aliorum bona prospicere, sed tantum pœnitentis sui: pro hoc dumtaxat illo tempore Deo rationem redditurus est, non pro aliis. Satius est (dicebat *S. Franciscus Xaverius*) paucas confessiones audire. et ritè factas, quàm multas, et temerè properatas, et sine fructu. Quot istorum ad me venerunt indispositi, et ego, divino auxilio opitulante, disponere curavi: et dispositos tutò, et meâ maximâ consolatione absolutos dimisi! Saltem hoc inserviet ut benè instituat ad reddendum dispositum pœnitentem pro tempore, quo redditurus erit.

106. — IV. Cōfessarius tenetur admonere pœnitentem. Sed ut admonitiones convenientes faciat, non debet confessarius tantum cognoscere speciem, et numerum peccatorum; sed etiam eorum originem et causas, ut remediis opportunis occurrat. Nonnulli confessarii interrogant tantum de specie, et numero peccatorum, et nihil ampliùs: si vident pœnitentem dispositum, eum absolvunt; sin minus, quin aliquid eis dicant, statim eum dimittunt, dicendo: *Abi, non possum te absolvere.* Non ita boni confessarii agunt: hi priùs indagare incipiunt originem, et mali gravitatem, interrogando de peccandi consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis, cum quibus, quibus rerum circumstantiis; sic enim meliùs poterunt pœnitentes corripere, eos ad absolutionem disponere, remedia salutaria adjungere.

107. — His interrogationibus adhibitis, et cognitâ morbi origine ac gravitate, confessarius ad debitas animadversiones faciendas procedat. Et quamvis ipse tamquam pater debeat in charitate pœnitentes auscultare, tamen ut medicus tenetur (quantum opus est) eos monere et corrigere, eos præsertim qui multis mortalibus gravati ad Pœnitentiæ Sacramentum rarò accedunt. Et hoc munus etiam adimplere debet, si pœnitens aliquâ illustri fulgeat qualitate, nimirum si fuerit magistratus, princeps, sacerdos, parochus, aut Prælatus, si de aliqua sui muneris omissione sine nimio animi sensu se accusaret. Ait Benedictus XIV. in Bulla *Apostolica Constitutio*, datâ 26 Jun. 1749. §. 22.

confessarii admonitiones concionibus ipsis esse efficaciores; et jure merito, quia concionatorem latent circumstantiæ particulares quæ confessario apertè innotescunt; ideòque multò meliùs poterit debitas adhibere animadversiones, et remedia, quæ morbis expediunt, applicare; et ita etiam confessarius tenetur pœnitentem admonere de aliqua ignorantia culpabili, si quâ laborat, sive hæc sit juris naturalis, sive positivi. Quòd si pœnitens teneretur ignorantia culpabili, tunc si ea esset circa media scitu necessaria ad salutem, aut illa bono communi officiat, omninò debet confessarius ab hac ignorantia eum remove, et veritatem docere, licèt nullus speretur fructus.

108. — Sed quæritur: si ignorantia esset circa alia, et esset invincibilis, adeò ut pœnitens esset in perfecta bona fide, an confessarius eum teneatur admonere de veritate, etiamsi ex admonitione nullus speraretur fructus? Nonnulli DD. affirmant, ut *Adria. Wigandt, Conc.* et alii pauci cum *Eliz. et Gonzalez* (licèt hi excipiunt ignorantiam circa præcepta humana); hanc opinionem novissimè etiam tutatus est pluribus *P. Liberius* de Jesu, Carmelita Excalceatorum, in suis controversiis dogmaticis; sed ex hoc non multùm sibi decoris adeptus est, dùm rationes quibus utitur, sunt nimis tenuis furfuris. Rationes quas adducit sunt eadem, quæ in oppositionem adducuntur. Contrà negat sententia communis et vera, cum *Cano, Suar. Nav. P. Sot. Cord. Luy. Sanch. Lug. Vasq. Castropal. Bonac. Ponc. Coninch. Anacl. Escob. Roncagl. Sporer, Elb. Viva, Holzm. Salm.* et aliis innumeris (1), et in hoc invenio convenire duos alios AA. doctrinæ valdè rigidioris, nempe *Habert* et *Antoine*; loquendo *Habert* de matrimonio irrito ex aliquo occulto impedimento, dicit: *Si adversum malum occultum, et invincibiliter ignoratum nullum appareat remedium, et gravia incommoda prævideantur, dissimulandum est (à confessario) impedimentum, et conjux in bona fide relinquenda.* Et pariter *Antoine* sic scribit: *Si probabile periculum sit, ne ex admonitione sequatur peccatum formale pœnitentis, vel grave scandalum, etc., differenda est monitio, et petenda dispensatio* (2).

109. — Auctores nostræ sententiæ probant 1. afferendo textum *S. Augustini* relatum in *can. Si quis, de Pœnit. d. 7.* Sed cæteròquin satis congruè hunc textum solvit *Conc.*, quia reverà ad rem non facit; potiùs facit auctoritas *S. Bernardi* (*Serm. 41. in Cant.*) qui dicit: *Mallet ali-*

(1) *Lib. 6 n. 610.* — (2) *Ibid.*

quando tacuisse, et dissimulasse, quòd agi perperàm deprehendi, quàm ad tantam reprehendisse perniciem. Probant 2. ex c. Quia circa, de Consan. ubi interrogatus Innoc. III. circa aliquos qui matrimonio copulati erant ex dispensatione subreptitia, respondit ad Episcopum: *Dissimulare poteris, cum ex separatione grave videas scandalum imminere.* Sed hæc Decretalis ne satis quidem probat, dùm dubium est an Pontifex ita respondendo voluisset forsàn dispensare super impedimento, ut dicitur, in radice matrimonii. Cæterùm præfata sententia probatur ratione validissimâ, nempe ex duobus malis minus permittendum est, ut vitetur majus; quare confessarius in nostro casu tacere debet et permittere pœnitentem (in bona fide constitutum) in peccato materiali versari, ut ipse à formali liberetur, veritatem rei non aperiendo; nam Deus tantùm peccatum formale punit, et ab hoc solo se offensum iri declarat; ideòque per consequens dicimus confessarium aliter agendo peccare. Sed hæc ratio meliùs expendetur in responsionibus ad ea quæ opponuntur.

110. — Objiciunt 1. illud Ezechiëlis: *Si me dicente ad impium: impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius à via sua: impius in impietate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 33. 8. Sed quis non videt hic loqui de impio, qui est in mala fide, et quem tenetur utique confessarius omni casu corripere, ut resipiscat? Et sic intelligendî sunt alii textus Scripturæ, ac sanctorum Patrum, qui in contrarium afferuntur. Objiciunt 2. *cap. Qui scandalizaverit* 3. de Reg. Jur. ubi dicitur; *Utilius scandalum nasci permittitur quàm veritas relinquatur.* Sed ut responsio intelligatur, oportet percipere casum, de quo loquebatur Beda, auctor hujus textûs. Beda (referente Glossâ) loquebatur de eo, de quo dixit Jesus Pharisæis: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore,* etc. Matth 15. 11. Itaque loquendo Beda de scandalo mero Pharisæico, ideò dicit, quòd licèt Pharisæi scandalizarentur, vel, ut meliùs dicam, admirarentur doctrinam tamquam laxam, utiliùs erat hoc scandalum permittere, quàm veritatis expositionem omittere. Quid ergò ad nostrum casum? Opponunt 3. quamdam doctrinam S. Thomæ (1); sed ibi loquitur clarè S. Doctor: dicit enim veritatem non lædi, cùm à concionatore, cujus munus est eam patefacere, veritas tacetur, sed cùm illa mutilatur, nempe cùm pars ejus patet, et

(1) In 4. d. 38. q. 2. a. 4. q. 1. ad 3.

pars tacetur, adeò ut ex taciturnitate partis aliquis error in alios diffunditur; v. gr. si concionator diceret, in tertio gradu non licere contrahere matrimonium inter propinquos, auditores inducerentur ad credendum, utique licere in quarto. Opponunt 4. et dicunt, confessarii esse etiam munus doctoris, ideòque illum teneri ad docendum veritatem. Respondetur quòd confessarius non tantum doctoris, sed etiam medici fungitur officio; undè cum observat medicinam, nempe admonitionem in pœnitentis perniciem redundare, debet ab illa abstinere. Et licèt sit doctor, quia tamen munus est charitatis, à Redemptore institutum dumtaxat in bonum animarum, debet ille utique veritatem docere, sed circa illa dumtaxat quæ pœnitenti prosunt, non autem circa ea quæ nocitura sunt, ideoque ait S. Thomas (1), loquendo de eo qui docendi officium habet: *Contrarium veritati non doceat, sed veritatem (nota) secundum congruentiam temporis et personarum proponat ille, cui incumbit officium docendi.*

111. — Opponunt 5. hujusmodi ignorantiam pœnitentis in hoc casu non esse invincibilem, sed vincibilem, dum ipsi patet via ad veritatem cognoscendam; et si vincibilis est, est etiam culpabilis. Sed respondetur quòd, ignorantia ut sit culpabilis in aliquo, non sufficit quòd cognoscere possit veritatem, sed necesse est ut ei superveniat dubium præcepti, aliàs ignorantia ejus ex necessitate invincibilis est. Certum autem est, ut docet S. Thomas (2), eam esse ignorantiam invincibilem, *quæ studio superari non potest.* Quo igitur studio superare quis potest ignorantiam suam, si nulla de illa dubitatio aut saltem de obligatione quam habet illam vincendi, venit ei in mentem? Propterea dicunt DD. S. Antonin. Silv. Gers. Suar. Cajet. Navar. Armil. Castrop. San. Vasq. Sayr. Salm., etc. (3) ad constituendam ignorantiam vincibilem, opus esse ut homo advertat præceptum, aut saltem obligationem ad illud advertendi; nam sicut ad hoc ut ad legis observantiam teneamur, necesse est ut lex sit nobis intimata; ita, ut teneamur ad advertendum ad legem, opus est ut nobis indicetur talis obligatio per ejus notitiam, aut saltem per dubitationem de illa; quare scitè concludit loquendo de hoc puncto P. Segneri (4): *Tunc ignorantia invincibilis est, cum personæ principium dubitandi non suboritur, et consequenter nullus ei modus offertur, ut errorem suum vincat.*

112. — Opponunt 6. et dicunt sic: Si talis pœnitens ad

(1) 2. 2. q. 43. a 7. ad. 2. — (2) 1. 2. q. 76. a. 2. (3) n. 1. v. 2. — (4) Lib. 1. Confess. Instruct. c. 7.

monitus esset, jam ille peccaret, cùm tunc reus jam fieret ignorantiae vincibilis; ergo est semper indispositus ad absolutionem. Sed hoc argumentum, cui valdè innituntur adversarii, mihi videtur parùm sapientiæ eorum dignum. Quis non videt fallaciam quæ involvitur, et responsionem claram quæ patet? In pœnitente non est necessaria dispositio interpretativa, nempe quòd si ille in tali aut tali rerum conflictu reperiretur, non peccaret, quando ad id omninò non reflectit; quia aliter, si confessarii præsumere vellent interpretativas pœnitentium indispositiones, paucos possent absolvere, dùm possent judicare quòd multi eorum, quibus filii interfecti fuissent, certè odio moverentur in interfectores; si à tyrannis essent tormentis tentati, à Fide deficerent; sufficit ergò in pœnitente eam dispositionem actualem invenire, ut absolvat; nempe ut hic et nunc statuatur amplius non peccare in quocumque casu generali. Et sic sufficit pro absolutione, quòd pœnitens *hic et nunc* sit dispositus per voluntatem actualem; nec obstat quòd esset indispositus per interpretativam, nempe si à confessario monitus esset. Itaque (concludamus) ex his oppositionibus dignoscitur quàm persistere nequeat sententia opposita. Sicut etiam (mihi lubet aliquantulum ad alia divertere) sunt labantes quædam aliæ opiniones quas hodie tutari volunt nonnulli, qui jactare videntur rigidioris esse nominis. Cæteroquin commendare mihi nunquam fuit animus eos auctores, qui, ut animarum bono consulere, conscientiarum habenas nimis laxare voluerunt; quia licèt Dominus velit omnes homines salvos fieri, sed vult ut per legum suarum observantiam salventur. At nec laudare possum alios, qui nimis conscientias coërcere quærunt, assignando multas leges quibus Deus noluit, aut saltem non manifestavit se velle nos teneri. Nescio utrum scrupuli sit faciendum animas ad certas nimis rigidas opiniones adstringere cum periculo earum totalis perniciæ, quàm approbare opiniones nimis benignas. Quod pejus est, nunc temporis tot libri contumeliis, acerrimis objurgationibus, et satyricis aculeis suffulti circumferri conspiciuntur vicissim inter auctores tam rigidæ quàm benignæ sententiæ; quod quidem scandalo toti Ecclesiæ est, et obloquendi inimicis materiam offert. Et pariter pro veritate in propatulo collocanda, eam magis dubiis et tenebris offundit: dùm ex hujusmodi dicendi ratione quilibet facilè existimat non rationem, sed potiùs susceptæ sententiæ adhæSIONem, ac concitati animi æstum eos ad sic

scribendum compulsisse, et qui ex adhæsione et animi æstu loquitur, nec sibi fidem assequitur, nec alios persuadet.

113. — Sed undè discessimus revertamur. Ex præfata communi sententia infertur 1. cum *Laym. Sanch. Lugo, Castrop. Salm. Holzm. Hab. Antoine*, et aliis communiter, quòd in casu quo pœnitens contraxisset matrimonium invalidum ab aliquod occultum impedimentum, et in bona fide versaretur; et contra esset periculum infamiæ, scandali, aut incontinentiæ, si ei aperiretur nullitas; tunc confessarius debet eum relinquere in bona fide, usquedùm ei dispensatio impetrabitur; excepto, si dispensatio statim et faciliter obtineri possit à Papa; aut saltem ab Episcopo juxta communem, et valdè probabilem sententiam (1); quòd si non vacat tempus adeundi Papam, et aliter imminet periculum scandali, aut infamiæ, potest Episcopus dispensare in impedimentis etiam dirimentibus post matrimonium contractum; vide *Tract. XX. de privil. n. 36*. Sed in eo casu, quo si fortè uxor se accusat negasse debitum viro, quæritur an possit confessarius eam obligare ad illud reddendum? Multi affirmant, ut *Lugo, Sanch. Coninch. Cordub. Henriq. Escob. Lod. Rroix*, etc.; quia tunc illa (utì dicunt), cùm putet matrimonium esse validum, tenetur sequi dictamen conscientiæ. Sed in hoc tutior mihi videtur opinio *Soti, Hurtad. et Bonac.* quòd tunc confessarius ei dicat in genere, quòd illa nequit absolvi, si obligationi suæ satisfacere rēnuit; et quòd jam scitur mulierem teneri suo viro debitum reddere (2). Sed si matrimonium contractum non est, sed jamjam contrahendum est nulliter, quæritur an confessarius debeat monere pœnitentem de nullitate, cùm animadvertit monitionem profuturam non fore? Alii absolutè negant; alii affirmant; sed probabiliùs *Castrop. et Salm.* dicunt regulariter loquendo in eo casu faciendam esse monitionem, præsertim si impedimentum oritur ex consanguinitate, quia tunc nulla subest infamia in suspendendis nuptiis; tantò magis quòd hujusmodi impedimentum facilè postea potest cognosci ab ipsismet sponsis, et tunc peccatum eorum facilè ex materiali potest fieri formale. Quare in tali casu, cùm semper subsit aliqua spes fore ut prosit, non est omittenda correctio; ita *Layman*; sed si omninò desperetur fructus, dicunt iidem citati AA. *Laym. Castr. Salm. cùm Croix, et Aver.* quòd confessarius tacere debeat usquedùm impetrabit dispensationem (3).

(1) *Lib. 6. n. 612.* — (2) *n. 611.* — (3) *Lib. 6. n. 612.*

114. — Sed hîc congruit loqui de quodam casu facilis eventûs. et difficilis resolutionis. Quomodò se gerere debeat confessarius, si sponsis in ecclesia jam paratis pro celebrandis nuptiis, alter eorum in confessione aperiret impedimentum occultum, et non possit sine infamia, aut scandalo matrimonium differre? Nonnulli DD. suadent ut pœnitens voveat castitatem, saltem ad tempus, ut possit in differendo matrimonio hæc causa proponi. Sed meritò dicunt *Ronc.* et *Instructor pro nov. Confes.* quòd hoc remedium periculo non caret, quia faciliter potest pro prætextu cognosci. Alii autem tenent permittendum esse tale matrimonium, quin aliquid ei dicatur. Sed valdè probabiliter, et communissimè docent *Suar. Pignat. Cab. Sanch. Bonac. Roncag. Salmant.*, etc. cum Benedicto XIV. (1) quòd in tali casu, et in tali rerum angustia potest dispensare Episcopus; et hanc facultatem dicunt *Sanch. Ronc. Castrop. Coninch. Vasq. Val. Salm. Elbel*, etc. Episcopum posse aliis etiam delegare, etiam generaliter, dum annexa est officio episcopali. Imò dicunt, et quidem non sine fundamento, *Ronc.* et *Instructor*, etc. præfatus cum auctoritate *Pignat.* quòd, cum in hoc casu lex impedimenti reddatur nocivà, posset parochus aut alter confessarius prudens declarare talem legem non obligare. Advertunt tamen pro majori securitate, et etiam pro reverentia erga Ecclesiæ leges recurri debere ad sacram Pœnitentiariam, ut ab ea obtineatur dispensatio (2).

115. — Hinc infertur 2. cum *Cano*, *Suar. Ponc. Laym. Sanch. Lugo. Vasq. Coninch. Ronc. Salm.* et aliis etiam communiter, quòd ubi omninò desperetur fructus, omitenda est etiam admonitio alicujus restitutionis faciendæ, quia evitari debet priùs damnum spirituale proximi, quàm temporale alterius. Et idem dicunt *Suar. Lugo, Sanch. Laym. Ronc. Vasq. Castrop. Salm.* si ex admonitione timeantur scandala, infamiæ, aut rixæ; quia semper meliùs est malum formale avertere, quàm materiale (3). Animadvertunt tamen *Ronc.* et *Viva* cum *Laym.* non ita facilè judicari debere pœnitentem cognitâ veritate parere nolle; et si non statim, saltem cum animi commotio sedata erit. Imò ait *Lugo* cum aliis, admonitionem non esse omittendam, licèt scandalo futura sit, cum spes fulget scandalum brevi fore ut cesset: sed hæc doctrina intelligi debet sicut docet Benedictus XIV, nempe quòd locum habeat in casu quo,

(1) *De Synod. l. 9. c. 2. n. 2.* — (2) *Lib. 6. n. 613.* — (3) *n. 614. v. Infertur II. et III.*

lacentē confessario, peccator in malo obfirmaretur, cum scandalo aliorum; aut cum pœnitens in proxima versatur occasione peccatorum saltem cogitationis, quibus olim solitus fuit assentiri (1). Animadvertunt contra *Lugo*, *Tamb.* et *Busemb.* confessarium posse relinquere pœnitentem in bona fide, et differre ad tempus opportunius admonitionem, si pro tunc timet, ne æquo animo eam haud ferat (2).

116. — In duobus tamen casibus omittendum non est quin confessarius veritatem pœnitenti aperiat. Primus, quando pœnitens eum interrogaret: quia tunc procul dubio confessarius veritatem ei aperire debet, dum non esset amplius nunc invincibilis ignorantia (3). Secundus casus est, cum ex ejus ignorantia damnum spirituale communitati futurum fuisset, ut docent communiter *Lugo*, *Busemb.* *Avers.* *Salm.* *Dicast.*, etc. (4), quia tunc confessarius admonere tenetur pœnitentem, licet admonitio pro tunc ei scandalo sit; nam talis pœnitens, cum videat à nemine se absolvi, nisi respiscat, speratur fore ut saltem intra aliquod temporis emendetur; contra non obstat quod pro illo tunc admonitio sit ei occasio ruinæ, quia confessarius est minister non tantum constitutus pro consulendo bono particularium pœnitentium, sed etiam pro bono totius reipublicæ christianæ, ideòque præferre debet bonum commune bono privato sui pœnitentis. Omnino igitur à confessario admonendi sunt principes, gubernatores, Prælati, parochi, et confessarii, qui officio suo desunt, sive injustè administrando justitiam, sive eligendo indignos ministros, sive conferendo officia aut beneficia indignis, sive in vana impendendo fructus suorum beneficiorum cum scandalo aliorum, aut indebitè Sacramenta ministrando; nam ignorantia istorum difficulter erit invincibilis, et licet esset invincibilis, semper damnum afferret communitati, saltem ob scandalum, dum alii de facili putant esse licitum quod vident factitari à Superioribus. Et sicut docet *Benedictus XIV.* in laudata *Bulla Apostolica*, idem practicandum est cum iis qui Sacramenta frequentant, ne alii ab eis pravum sumant exemplum (5). Quid autem faciendum sit à confessario in dubio, utrum correctio profutura, an nocitura sit; dicunt *Lugo*, *Dicast.* *Salm.*, etc. turæ librandum esse timorem damni et spem utilitatis, et eligendum quod videtur præ-

(1) N. 616. v. Excip. III. — (2) n. 609. 9. v. Si etiam. — (3) n. 616. v. Excip. II. — (4) n. 615. — (5) *Lib.* 6. n. 615. r. Excipe tamen.

ponderantius. Cæterùm, regulariter loquendo, in dubio semper potiùs vitanda sunt mala formalia, quàm materialia; idem *Conc.* loquendo de correctione fraterna, dicit quòd in dubio utrùm illa profutura an obfutura sit, omitenda illa est, quia imprudenter operatur (sic ille scribit) qui dubitando, se conjicit in periculum causæ esse proximo alicujus peccati (1).

117. — V. Confessarius tenetur absolvere pœnitentem cùm est dispositus. Circa hanc dispositionem multa advertenda sunt: 1. Perpaucos esse pœnitentes, præsertim rudes, qui præposito actu doloris ad confitendum accedant. Nonnulli confessarii putant satis suo muneri fecisse, si dumtaxat hujusmodi pœnitentes sequenti modo interrogent: *Eja, postulasne à Deo veniam de omnibus his?* (quod reverà non est verus actus doloris): *Te pœnitet ex corde omnium peccatorum?* et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Aliud sanè est bonorum confessariorum institutum; hi enim inprimis elaborant, ut pœnitentes (sermo est de iis qui lethalibus tenentur) verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant, et priùs per attritionis actum eos præparent, v. gr. *Fili mi, ubi nunc esse deberes in æternum? in inferno. In illo igne semper cruciandus esses.... Nec tibi ulla spes ampliùs restaret, ut te illinc eripere posses... Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus, à Deo rejectus per totam æternitatem... Igitur tene pœnitet Deum offendisse, propter infernum quem meruisti?* Advertendum hic est non fieri actum attritionis, si quis diceret, se pœnitere peccati commissi, quia meruit infernum, sed opus habet ut dicat se pœnitere offendisse Deum, propter quod meruit infernum. Postea curet ut eliciatur actus contritionis hoc modo: *Fili mi, quid egisti? peccasti in Deum summum et infinitè bonum: nullam illius rationem habuisti: avertisti faciem tuam ab eo: projecisti eum post tergum tuum: contempsisti amicitiam, et gratiam ejus: eja ergo, quia offendisti Deum, bonitatem infinitam, nunc ex toto corde te pœniteat. Detestare, et odio habe super omnia mala omnes injurias, quibus immeritò Deum tam bonum affecisti: nonne jam promptus es millies mori, potiùs quàm hæc in posterùm committere?* Advertendum 2. regulariter loquendo teneri confessarium absolvere dispositos, sed posse etiam absolutionem differre eis, cùm cognoscit id expedire, ut docent communiter DD. (2). An autem hoc expediat nec ne facere sine pœnitentis consensu,

(1) N. 616. v. Utrùm. — (2) Lib. 6. n. 462.

vide dicenda *Tom. III. Tract. ult. punct. II.* cùm sermo erit de recidivis. Advertendum 3. confessarium certum fieri debere de pœnitentis dispositione, ut possit eum absolvere, dùm actus pœnitentis (in quibus consistit dispositio) sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ; sed sicut in cæteris Sacramentis, quia materia est physica, physica debet esse etiam certitudo; ita in hoc quia materia est moralis (cùm sit interna, adeòque parùm sensibus perceptibilis), sufficit certitudo moralis; juxta regulam *S. Thom.* (1), qui dicit: *Certitudo non est similiter quærenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum*; undè sufficit confessario pro absolutione imperitienda, *ut prudens judicium probabile de pœnitentis dispositione habeat*, ut scribit *Instructor Confess. nov.* (2), quin obstet aliqua prudens suspicio in contrarium de dispositione. Idem dicunt *P. Card. P. Mazzot.* et *P. Suar.* qui ita scribit: *Sufficit ut confessarius prudenter et probabiliter judicet pœnitentem esse dispositum.* Idem docet *Catech. rom. de (Pœnit. part. 2. n. 82. v. nota.)*: *Si auditâ confessione (sacerdos) judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem pœnitenti omninò defuisse, absolvi poterit.* Itaque juxta Catechismum absolvere potest pœnitentem, quoties non judicat ei omninò defuisse dolorem; nam cæteroquin præsumendus est adfuisse in pœnitente qui jam confessus est (3).

118. — Hic occurrit loqui de illa magna quæstione hodie adeò controversa inter DD., an confessarius possit et debeat absolvere eum qui vult sequi aliquam opinionem quam probabilem judicat, licèt confessarius uti talem non habeat? Si pœnitens est indoctus, adeò ut nequeat sibi formare conscientiam rectam ex probabilitate illius opinionis, certum est tunc eum non posse absolvi. Sed dubium restat, cùm pœnitens est capax sibi formandi conscientiam rectam, an possit et debeat confessarius eum absolvere? Negant *Fagn. Elizar. Antoine* et alii rigidioris sententiæ fautores, dicentes in Sacramento Pœnitentiæ confessarium esse judicem et pœnitentem debere stare iudicio iudicis sui. Sed sententia communis docet confessarium in eo casu posse et debere absolvere sub gravi, (saltem si confessio facta fuerit de materia gravi, dùm dicunt *Suar. Sanch.*, etc. (4) negare absolutionem de materia levi non excedere veniale). *Ita Navar. Sot. Azor. Suar. Salm. Med.*

(1) 2. 2. q. 47. a. 9. ad 2. — (2) *Instruct. p. 1. c. 15. n. 360.* — (3) *Lib. 6. n. 57. et 461.* — (4) n. 604.

Castrop. Valent. Sayr. Vasquez, Laym. Roncagl., etc., et in hoc consentiunt etiam AA. probabilioristæ, ut Wig. Pontas, Victoria, et Cabass; sed præcipuè notandum est quod docent Navar. et S. Antoninus. Navar. (1) dicit: *Si sint contrariæ doctorum opiniones....; et (confessarius) credit evidenti se textu vel ratione niti, pœnitentem dubiâ, non debet eum absolvere; at si confessarius non adeo forti ratione utitur, vel pœnitens utitur pari vel ferè pari, et habeat aliquem pro se doctorem clarum, poterit eum absolvere, ut post Adrianum tenuimus c. Si quis. d. 7. n. 66.* Audiamus etiam S. Antoninum (2): *Caveat confessor, ne sit præceps ad dandam sententiam de mortali, quando non est certus, et clarus; ubi.... sunt variæ opiniones... consulat quod tutius est; non tamen contemnet contrariam opinionem tenentem, ne propter hoc (nota) deneget absolutionem.* Excipit tamen postea: *Si autem omninò conscientia confessarii dictaret illud esse mortale, quod est idem quod dicit etiam Navar., et quod nos pariter hîc infra advertemus, nempe cùm pœnitentis opinio confessario omninò falsa videtur.* Confirmat postea alibi (3) S. Antoninus quod suprâ retulimus, dicendo: *Si credit (confessarius) quòd sit peccatum, debet ei conscientiam facere: sed dato quòd ille non vellet cognoscere illud esse peccatum, nihilominus tenetur eum absolvere, hoc cum grano salis intelligendum est, nempe cùm pœnitens tenet suam opinionem fundamento valido esse innixam; et contrâ confessarius eam pro omninò falsa (ut dictum est) non habet; dùm subjungit immediate post Sanctus: Quia ex ratione et non ex protervia hæc opinio est.* Idem dicit S. Raymundus (4): *Unum tamen consulo, quòd non sis nimis pronus judicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam scripturam..., aliàs possent induci homines in desperationem.* Idem quoque dicit doctissimus Sylvius (5) loquendo de superfluo mulierum ornatu: *Si confessarii non possint clarè percipere, utrùm sibi sit mortale aut veniale, persuadeant ut pœnitens abstineat: si tamen nolit, non ei faciant conscientiam de mortali, neque absolutionem negent.* En quomodò loquuntur uniformiter auctores tam antiqui quàm moderni.

119. — Ratio autem est hujus sententiæ, quia pœnitens, factâ confessione, habet jus certum et strictum ad absolutionem; undè confessarius gravem illi irrogat inju-

(1) *Man. cap. 26. n. 4.* — (2) *Part. 5. tit. 17. cap. 16. §. 2.* — (3) *part. 5. tit. 10. cap. 20. in fin.* — (4) *Lib. 5. de Pœnit. §. 21.* — (5) *2. 2. q. 154. art. 2.*

riam, quoties pœnitentis opinio ei non videtur omninò falsa. Nec valet dicere quòd pœnitens non est dispositus, cùm sequi renuit confessarii iudicium; nam responderetur quòd confessarius non est iudex opinionum, quas pœnitens sequi teneatur, sed tantùm dispositionis sui pœnitentis, ut patet ex Trid. sess. 14. c. 5. ubi dicitur: Sacerdotes in hoc tantùm sunt iudices, in quantum ipsi, auditis peccatis, debent impertiri aut denegare absolutionem pœnitentibus pro eorum dispositione, et eis pro modo culpæ pœnitentiam imponere: *Dominus noster J. C.. sacerdotes...* (verba Trident.) *reliquit præsides, et iudices ad quos omnia mortalia crimina deferantur... qui, pro potestate clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiant*, etc. Itaque in quantum ad opiniones quæ ad pœnitentis dispositionem pertinent, aut in quantum ad administrationem Sacramenti (v. g. si confessarius iudicaret se jurisdictione carere super tali casu) pœnitens confessarii iudicio stare debet. Sed in quantum ad alias opiniones quæ respiciunt pœnitentium obligationes generales, confessarius non est iudex, nec potest eum obligare ad suas sequendas opiniones, imponendo ei tot novas leges ad quas priùs non tenebatur, adeò ut ad recipiendam absolutionem teneatur à suis desciscere opinionibus ipsi probabilibus visis, et fortè probabilioribus. Contrà pœnitens cùm peccata sua confessus sit, et cùm habeat sufficiens fundamentum, quo licitè possit aliquam sententiam sequi, non potest confessarius sine gravi injustitia absolutionem ei denegare, nisi cùm illam opinionem omninò falsam habet (1). Dico *omninò falsam*, nam licèt dicant *Lugo, Laym. Sanch. et Croix* cum *Suar. et Carden.* confessarium teneri absolvere pœnitentem, licèt illius opinionem pro falsa haberet: et idem dicit *Sotus*: *Quis sacerdos existimet opinionem esse falsam, non tamen inde existimare debet sibi non licere ipsum absolvere, siquidem propter probabilitatem excusabitur ille à culpa.* Nihilominus hoc intelligendum est, ut scitè explicat *Sanch.*, cùm illa opinio jam probabilis existimata esset inter DD. auctoritatis probatæ, et aliquam (addendum est) virisimilitudinem haberet; non verò quando confessarius ex opinione propria aliquod haberet principium, cui sibi videretur nulla responsio congrua dari posse, et contrà cognosceret pœnitentis opinionem (licèt ab aliquibus DD. defensam) falso fundamento inniti; quia tunc dico cum *Nav. et S. Antonin.* (verba

(1) Lib. 6. n. 604.

cujus superius relata sunt) non posse, nec debere absolvi pœnitentem, nisi à sua opinione descisceret. Certum in controversia præfata, ubi altera sententia (sed paucorum) affirmat peccare confessarium, si absolvit pœnitentem sequi volentem opinionem, quæ non videtur omninò falsa, adversus suam: altera verò (quæ communis, et tantorum AA. modernorum, et antiquorum) dicit peccare, si non absolvit, ubi ejus confessionem suscepit; non video quomodò tutus esse possit in conscientia ille confessarius, qui ei denegat absolutionem (1). Quomodò autem se gerere debeat confessarius in opinionum delectu, et an uti debeat rigidioribus, an benignioribus, vide dicenda *Tom. III. Append. IV. §. I.* ubi loquar de prudentia confessarii.

120. — Præterea quæritur, quomodò se gerere debeat confessarius cum pœnitente, cujus suspicatur, aut scit aliquod peccatum, quod ipse negat, aut reticet? distinguendum est: Si extra confessionem, et ex scientia propria, certum est quòd tunc non potest eum absolvere; modò prudens non adsit dubium, quòd pœnitens de illo jam apud alium confessus sit. Si verò dumtaxat suspicatur, aut scit ex aliorum relatione, et pœnitens illud negat, plerumque non potest ei tunc denegari absolutio, dum in hoc foro credendum est pœnitenti tam pro, quàm contrà. Attamen abs re non est quod dicit *Elbel*, quòd si confessarius audiret peccatum à testibus ita fide dignis, ut moraliter fieret certus, non debet ei absolutio impertiri; quia regulæ locus est in dubio, non autem in facto moraliter certo (2). Si verò confessarius cognovit peccatum ex confessione complicitis, tunc prius non potest utique de eo in particulari interrogare pœnitentem, nisi specialem obtinisset licentiam ab altero complice; sed tantum potest interrogare in generali: et pariter in hoc non debet esse multus in repetendis interrogationibus, ut revelationis periculum vitet. Nihilominus probabiliter dicunt *Laym. Silvest. Navar. Spor. et Holzm.* quòd potest aliquam interrogationem etiam particularem adhibere, si illa communiter fieri solet personis talis conditionis, v. g. sponsis, si inter se nimis confidenter usi sint: servis, si aliquid dominos defraudaverint, etc. Sed difficultas major extat, an absolvendus sit complex, cum, his adhibitis diligentis, ille tacet peccatum? Alii affirmant absolvendum esse conditionatè; alii absolutè; sed melius sentiunt *Suar. Dicast. Croix, Viva*, etc., quòd cum confessarius moraliter certus

(1) *Lib. 6. n. 604. r.* Cæterum. — (2) *n. 651.*

est pœnitentem sacrilegè occultare peccatum, non potest eum absolvere, sed voce submissâ debet aliquam recitare orationem ad occultandam absolutionem, quam ei denegat (1). Quoad autem obligationem quâ tenetur confessarius esse in gratia, cùm audit confessiones, aut saltem cùm impertitur absolutionem; et an excusetur in casu extremæ necessitatis; vide dicenda in *Tom. III. Append. III. de examine Ordinand. n. 11.*

121. — VI. Tenetur confessarius ad corrigendos errores, quos in excipiendis confessionibus commisit, aut in danda absolutione. Sed hic plura distinguenda sunt: I. Cùm erravit circa Sacramenti valorem, verb. gr. si absolutionem non protulit, aut si eam carens jurisdictione impertitus est: tunc, si ille erravit inculpabiliter, non tenetur cum suo dedecore, aut alio gravi incommodo pœnitentem admonere: quia talis admonitio est solius charitatis, quæ ad tantum non obligat; ita commun. *Lugo, Salm. Spor. Viva, Elbel*, et alii. Excipitur si talis confessarius esset parochus, aut si pœnitens esset in mortis articulo, aut in gravi periculo non ampliùs confitendi constitutus. Si verò erravit ex culpa gravi; quæritur 1. an teneatur ad admonitionem cum suo gravi incommodo? Negant *Bonac. Suar. S. Anton. Navar.*; et id probabile vocant *Salmant. cum Vasquèz, Hurtad.*, etc., tùm quia (dicunt) non videtur tale præceptum cum tanto onere obligare, cùm hoc Sacramentum à sola charitate administratur; tùm quia sicut pœnitens non teneretur cum tali gravamine ad confitendum; ita nec confessarius tenetur ad efficiendum ut talis confessio valida fiat. Sed rectè affirmant *Lugo, Tamb. Leand. Sporer, Viva, et Elbel*, quia licèt confessarius ex charitate confessiones excipiat, semper tamen ac eas suscipit, tenetur postea ex quasi-contractu ad Sacramentum administrandum modo quo debet; et sic 1. ratiõni satisficit. Respondetur ad 2. aliam esse pœnitentis obligationem ab illa confessarii; quia si pœnitens nosset suæ confessionis invaliditatem, poterit saltem postea per contritionem, aut per aliam confessionem malo suo prospicere, sed confessarius non potest eum in ignorantia relinquere cum tanto illius damno (2).

122. — II. Si confessarius suâ gravi culpâ pœnitentem à restitutione deobligavit, tunc tenetur etiam cum suo gravi incommodo (licentiâ tamen ab eo petitâ) eum admonere; aliàs admonitionem omittendo tenetur ipse ad

1) *Lib. 6. n. 651. v. Si autem.*—(2) *Lib. 6. n. 619.*

restitutionem: intelligitur, quoties si tempore debito pœnitentem admonuisset, jam ille restituisset; ita communiter *Lugo, Castrop. Bonac. Viva, Spor. Salm. Elbel*, etc. Et scitè hîc advertunt *Lugo, Bonac. et Busemb.* quòd si confessarius jam admonuisset pœnitentem priusquam impotens fieret, tunc licèt pœnitens non restituisset, ad nihil ipse tenetur; quia cùm consilium sit merè auctoritativum, sufficit quòd confessarius tempore opportuno illud revocet, juxta dicta *Tom. I. Tract. X. num. 44. et seq.* Dicitur *tempore opportuno*, quia si forlè pœnitens tempore confessionis erat dispositus ad restitutionem, si admonitus fuisset, et postea factâ sibi admonitione nollet restituere, tunc rectè dicit *de Lugo* (quidquid *Antoine* dicat) confessarium ipsum teneri ad restituendum, quia tunc ejus consilium jam fuit proxima causa damni (1). Sin autem confessarius graviter in hoc non peccavit, non tenetur ad admonitionem cum suo gravi incommodo, sed tenetur cum aliquo levi incommodo, ut dicunt *Lug. Spor. Elb.*, etc., quia quilibet tenetur cum levi suo incommodo ad reparandum, cùm potest, damnum grave proximi (2). Sed hinc quæritur an confessarius in tali casu admonitionem omittendo teneatur ad restituendum? Negant *Sanch. Cajet. et Navar.* dicentes quòd cùm confessarius non læserit justitiam, non tenetur ad admonitionem, nisi ex charitate quæ non obligat ad restitutionem. Sed communiùs, et meliùs affirmant *Lug. Spor. Salm. Elb. Viva, Arriag.*, etc., quia ejus consilium (licèt inculpabiliter datum) prosequitur ad influendum in creditoris damnum: quare cognito errore, tenetur ex justitia ad removendam damni causam (3); non secùs ac si quis sine culpa gravi incendisset domum proximi, si potest sine gravi incommodo, tenetur ex justitia ad illum extinguendum, sicut communiter dicunt *Less. Laym. Lugo, Bonac. Trul. Salm.*, etc. (4).

123. — III. Quando autem confessarius non jam deobligasset pœnitentem à restitutione, sed tantum omisisset eum admonere, tunc si inculpabiliter omisit, non tenetur cum gravi suo incommodo ad eum admonendum, ut suprâ dictum est; sed tenetur etiam cum aliquo incommodo, ut dicunt DD. cum aliquali proportionè ad reparandum damnum creditoris. Si verò neglexit suâ culpâ gravi, tunc tenebitur admonere eum majori incommodo. Sed hîc præterea quæritur an confessarius, omissâ debitâ

(1) *N. 621. v.* Sed quid. — (2) *Ibid. v. Hoc.* — (3) *Lib. 6. n. 621. v.* An autem. (4) *Lib. 5. n. 994.*

correctione, teneatur ad restitutionem? Multi multa sentiunt. Alii affirmant de quolibet confessario, quia quilibet confessarius (ut dicunt) tenetur ex officio pœnitentem docere de sua obligatione; ita *Mol. Vasq. Navar. Sayr. Filliuc.*, etc.; alii affirmant de solo parcho, ut *Less. et Antoine*, affirmando quòd parochus tenetur impedire quominus subditi sui damnum aliis inferant. Sed universaliter id negat sententia communissima et verior cum *Cabass. Azor. Suar. Castrop. Sanch. Bonac. Lug. Valenz. Coninch. Salm. Croix*, etc.; et ratio est quia confessarius licet teneatur ad monendum pœnitentem, sed ex sola charitate, non ex justitia; et loquendo etiam de parcho, licet ex justitia teneatur ad monendos subditos, talis obligatio tamen versatur tantum circa eorum bona spiritualia, non autem temporalia. Et hoc currit, etiamsi confessarius aut parochus ex malitia admonitionem negligeret, ne pœnitens restitueret; quia tunc deest influxus positivus in alterius damnum, qui semper requiritur pro restitutionis obligatione, sicut dictum est *Tom. I Tract. X. n. 36. (1)*.

124. — Restat hic discutienda magna quæstio, quæ inter DD. agitur, nempe an confessarius, non petitâ licentiâ pœnitentis, possit eum admonere de errore in confessione commisso. Nos paucis expediemur, affirmant universaliter loquendo *Suar. Petrocor. et Spor.*, et probabile putant *Laym. Castrop. Bonac. Salm.*, etc., dum dicunt hanc admonitionem spectare ad perficiendam confessionem, quæ imperfecta relicta est. Sed nos dicimus cum sententia communissima, quòd distinguendum est: Si iudicium completum est per absolutionis collationem, tunc non potest confessarius sine pœnitentis licentiâ cum eo de errore colloqui; quia talis admonitio esset exprobratio illius peccati, quæ confessionem redderet odiosam; ita *Sot. Silv. Sanch. Valent. Graf. Diana, Reginald. Megal. Croix*, etc. cum *de Lugo*, qui dicit contrariam repugnare theologorum communi sensui. Secus autem, ut rectè dicunt *Croix, Stoz*, et *Arriaga*, si confessarius non adhuc absolutionem impertitus fuisset, quia tunc iudicium non est adhuc absolutum; aut si non rectè protulerit absolutionem, tunc benè posset pœnitentem admonere, siquidem tunc nulla evenit peccati exprobratio (2).

125. — VII. Loquamur denique de obligatione quam habent sacerdotes de administrando Pœnitentiæ Sacramento. Sacerdotes simplices regulariter loquendo non tenentur ad

(1) *Lib. 6. n. 621.* — (2) *Lib. 6. n. 622.*

illud ministrandum, nisi in casu extremæ necessitatis. Parochi verò tenentur toties quoties rationabiliter expetiti sunt à subditis, qui opportunè illud petunt. Vide dicta *Tract. VII. n. 24.* Sed hic quæritur 1. an sacerdos simplex aut simplex confessarius (quia quoad parochum vide *dicta Tract. VII. n. 28.*) teneatur cum periculo vitæ ad absolvendum moribundum in peccato mortali existentem? Negant *Sot. Sa, Navar. Coninch*, et *Lugo* probabile putat, dùm ille potest per contritionem sibi consulere; excipit tantùm *Coninch.* si moribundus eâ laboraret ignorantia, ut nesciret elicere actum contritionis. Sed sententia verior affirmat cum *Suar. Tourn. Lorca*, et *Valent.*; quia licèt possit moribundus per contritionem supplere, tamen cùm hæc sit difficilis, negari non potest quin, si inabsolutus relinquitur, in magno suæ damnationis periculo manserit. Undè fit quòd sicut in casu quo proximus sine tua absolute certè peribit, teneris ad mortem certam subeundam, ut eum absolvas; ita in casu quo ille in probabili damnationis periculo manet, teneris te exponere probabili periculo mortis; nam in æquali periculo quisque tenetur postponere vitam temporalem suam vitæ æternæ proximi (1).

126. — Quæritur 2. an sacerdos simplex teneatur se habilem reddere pro excipiendis confessionibus, cùm videt indigenas suos esse in gravi necessitate spirituali ob confessariorum penuriam? Apud nullum auctorem de re morali tractantem hoc dubium inveni discussum; tantùm ad manus mihi pervenit quidam libellus, cui titulus (*Parroco di Villa p. 308.*), cujus auctor est R. D. Joseph Jorio, cujus doctrinam ac pietatem varia opuscula, quæ edidit, satis comprobant; ibi ex Italico hæc transcribo: *Qui solertia pro audiendis confessionibus pollet, et observat in suo oppido confessariorum penuriam, et videt, aut non frequentari, aut malè haberi tale Sacramentum, tenetur illud administrare. Et si cetate non multùm processit, tenetur in conscientia ad se habilem reddendum.* Affert idem auctor auctoritatem *Pat. Pævonis, Societ. Jesu*, viri admodùm docti et pii, qui in suis operibus italicis sic scribit: *Munus meum, qui sacerdos vocor, est me Prælato meo parere, cùm mihi imponit ut confessionem excipiam, et legitimo impedimento non præpedior: quia prælatus potest id mihi præcipere, et ego nullam rationem habeo ut talentum otiosum teneam, etc. Insuper mihi inest debitum me Episcopo*

(1) *Lib. 6. n. 621.*

offerendi, ut facultatem confessiones audiendi ab eo expostuletem, cum animadverto in gravi necessitate esse populum ob confessoriorum deficientiam. Et reverà (subjungo hic aliquas reflexiones quas animo rependi super hoc puncto, cui parùm sacerdotes animum intendunt) certum est sacerdotes esse à Deo electos non solum ut sacrificent, sed etiam principaliter esse constitutos, ut animarum saluti incumbant; sicut enim divinus Pater misit Filium suum pro mundi salute, ita Christus Dominus constituit sacerdotes in suum locum suffici, ut pro se legatione fungerentur: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Joan. 20. 21.* Quapropter sacerdotes vocantur, nunc lux mundi, nunc sal terræ, nunc Dei coadjutores. Idcirco etiam Trid. sess. 23. c. 14 præcipit ut promovendi ad presbyteratum priùs *ad docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac (nota) ad ministranda Sacramenta, ... idonei comprobentur.* Et S. Thomas (1) dicit, quòd Dominus ad hunc finem instituit Ordinem sacerdotum in sua ecclesia, ut ipsi Sacramenta aliis ministrent: *Et ideò posuit Ordinem in ea, ut quidem aliis Sacramenta traderent.* Præcipua autem obligatio sacerdotum est circa administrationem Sacramentorum Eucharistiæ, et Pœnitentiæ; dùm ideò duplex eis confertur potestas sacrificandi nempe, et absolvendi à peccatis. Et animadvertatur quòd Dominus Spiritum sanctum in sacerdotes infudit præcipuè, ut absolvant à peccatis, prout legimus apud Joan. loc. cit. §. 22. et 23. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Itaque cum hoc sit sacerdotum præcipuum munus, et unus ex principalibus finibus, cur Deus eligit aliquem ad sacerdotium, dico quòd sacerdos tenetur ad se habilem reddendum ad illud, saltem cum necessitatem cognoscit ob aliorum deficientiam, ne ab Apostolo exprobraretur quòd in vacuum gratiam recepit.

127. -- Hoc posito, quomodò excusabitur à peccato ille sacerdos, qui suâ socordiâ negligit audire confessiones, aut se habilem reddere ad illas audiendas, cum videt gravem necessitatem, quâ oppidum suum premitur? Ego nescio quomodò iste possit non exprobrari à Domino, et immunis esse à pœna quam minatus est in servum pigrum, qui talentum datum negotiationi abscondit, ut habetur ex *Matth. 25. 25. et seqq.* qui textus ab expsi-

(1) *Suppl. q. 34. a. 1.*

toribus (*Cornelio à Lapide, Calm. et Tirino, cum Ambrosio*) explicatur propriè de iis qui operâ suâ procurare possunt, et negligunt salutem animarum: *Notent hoc (ait Cornelius) qui ingenio, doctrinâ, aliisque dotibus sibi à Deo datis non utuntur ad suam aliorumque salutem ob desidiam, vel metum peccandi; ab his enim rationem poscet Christus Dominus in die judicii.* Admodùm terrore plenæ sunt comminationes Domini in negligentes sacerdotes: *Si me dicente ad impium: impie, morte morieris; non fueris locutus... ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Ezech. 33. 8.* Nec dicant hujusmodi sacerdotes obligationem suam satis explere, si alio modo animabus subveniant, nempe instruendo, corrigendo, orando; non sufficit, dico; quia ipsi tenentur succurrere proximis in ea quod ipsis opus est ad salutem. Si frater ciborum opus habet, non sufficit eum de vestibus providere. Sæpè accidit in oppidulis quòd plures fortè non egent instructione, aut monitione, quia fortè jam sunt satis instructi, et correcti, sed deest ipsis sacerdos qui eorum confessiones excipiat. Nec valet dicere officium audiendi confessiones esse opus charitatis, et charitatem non obligare cum tanto incommodò, quia est labor insumendus pro acquirenda scientia requisita ad Pœnitentiæ Sacramenti administrationem; quia respondetur, quòd licèt tale exercitium sit charitatis, nihilominus est munus quod ortum non habet à simplici charitatis motivo, sed ex officio proprio sacerdotali (ut dictum est) cui ex divina institutione hoc munus adnexum est, et cui sacerdos satisfacere tenetur, cum id populi necessitas expostulat. Denique neminem juvat se excusare allegando insufficientiam, et imbecillitatem suam; quoad insufficientiam, suppositis antea dictis, ille tenetur ad studendum, et ad se idoneum efficiendum; quoad autem imbecillitatem, quâ quis putaret eum merito excusari, nempe cum humilitatis sensu; audiat quid dicit *S. Franciscus Salesius*. Sanctus appellat falsam humilitatem eorum qui recusant saluti animarum vacare, sub colore quòd propriam debilitatem cognoscunt. Dicit totum hoc esse artificium amoris proprii, et humilitatis perversæ, quâ prætenditur propriam socordiam specioso prætextu colorare. Subjungit quòd Deus, nobis aliquid ingenii concedendo, intendit ut nos illo utamur; undè verè humilem se ostendit qui illo utitur, et obedit. Superbo nihil audendum est assumere, tamquam sibi fidenti; humilis contra animo magno esse debet, quia non suis viribus innititur,

sed spem in Deum collocat, cui placet suam omnipotentiam exaltare nostrâ imbecillitate; et ideò concludit, humilem omnia aggredi posse.

CAPUT VII.

DE CASUUM RESERVATIONE.

Reservatio est jurisdictionis restrictio 128. *Ignorantes non excusantur à casu, benè quidem à censura. Differentia inter casus papales, et episcopales.* 129. *Qui reservare possit, etc. De casibus Regularium* 150. *De reservatione injusta; et an Superior absolvendo possit ad alium remittere pro non reservatis, etc.* 151. *An peccata venialia, aut interna, aut non consummata, etc.* 152. *Quando inferior potest absolvere, etc.; et an pœnitens debeat se præsentare, etc.* 153. *Si injustè negatur facultas, etc. Si negatur à Prælato regulari* 154. *De peregrinis, quando casus est reservatus tantùm extrâ, aut tantùm in patria* 155. *Quomodo intelligendum In fraudem reservationis* 156. *An qui peccat in patria possit absolvi extra illam ab habente facultatem* 157. *An possit absolvi in patria qui peccat extra? Et an peccans in patria, possit absolvi à censura extra illam? Et an peccans extrâ, incurrat censuram ibi reservatam?* 158. *Qui recipit in bona fide absolutionem à simplici confessario* 159. *Qui obliviscitur de reservato apud Superiorem, etc.* 140. *An ex confessione nulliter facta apud Superiorem, etc.* 141. *An simplex possit absolvere dubiè reservatum* 142. *Qui post confessionem cognoscit pro certo reservatum* 143. *Qui peccat in confidentiam licentiæ* 144. *An licentia extendatur ad peccata post illam commissa* 145. *De facultatibus Episcoporum, et Regularium remissivè* 146.

128. — RESERVATIO casuum definitur: *Est negatio jurisdictionis circa aliquod peccatum* Hinc notandum 1. communissimam sententiam esse cum *Sanch. Castrop. Holzm. Tambur. Wigandt, Coninch. Antoine, Fagnan. Croix*, et aliis (contra *Roncagl. Salmant. Ciera*, etc.) ignorantibus non excusari à reservatione, licèt invincibiliter eam ignorassent; quia reservatio non est pœna quæ respicit peccatores, ut supponunt adversarii; sed est restrictio jurisdictionis respectu confessariorum; et hoc apertè præcipitur à *Trid. sess. 14. c. 7.* ubi dicitur: *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam (nota) non habet jurisdictionem.* Undè concludit quòd *sacerdotes nihil possint in reservatis.* Nec valet dicere cum *Salm.* et *Ronc.* quòd licèt reservatio directè respiciat confessarios, et limitet eorum facultatem, attamen finis reservationis respicit pœnitentes, ut à peccatis reservatis exterreantur; undè fit quòd, cessante fine adæquato in ignorantibus, cessat etiam

reservatio Quia respondetur quòd finis reservationis est non solùm ut fideles avertantur à reservatis, sed etiam (ut dicunt *Fagnan.* et alii) ut prolapsi convenientes recipiant pœnitentias, admonitiones, et remedia quæ non conveniunt ab aliis applicari, quàm à Superioribus, qui semper existimantur prudentiores, et magis idonei, sicut exprimitur in *Trid. loc. cit. Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur.* Ex quo deducitur evidenter quòd etiam in ignorantibus non cessat finis adæquatus reservationis (1).

129. — Ex hoc deducitur, ut etiam communiter dicunt AA. citati pro nostra sententia, quòd etiam in casibus ab Episcopis reservatis, quibus annexa est censura, licet ignorantes à censura excusentur, cum in ipsis desit contumacia necessaria pro incurrenda censura, nihilominus non excusantur à reservatione; nam hæc est differentia inter casus papales et episcopales, quòd papales (exceptis duobus qui reperiuntur reservati sine censura, nempe accusatio sollicitationis contra sacerdotem innocentem, ut habetur ex Bulla *Sacramentum* Benedicti XIV. et receptio donorum à Regularibus, ut dictum fuit *Tom. I. Tract. XIII. n. 8. in fin.*) principaliter sunt reservati ob censuram. Et idcirco ignorantes ab illis excusantur circa reservationem, ut docent communiter *Suar. Castr. Sanch. Layman, Mol. Cajet. Gonet. Wigandt, Abelly, Salm. Croix, Ciera, Viva,* etc. (contra *P. Concinam*, quem unicum reperio adversum): dum ignorantia certè excusat à censura, ut dicemus *Tract. XIX. n. 8.* et ut expressum est in *cap. 2. de Constit. in 6.* (2). Contrà in casibus episcopalibus, quia principaliter reservatur peccatum (licet injungatur censura), ideòque ignorantes sicut non eximuntur à peccato, ita nec à reservatione; dum, ut dictum est, propter reservationem super illo peccato penitus sublata est confessorio jurisdictio (3).

130. — Notandum 2. casus reservare posse omnes Superiores qui potestate ordinariâ gaudent, prout sunt Papa. Episcopi, Prælati religionum, et etiam qui potestate quasi episcopali fulgent, sicut declaravit S. C. Conc. apud *Fagnan.*; non autem parochi, nam ipsis saltem ex consuetudine hæc facultas abrogata est (4). Dictum est Prælatos religionum posse etiam reservare casus, sed ut decrevit Clemens VIII. tantùm undecim reservare possunt et

(1) *Lib. 6. n. 581.* — (2) *Lib. 6. n. 580.* — (3) *Lib. 6. n. 581.* Dubit. 2. — (4) *n. 578.*

non ultrà, sine consensu Capituli generalis pro tota religione, aut provincialis pro provincia. Casus autem determinati fuerunt à Clemente, et sunt sequentes: 1. Apostasia. 2. Egressio nocturna, et furtiva à monasterio. 3. Sortilegium. 4. Peccatum mortale contra paupertatem. 5. Furtum mortale de bonis monasterii. 6. Peccatum carnale opere consummatum. 7. Perjurium in iudicio. 8. Coöperatio in abortu fœtus animati, etiam effectu non secuto. 9. Occisio vel gravis percussio cujuscumque personæ. 10. Falsificatio manûs, vel sigilli officialium monasterii. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel contrà. An autem Prælati possint infligere censuram super alio casu, illum non reservando, affirmat *Busemb.*; sed communiùs et probabiliùs negant *Lugo, Sanch. Diana et Holzm.* (1).

131. — Notandum 3. reservationem non posse emanari sine justa causa; quare dicunt nonnulli reservationem injustam esse invalidam, quia Trident. dedit hanc facultatem Prælatis reservandi casus in ædificationem, non in destructionem: sed sententia communior et verior cum *Laym. Suar. Lug. Holzm. Ciera*, etc. dicit illam fore graviter illicitam, sed validam; quia sicut potest Prælatus non concedere facultatem pro aliquibus casibus, ita potest etiam reservare eam (2). An autem possit Superior absolvere à reservatis, et pro aliis remittere pœnitentem ad inferiorem, alii admittunt propter consuetudinem; sed hæc consuetudo communissimè negatur à *Salm. Cano, Nav. Laym. Castrop. Salm. Croix*, etc. Tantummodò hoc permittitur à præfatis AA. in casu rarissimo magnæ necessitatis, putà si Superior præpeditus esset aliquo gravissimo negotio, et contrà pœnitens esset in necessitate communicandi, et repugnantiam ostenderet bis peccata sua confiteri (3).

132. — Notandum 4. posse etiam reservari venialia, ut communiter admittunt *Suar. Lugo, Ciera, Holzm. Conc.*, etc. contra *Vasq.*; quia licèt non adsit obligatio confitendi venialia, attamen ipsa remitti nequeunt per Sacramentum, nisi ex Ecclesiæ jurisdictione; ideòque sicut illa hanc negare potest, ita etiam limitare (4). Et ita pariter reservari possunt peccata interna, ut etiam communiter dicunt *Sot. Silv. Suar. Croix, Ant.*, etc. Nec obstat dicere Ecclesiam non judicare de peccatis occultis; dùm respondetur quòd Ecclesia reservando non est quòd judicet de peccatis

internis, sed judicat de absolutione illorum, quæ est actus externus (1). Cæterùm prudentia exposcit (et hoc fert usus) ne reserventur nisi mortalia, ét graviora (juxta normam datam à Concilio, quod dicit *atrociora quædam et graviora crimina*), et externè gravia; undè communiter docent *Lugo, Sanch. Suar. Bonac. Granad. Ciera*, etc.: peccatum levè in quantum est externum non cadit sub reservatione, licèt internè esset grave; quia Superiores non intendunt reservare nisi peccata externè gravia, et insuper consummata, et perfecta in specie sua. Hinc rectè dicit *P. Mazotta*, non reservari incestum, et sodomiam extra vas peractam, neque sodomiam imperfectam, putà inter marem et fœminam, ut dicunt insuper *Silv. Azor. Bonac. Tourn.*, etc. (2).

133. — Notandum 5. quòd, cùm non adiri potest Superior, potest inferior indirectè absolvere à reservatis, urgente aliquâ causâ, v. g. ut vitetur scandalum, aut infamiæ nota, aut ut satisfiat præcepto paschali, aut si pœnitens aliàs diutius perseverare deberet in mortali, ex eo quia Superior longè abest; ita communiter *Suar. Laym. Castrop. Conc. Wigandt, Salm. Ciera, Viva*, etc. (3). Dictum est *indirectè*, quia cessante impedimento, tenetur postea pœnitens se præsentare Superiori, ut directè absolvatur à reservatis; ratio est quia confessarii simplices, ut declaravit Trident. (*Sess. 14. c. 7.*), *extra articulum mortis nihil possunt in reservatis*; undè extra mortis articulum, licèt impedimentum esset perpetuum, si casus est episcopalis, et impedimentum casu cessaret, semper recurrendum est ad Episcopum pro absolutione directa. Et si casus est papalis, et impedimentum est perpetuum, et pœnitens ne ad Episcopum quidem recurrere posset (ut debebat, cùm non posset adire Papam) etiam obtentâ absolutione in casu necessitatis à confessario simplice, debet saltem se præsentare Episcopo (4); vide dicenda *Tom. III. Tract. XV. n. 45*. Et advertendum quòd tunc, si peccatum est reservatum cum censura, non se præsentando, reincidit in censuram, ut dictum est *n. 96. in fine*. Cùm autem quis haberet peccata reservata, et cùm esset in necessitate communicandi, si nullus adesset qui haberet facultatem, an iste teneatur confiteri simplici confessario; et an si confiteatur, debeat illi narrare tam reservata, quàm non reservata, vide dicta *Tract. XV. num. 27. et 28.* ubi dixi-

(1) *Ibid.* Dubit. 2. — (2) *Ibid.* Dubit. 5. — (3) *n. 585.* — (4) *Lib. 6. n. 585.* Dubit. 1.

mus teneri confiteri ea, saltem cum necesse est ut confessarius judicium certum formare possit de ejus dispositione, unde addimus hic, quod si confessarius interrogat, debet omnia manifestare; nam, sicut rectè animadvertit *Lugo*, licèt pœnitens non teneatur per se ad aliquod peccatum aperiendum, attamen tenetur illud exponere, cum de illo interrogatur à confessario, qui jus habet noscendi totam conscientiam pœnitentis, tum ut cognoscat ejus dispositionem, tum ut remedia applicet; in quibus duobus ille est verus iudex (1). An autem quilibet confessarius absolvere possit moribundum à papalibus, præsente Episcopo, vide *præc. num. 97.*

134. — Notandum 6. licèt Superior injustè negaret facultatem, inferiorem non posse absolvere à reservatis, sicut communiter docent *Sot. Suar. Laym. Lugo, Ciera, Salm., etc.* quidquid dicant *Henriq. et Diana*; nam sicut est valida reservatio injusta (ut dictum est *num. 131.*), ita etiam valida est injusta negatio facultatis (2). Cæterum proculdubio graviter peccant Episcopi, qui injustè negant facultatem; et peccant etiam contra justitiam, cum ex tali denegatione notabile damnum subditorum animæ patientur; ita communiter *Lugo, Suar. Coninch. Quintanad. Fagund. Diana et Ciera, ex S. Thoma*; præcipuè (ait *Ciera*) si pœnitens adduci non possit ut adeat Superiorem. Contra Superior justè semper denegare potest facultatem, donec pœnitens notitiam necessariam ei non affert ad reparandum publicum scandalum, aut damnum; nam aliàs à nemine tamquam indispositus absolvi potest; *Suar. Lugo, etc.* (3). Advertendum tamen hic circa Regulares, 1. quod (ut habetur ex Bulla 26. Urbani VIII.) declaravit Clemens VIII. quod si Superior regularis negat facultatem confessario deputato, potest hic *pro ista vice* (ut loquitur Bulla) absolvere pœnitentem, et ita communiter asserunt DD. *Lugo, Gabriel, Avers. Bus. Salm. cum P. Viva*, qui dicit, quod *pro ista vice* intelligitur toties quoties Superior injustè negat facultatem. Et idem dicunt *Pelliz. Dian. Quintanad.* si illam denegat alteri Religioso doctiori, et prudentiori, licèt non deputato; et idem dicit *Pelliz.* si denegatur eidem pœnitenti. Advertendum 2. quod propter privilegium concessum fratribus minoribus, omnes Regulares semel possunt absolvi à reservatis per eorum confessarios, licèt super reservatis careant facultate, *Suar. Diana, et Rodricq.* (4).

(1) *Ibid.* Dubit. 2. et 3. — (2) n. 586. ad 4. — (3) *Lib. 6. n. 586. ad 6.* — (4) *Ibid. ad 5.*

135. — Notandum 7. circa peregrinos: peregrini in quantum ad casum reservationem plerumque judicandi sunt juxta leges diœcesis in qua reperiuntur. Unde fit quòd si peccatum est reservatum tantum in illa diœcesi, non potest peregrinus absolvi à simplici confessario, etsi illud peccatum non est reservatum in sua patria; ita tenent, contra aliquos, communiùs et veriùs *Suar. Lugo, Bonac. Conc. Wigandt, Ciera, Diana, Salm.* etc. cum quadam declaratione S. C. Ratio est quia hodie peregrini, stante communi consuetudine, non absolvuntur jam ex consensu præsumpto suorum Ordinariorum, ut supponunt adversarii, sed ex voluntate Ecclesiæ universalis. Contrà reservatio non respicit pœnitentes, ut dictum est n. 128. sed confessarios dumtaxat; undè ipsi non possunt absolvere ab illis peccatis tantum, super quibus limitata est facultas (1). E converso si peccatum est reservatum tantum in patria, non autem in illa diœcesi, benè potest peregrinus absolvi ab unoquoque confessario, ut rectè docent *S. Antonin. Cajetan. Lugo, Suar. Bonacin. Cabassut. Concin. Roncag. Mazzot. Salmantic.*, etc., quia hæc est consuetudo approbata communiter ab Episcopis, et Pontificibus, nempe ab Eugenio IV. (ut testatur *Lugo*) et præcipuè à Clemente X. in sua Bulla *Superna*, edita 21. Junii 1670. Modò (limitavit Clemens) non esset quòd pœnitens proficisceretur a patria sua in fraudem reservationis: *Posse autem* (sunt verba Pontificis) *regularem confessarium in diœcesi in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessarius est approbatus, absolvere; nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Bulla loquitur propriè de confessariis regularibus, ut observatur; sed intelligitur etiam pro sæcularibus, ut rectè dicunt *Croix, Viva*, et *Roncagl.* et ut declaravit etiam S. C. (2).

136. — Quomodò autem intelligenda est clausula illa *in fraudem reservationis*, multæ et diversæ adsunt opiniones. *P. Mazzott.* cum *Tamb.* et aliis intelligit, cum casus est deductus in forum contentiosum; sed hæc explicatio nihil concludit, dum Pontifex loquitur de foro sacramentali, non autem de externo. Episcopus *Milante* intelligit quando pœnitens peccasset in confidentiam absolutionis, sed non cum aliò proficisceretur, ut faciliùs ibi absolvi

(1) *Lib. 6. n. 588.* — (2) *n. 589. v. Idque.*

posset: sed nec huic explicationi assentiri valeo: Pontifex enim non loquitur de iis qui peccant; sed de iis qui migrant in fraudem reservationis. Alii alias applicationes afferunt; sed communiùs, et probabiliùs *Lugo*, *Ronc. Viva*, cum *Porcella*, et *Fagund. et Instruct. Confess. nov. cum Passerino* explicant, quando pœnitens fine unico et principali proficiscitur, ut alibi faciliùs absolvatur, et ut proprii pastoris iudicium aufugiat; quia tunc propriè dicitur intervenire fraus, quando clusoria redditur lex; et quidem lex reservationis eluditur, cum pœnitens principaliter è patria migrat ut in alia diœcesi facilius absolvatur. Contra non migrat in fraudem, qui aliquò proficiscitur alio fine, v. gr. lucrandi indulgentias, aut fine alia negotia agendi, aut citiùs vel cum minori incommodo confitendi, aut reperiendi confessarium non cognitum, aut prudentiorem, à quo meliùs dirigi possit, et per quem sperat uberiorem conscientiaè pacem fore consecuturum (1).

137. — Dicit autem *Roncaglia*, quòd pœnitens, qui discedit aufugiendi fine proprii pastoris iudicium, in aliena diœcesi non potest ne à confessariis quidem, qui super reservatis habent facultatem, absolvi, quia tunc etiam migraret in fraudem (2). Sed contradicunt *Milante*, et *Viva*, cum *Suar. Nav. Lug. Bonac.* cum communiore DD. qui dicunt quòd si casus est reservatus in utraque diœcesi, peregrinus liberè absolvi potest ab habente facultatem; et hæc opinio non videtur improbabilis, quia reverà tunc non videtur pœnitens committere fraudem in reservationem, cum eat ad confessarium approbatum etiam pro reservatis (3). Præterea dicit *Mansi*, et adhæret etiam *Ronc.* non posse absolvi qui extra patriam peccatum commisisset reservatum in patria, hoc fine ut postea extrà absolvatur. Sed etiam circa hoc oppositum sentio, quia peccator tunc non diceretur discessisse in fraudem reservationis ut absolveretur, sed aliò se contulisse, ne reservationem incurreret (4).

138. — Contra rectè dicunt *Castrop. Suar. Coninch. Conc.* (quicquid dicant alii) non posse absolvi in patria à reservato pœnitentem qui peccavit in monasterio Regularium, licèt exempto, quia quamvis hæc monasteria sint exempta etiam quoad locum, ut dictum est *Tract. II. n. 29.*, nihilominus nec per hoc potest eum absolvere confessarius, cui limitata est iurisdictio super tali casu. Et

(1) *Lif. 6. n. 589. v. Quomodò.* — (2) *Ibid.* — (3) *n. 587.* — (4) *n. 589. v. Quomodò.*

idem currit propter eandem rationem, si pœnitens peccasset extra diœcesim, licet ibi talis casus non esset reservatus. Itaque etiam dicimus cum *Ronc. et Wigandt*, contra alios, non posse absolvi à confessario simplici pœnitentem extra diœcesim à censura quæ in patria est reservata, quia totam facultatem confessarii simplices ad absolvendum à censuris habent ex *cap. Nuper, de sent. excomm. in 6.* ubi expressè dicitur quòd confessarii absolvere nequeunt à censurie reservatis (1). Dicimus etiam cum *Avers. et Mazzol.* quòd si peregrinus peccat in alia diœcesi, ubi ille casus est reservatus, non potest ibidem absolvi à simplici confessario, tum quia ibi ratione delicti jam incurrit reservationem; tum quia confessarius (sicut dictum est *n. 135.*) non potest absolvere exterum, nisi juxta limites jurisdictionis sibi ab Ordinario suo concessæ. Advertendum tamen quòd talis peregrinus jam incurrit reservationem, ut dictum est, non verò censuram illi annexam, ut rectè dicunt *Suar. Silv. Conc. Sal. Avil. Sayr. Mazz.*, etc. contra aliquos; nam in *cap. A nobis, de sent. excomm. in 6.* dicitur *solos subditos comprehendi sub excommunicatione lata ab Episcopo futuris delictis.* Et ratio, quia censura non incurritur, nisi ab iis qui non tantum subditi sunt, sed etiam contumaces; peregrinus contra, licet fiat subditus ob peccatum, nihilominus non potest dici contumax (2).

139. — Quæritur 1. an pœnitens qui bonâ fide confitetur reservatum confessario simplici, aut si obliviscitur illius, sit validè absolutus? Negat *Antoine*, dicendo simplicem confessarium, cum nihil possit in reservatis, non posse ne indirectè quidem absolvere ab illis. Sed communior est sententia opposita affirmans (ut fatetur ipse *Antoine*) cum *Suar. Castr. Lugo, Conc. Salmant.*, etc., et etiam est probabilior, quia confessarius simplex, licet careat jurisdictione circa reservata, non autem caret ea in non reservata; quare jam non reservata directè absolventur, et indirectè reservata; nam mortalia non possunt absolvi nisi omnia simul, cum non possit unum remitti, non remisso alio; et cum hæc sententia sit communis, et valdè probabilis; si fortè falsa esset, saltem supplet Ecclesia quoad jurisdictionem, juxta dicta *num. 91.* (3).

140. — Quæritur 2. an pœnitens confessus Superiori, si obliviscitur reservati, possit postea de illo à quovis

(1) *Lib. 6. n. 590.* — (2) *n. 591.* — (3) *n. 596. r. Quær. 1.* —

absolvi? *Prima* sententia affirmat cum *Lugo*, *Sanch. Castr. Ciera*, *Salm.*, etc. dicens tunc præsumi Superiorem solvendo velle etiam eum liberare ab omni vinculo reservationis, sicut pariter dictum est *num. 69.* de jubilæo. *Secunda* sententia contrà negat cum *Suar. Silv. Angelo*, *Con. Antoine*, etc., quia ad auferendam reservationem, ut dictum est, requiritur ut peccatum subjiciatur iudicio Superioris, ut ab eo competentem recipiat pœnitentiam, et medicinam; adeò ut non debet judicari ablata reservatio, nisi adsit specialis præsumptio quòd Superior voluerit eam auferre. Ratio equidem est valdè valida; quae de re hæc sententia mihi videtur probabilior, ad differentiam sententiæ relatæ *num. 69.* quia ibi ratione jubilæi conceditur pœnitenti privilegium posse absolvi à quocumque confessario. Hoc non obstantè primam sententiam improbabilem putare nequeo; nisi adesset specialis præsumptio quòd Superior distulisset absolutionem, si audisset confessionem etiam reservati (1).

141. — Quær. 3. an auferatur reservatio per confessionem invalidam Superiori factam. Respondetur: si confessio est invalida, sed inculpabiliter, communiter affirmant *Cajetan. Suar. Lugo, Wigandt, Castr. Bonacina, Ronc. Coninch. Holzm. Croix*, et *Salm.* (contra *Concinam*), quia tunc jam ex unaparte Superior intendit actualiter, et absolutè pœnitentem liberare tam à peccato quàm à reservatione; et ex alia parte, jam pœnitens subjecit peccatum suum Superioris iudicio, et ab ipso jam recepit remedia et pœnitentiam, quam semper tenetur adimplere, licèt postea percipiat confessionem fuisse invalidam, ut advertit *Bon.* Nec valet dicere quòd Superior, et tantò minùs delegatus non auferunt reservationem, nisi per absolutionem; quia quoad Superiorem, benè potest ipse concedere illam extra Sacramentum; et in eo casu benè præsumendum est auferre velle; et in quantum ad delegatum, licèt iste non possit sine absolutione eam auferre, nihilominùs tunc judicatur posse eam auferre ex voluntate ipsius Superioris, aut saltem virtute consuetudinis approbatæ ex auctoritate communi DD. (2). Major difficultas fit, quando confessio est sacrilega, tunc dicunt absolutè *Holz. Viva, Ronc. Conc. et Croix* non auferri reservationem, quia non præsumitur Superior velle, ut subditus ex suo scelere beneficium reportet. Sed pariter communiùs affirmant *Suar. Lugo, Castr. Bonac. Vasq. Filliuc. Salm. Cajet. Coninch.*

(1) *Lib. 6. n. 597.* — (2) *n. 598.*

etc., et non improbabiliter, quia alius est finis confessionis, qui est remittere peccatum; alius est finis reservationis, qui est ut subjiciatur peccatum iudicio Superioris, et hic jam obtinetur; et licet Superior ex voluntate interpretativa nollet, nihilominus jam vult voluntate actuali illam auferre. Secus autem dicendum (ut rectè advertunt *Lugo, Suar. et Vasq.*), si pœnitens culpabiliter taceret peccatum, aut, addit *Suar.*, si ipse confiteretur reservatum sine animo illud vitandi, aut pœnitentiæ satisfaciendi, modò postea non mutaret voluntatem (1). Et secus etiam currit de confessione sacrilega, aut invalida facta in jubilæo, ut dictum est *præc. n. 67.*, quia ibi alia procedit ratio.

142. — Quæritur 4. in dubio an pœnitens nec ne incurrerit aliquod reservatum, an possit à simplici confessario absolvi? Respondetur: quando dubium est facti, nempe utrùm peccatum fuerit veniale, an mortale, et an mortale fuerit nec ne consummatum, tunc apud omnes (excepto *Wigandt*) pro certo habetur quòd possit; ita *Suar. Sanch. Lug. Conc.* et alii; quia reservatio utpotè odiosa, est strictè interpretanda, undè intelligenda de peccatis certè gravibus, et consummatis, ut dictum est *n. 132.* Si verò dubium est circa jus, nempe quando controversitur inter DD. an aliquod peccatum sit vel non reservatum confessario; in hoc casu negant *Conc. Wigandt*, et *Antoine*, cum *Armil.*, dicentes quòd confessarius non potest absolvere cum jurisdictione quæ tunc ei dubia facta est. Sed etiam in tali casu AA. citati, et communiter etiam affirmant *Filliuc. Hurtadus, Bonac. Sa, Henriq. Anaclet. Elbel, Viva, Spor. Salm.*, etc., et hoc sive dubium sit positivum, sive negativum, quia in utroque currit eadem ratio; dùm in dubio confessarius possidet facultatem absolvendi. Præterquam quòd, cùm hæc sententia sit communis, et probabilissima, in casu quo fortè esset falsa, supplet Ecclesia. Nec obstat dicere quòd *Clemens VIII.* suo Decreto prohibuit confessariis privilegiatis absolvere à casibus Bullæ *Cæne*, licet essent *dubiè reservati*; et quòd pariter in *Extrav. Perlectis*. vetitum est Episcopis absolvere à percussione gravi clericorum, etiam in dubio an sit gravis vel levis: quia respondetur quòd ambæ hæc prohibitiones magis confirmant nostram sententiam: ergò, dicimus; In aliis casibus reservatis, exceptis his duobus, rectè potest dari absolutio, nam *exceptio firmat regulam*.

(1) *Lib. 6, n. 598. v. Quær. IV.*

Sed hic notandum quòd Clemens (ut referunt *Ronc.* et *Antoine*) anno 1602. moderavit præfatum Decretum, auferendo illa verba *etiam dubiè reservatis* (1). Limitant autem nostrams ententiam *Sanch. Bonac.*, etc., in casu quo illud peccatum reservatum judicaretur in foro externo; sed hæc limitatio meritò etiam refellitur à *Lug. Escob. Spor. Tamb.* et *Salm.* quia differt forum externum ab interno. In illo attenditur præsumptio, et non præstatur pœnitenti fides. Sed in hoc sacramentali omnino creditur pœnitenti, donec non constet de opposito (2).

143. — Quæritur 5. an qui confessus est simplici confessario dubiè reservatum. omninò liberetur à reservatione, etiamsi postea illud cognoscat certè reservatum? Negat *P. Conc.*; sed affirmant communiter *Lugo, Dicast. Aversa, Spor. Viva, Sanch.* et *Salm.* cum aliis; quia cum confessus sit peccatum tamquam dubiè reservatum, jam directè absolutus est (ut fatetur ipse *P. Conc.*) ideòque remanet directè reservatio ablata. Alius est casus, ut diximus *præc. n. 34.*, quando pœnitens confitetur peccatum uti dubium, et deindè recordetur esse certum, quia tunc tenetur ipse iterùm confiteri ut certum, ut suppleat integritati, et ut exponat confessario, ut reverà fuit in conscientia; sed in casu nostro, remisso peccato, est jam, ut dictum est, ablata reservatio; undè cessat obligatio adeundi Superiorem, ut liberetur ab illa (3).

144. — Quæritur 6. an possit absolvi à reservatis, qui peccavit in confidentiam licentiæ? Aliqui dubitarunt: sed communior sententia affirmat cum *Sanch. Lug. Fill. Bon. Molfes. Salm. Aver.*, etc. Ratio est, quia, esto Superior nolit ut subditus ansam capiat occasione licentiæ, attamen non intendit postea absolutionem negare pœnitenti, quem verè pœnitet sui peccati et proponit illud vitare. Idem diximus de jubilæo *n. 70.* (4).

145. — Quæritur 7. an licentia data pro reservatis extendi possit ad peccata post ipsam commissa? Respondetur non extendi jam, si licentia datur pro solis peccatis speciatim nominatis, aut pro numero determinatis; secùs verò si indefinite conceditur; ita communissimè *Lugo, Ronc. Bonac. Passerin. Præpos. Aver. Dicast. Salm.*, etc.; excipitur tamen, si pœnitens, cui præsertim licentia concessa est, aliud peccatum committeret post notabile tempus, v. gr. post mensem, aut si licentia concessa fuisset intuitu alicujus festivitatis particularis (5).

(1) *Lib. 6. n. 600. v. Quær. I.* — (2) *Ibid. v. Limitant.* — (3) *Ibid. v. Quær. II — (4) n. 601.* — (5) *Lib. 6. n. 601. Quær. IV.*

146 — Quoad autem facultates Episcoporum absolventi à casibus papalibus occultis, et impeditis, vide dicenda *Tom. III. Tract. XX. de privil. n. 36. v. Dubitatum fuit. et n. 38.* et quoad facultates Regularium, vide ibidem ex n. 95. et seqq.

CAPUT VIII.

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

Obligatio sigilli 147. De iis qui tenentur ad sigillum 148. An teneatur qui est, requisitus de consilio à confessario ex pœnitentis licentia 149. An consultus ab ipso pœnitente 150. An qui legit solum confessionis 151. Cadunt sub sigillo I. Peccata etiam, levia II. Peccata complicis, sed ex licentia pœnitentis potest admoneri complex 152. III. Objectum peccati. IV. Pœnitentia. V. Circumstantiæ, sed non impertinentes. VI. Revelationes, et virtutes quando, etc. VII. Scrupuli 153. VIII. Defectus naturales 154. Casus de pœnitente surdo 155. Casus in quibus non adest obligatio sigilli. De licentia pœnitentis; et an liceat cum admonere intra confessionem, quin ab eo petatur licentia 156. Casus in quibus læditur sigillum. I. Qui diceret in monasterio, etc. 157. Qui diceret in oppido, etc. 158. II. Qui utitur notiâ confessionis ad gubernationem, cum gravamine, etc. 159. Si redit pœnitens malæ conscientiæ 160. An confessarius possit sibi cavere de damnis, etc. 161. An possit præberi schedula confessionis, etc. 162. Si pœnitens minetur mortem, etc. 163. An liceat uti opinionibus probabilibus, etc. 164.

147.— SIGILLUM sacramentale inducit obligationem tacendi peccata et omnia alia in confessione manifestata in ordine ad absolutionem etiam colloquendo cum ipsomet pœnitente: et hæc obligatio est ita stricta, ut confessarius in nullo casu et tempore possit ea revelare, licet mortem subiturus esset. Ut clarius super hac materia valdè implicata procedam, adnotemus hic primo loco eos qui tenentur ad sigillum; secundo ea quæ cadunt sub sigillo: tertio casus in quibus læditur sigillum: quarto casus in quibus non læditur.

148.— Et primo loco adnotabimus eos, qui tenentur ad sigillum. Generaliter loquendo, tenentur omnes ii, ad quos quocumque modo pervenit notitia confessionis. Sed loquendo in particulari, tenentur 1. Confessarius, qui frangendo sigillum tria peccata committeret: sacrilegii ob injuriam quam infert Sacramento, injustitiæ quâ afficit pœnitentem et etiam detractionis, si peccatum non esset publicum. Confessarius, si fortè interrogaretur de peccatis auditis, potest rectè affirmare etiam juramento se nihil audivisse; nam de omnibus, quæ ipse in confessione ex-

cepit, nullam habet scientiam communicabilem; ita communiter. *S. Anton. Suar. Laym. Wigandt, Antoine, et alii cum S. Thoma* (1) qui dicit: *Potest jurare, se nescire, quod scit tantum ut Deus.* Et hoc etiamsi, ut dicunt *Lugo, Vasq. Suar. Laym. Croix, etc.* (contra *Conc.*) confessarius requisitus esset ad respondendum non ut homo, sed uti Dei minister: aut si requisitus esset ad respondendum sine æquivocatione, ut dicunt *Lugo, Holzm. Croix, etc.*: nam tunc ille jam respondet sine æquivocatione, nempe intelligitur sine illo æquivoco quod potest licite omitti; nam contra interrogans, non habet jus ut ei respondeatur sine illo æquivoco quod non potest omitti sine peccato. Si verò confessarius interrogatur, an vel ne dederit absolutionem pœnitenti, respondere debet: *Functus sum officio meo.* Sed sic dicere aliquando etiam suspicionem negatæ absolutionis afferre potest; undè omnibus istis interrogationibus temerè factis semper salius erit respondere exprobrando sic: *Suntne interrogationes faciendæ!* Si autem accideret casus quòd confessarius non absolvisset, et clericus interrogaret, utrùm pœnitens communicaturus sit? Confessarius respondere debet; *Interroga eum, an velit communicare* (2). II. Tenetur etiam ad sigillum Prælati qui requisitus fuit de licentia pro casibus reservatis, ut rectè dicunt *Suar. Lugo, Conc. et Salm.* (contra *Castropal. et Vasq.*), quia secus redderetur odiosa confessio. III. Interpretes IV. Qui audiret aliquod (etiam casu inculpabiliter) à pœnitente prolatum in ordine ad confessionem, ut dicunt commun. *Bonac. Laym. Castrop. Salm., etc.* contra *Sot.* Ita pariter qui auscultat peccatum voce elatâ confessum, sed in aliqua necessitate naufragii, conflictûs, etc.; secus autem si pœnitens tantum ad suam confusionem vellet publicè confiteri; *Castr. Coninch. Salm., etc.* V. Omnes quibus aliquid sacrilegè revelatum est; communiter *Laym. Holzm. Salm. Conc. Spor., etc.* VI. Laïcus qui dolo se finxisset confessarium; *Suar. Lugo, Ronc. et alii communiter contra Sotim, et Vasq.* VII. Qui alterius rudis confusionem scripsit. Nonnulli addunt etiam pœnitentem sub eodem sigillo sacramentali teneri ad reticenda ea quæ confessarius ei dicit; sed hoc negat communis et vera sententia cum *Layman, Wigandt, Suar. Castrop. Bonac. Salm. Holzm. Busemb., etc.* quia reverà jus sigilli institutum est in pœnitentium beneficium. Omnes tamen conveniunt cum *Holz.* pœnitentem vinculo secreti naturalis teneri ad reticenda

(1) *In 4. dist. 21. q. 5. a. 1. a 13.* — (2) *Lib. 6. n. 645.*

à confessario sibi dicta, quorum propalatio potest illi damno esse; et ego subjungo tale vinculum esse strictius simplici naturali; dùm consilia ab aliis data sunt spontanea, sed illa confessarii data sunt ex officio et obligatione; undè infero quòd rarissimus esse posset casus in quo pœnitens tale secretum licitè revelare posset, cum damno confessarii (1).

149. — Quæritur 1. an doctor, quem confessarius consulit de licentia pœnitentis, teneatur ad sigillum sacramentale? Negant *Castrop. Vasq. Tamb. Diana*, etc. dicentes tunc peccati notitiam non haberi ex confessione, sed ex manifestatione facta ex licentia, et consequenter nomine pœnitentis; undè sicut non teneretur ad sigillum sacramentale, qui consultus esset ab ipsomet pœnitente, ita nec requisitus pœnitentis nomine. Sed communiùs et probabiliùs affirmant *Silv. Navar. Lugo Laym. Bonac. Spor. Croix. Petrocor. Ronc. Mazzot. et Viva*, et expressè docet *S. Thomas* (2). Ratio est quia eadem Sacramenti institutio exigit ut remaneat sigilli obligatio unicuique ad quem pervenit notitia peccati causâ confessionis, aliàs confessio semper redderetur odiosa. Opponit *Tamb.* quòd pœnitens in danda licentia præsumitur voluisse abstrahere illam notitiam ab obligatione sigilli; sed nos respondemus cum *Lugo*, et *Spor.* quòd imò præsumitur oppositum, nempe quòd quilibet pœnitens, dando licentiam, eam det majori quam imponere potest restrictione, cum agatur de re tam odiosa quàm est peccata sua propalare (3). Advertendum tamen hìc quòd, non obstante sigillo, doctor qui consilium dedit, donec iudicium per absolutionem non perfectum est, potest liberè loqui de illo casu cum confessario, et cum aliis in consilium convocatis, quia moraliter sic intelligitur fuisse data licentia. Advertendum etiam, quòd si evenerit unquam quòd duo confessarii semotim peterent consilium ab eodem doctore de pœnitentis licentia, dicit *Lugo*, quòd non potest doctor cum secundo loqui de circumstantiis auditis à primo, et ignotis secundo; sed pace tanti doctoris, ego contrarium sentio, quia cum pœnitens det licentiam secundo confessario loquendi de casu cum eodem consultore, sicut certè credendum est nihil aliud velle pœnitentem quàm consilium rectum, ita etiam certè præsumendum est illum consentire, ut consultor dicat quicquid scit, et quicquid dicendum sit, ut bonum præbeat consilium (4).

(1) *Lib. 6. n. 647.* — (2) *In 4. dist. 21. q. 5. a. 1. q. 3. et a. 2. ad 4.* — (3) *Lib. 6. n. 648.* — (4) *Lib. 6. n. 648. ad Notandum II.*

150. — Quæritur 3. an teneatur ad sigillum ille quem ipse pœnitens consulit de confessione quam alii facere intendit? Affirmant *Tamb. Conc. Spor. Antoine, Croix, Diana*, etc., dùm dicunt quòd dùm oporteat pœnitentibus consilium capere ut benè confiteantur, si consultor non teneretur ad sigillum, confessio redderetur odiosa. Sed probabiliùs negant *Suar. Castrop. Avers. Henriq.*, etc. Ratio est quia sigilli Sacramentalis obligatio non oritur nisi ex sola confessione sacramentali, ad finem recipiendi absolutionem facta, ut docent omnes cum *Vasq. Suar. Gabriel, Coninch. Castrop.* cum eodem *P. Conc.* et cum *S. Thoma* (1) qui dicit: *Sigillum Sacramentale confessionis non se extendit, nisi ad ea de quibus est sacramentalis confessio.* Undè fit quòd consiliarius in quantum ad notitiam ei præstitam ad consilium ab eo capiendum (non autem absolutionem), tenebitur ille quidem ad sigillum naturale, non autem sacramentale. Ad rationem oppositam respondetur quòd timor revelationis redderet consultationem jam odiosam, sed non confessionem. Si unquam consultatio in aliquo casu esset necessaria ad confessionem, non negamus tunc revelationem reddituram fore confessionem odiosam; sed hunc casum nescimus reperire, quòd quis ut confiteatur, debeat absolutè alios consulere præter confessarium. Secùs autem esset, meo iudicio, contra *Henriq.*, si pœnitens consuleret confessarium, ut postea apud ipsum confiteretur de ipsismet, quæ tunc illi aperit: quia tunc illa consultatio iudicatur confessio proximè inchoata, dùm facta est ad recipiendam ab eo ipso absolutionem (2).

151. — Quæritur 4. an teneatur ad sigillum qui legit chartam, ubi pœnitens scripsit suam confessionem? Affirmant *Spor. Ronc.* et alii pauci; tùm quia illa scriptura est proximè ordinata ad confessionem futuram; tùm quia manifestatio talis scripturæ redderet odiosam confessionem; sed negant communissimè, et probabiliùs *Sot. Nav. Suar. Bonac. Wig. Sayr. Laym. Coninch. Lugo, Castrop. Holzm. Viva, Elbel, Salm.*, etc., quia sigillum non contrahitur in præparatione ad confessionem, sed dumtaxat in confessione actuali aut proximè inchoata, ut superiùs diximus. Et cum scriptura ordinariè non sit necessaria ad confitendum, respondetur ad secundam rationem oppositam (pari modo ac responsum est in quæstione antecedenti) quòd timor revelationis scripturæ redderet odiosam scriptionem, non autem confessionem. Rectè tamen excipiunt 4. *Lugo*,

(1) *In 4. d. 21. a. 1. q. 3. v. Sed contra.* — (2) *Lib. 6. n. 649.*

Spor. Holzm., etc., si illa scriptura confecta esset à muto qui non posset aliter confiteri. 2. Si esset epistola ad Superiorem scripta pro obtinenda licentia reservatorum. 3. Si illa charta, ut rectè dicunt *Viva, Wigandt*, cum ipso *de Lugo*, esset consignata sacerdoti pro confessione facienda, quia tunc etiam habetur tanquam confessio inchoata; aut (addunt) si illa charta relicta esset casu in confessionali post factam confessionem. Cæterum extra hos casus, ut dicunt *Laym. Castrop.* et *Spor.* qui legeret hujusmodi scripturas (et tantò magis qui eas proderet) non potest excusari à peccato gravi, nisi sciret certò ibi contineri levissima peccata. Addunt ampliùs *Laym.* et *Spor.*, quòd peccata ibi contenta non possent revelari, nisi in casu maximæ necessitatis, ut esset ad salvandam rempublicam, aut vitam innocentis (1).

152. — Secundo loco adnotantur quæ cadunt sub sigillo, et sunt: I. Omnia peccata pœnitentis ab illo manifestata animo se accusandi (non autem si narrata fuissent per modum simplicis narrationis) etiam venialia licèt minima; nam in materia hujus sigilli certum est apud omnes non dari parvitatem materiæ; et hoc licèt pœnitens indispositus recessisset sine absoluteione (2). II. Peccata complicitis à pœnitente manifestata etiam sine necessitate (3): jam dictum est *præc. num. 41.* nunquam licere confessario interrogare pœnitentem de nomine complicitis. An cum licentia possit admonere complicitem; negant *Tamb.* cum *Vasq.* dicentes peccata complicitis etiam cadere sub sigillo sacramentali, adeò ut confessarius nequeat de illis loqui, non petità licentiã tam pœnitentis quàm complicitis. Sed affirmat vera sententia cum *S. Anton. Gers. Adri. Navar. Lugo, Ronc. Croix*, etc. nam sigillum sacramentale ad nihil aliud institutum est; nisi ut pœnitentes libenter se confiteantur, quin timeant ne futurum sit ut peccata sua sciantur. Nec valet dicere quòd aliàs confessio redderetur aliis odiosa; nam respondetur quòd illud tantum odium confessionis evitandum est, quod retrahit pœnitentes à confessione, non autem illud quod movet impios ad optandum ne eorum complices confiteantur. Cæterum confessarius non debet esse importunus in petendis licentiis replicatis petitionibus, nam illis licentiis quæ non sunt omninò spontanæ et plenè liberæ, etiam obtentis, ille nec uti poterit (4).

153. — III. Cadit etiam sub sigillo objectum peccati, v. g. si filius accusatur se odisse patrem, quia ille rixatus est:

(1) N. 650. — (2) *Lib. 6. n. 657.* — (3) n. 640. *ad II.* — (4) n. 641. *Dubit. 1.*

rixa patris esset objectum peccati, quæ rixa non potest manifestari à confessario, ut communiter *Filliuc. Viva, Renzi, Spor.*, et *Tamb.* probabiliter tamen hi duo postremi AA. dicunt, quòd si quis v. g. confiteatur se gavisum de homicidio in publica platea commisso, homicidium non caderet sub sigillo, quia tunc non censetur voluisse secreto ligare, quod publicè notum est. Cæterùm est regulariter accepta ab omnibus illa regula, quòd non cadunt sub sigillo omnia illa quorum manifestatio non inducit periculum revelationis directè aut indirectè, nec gravamen pœnitentis (1). IV. Pœnitentia imposita si illa est gravis, imò meliùs dicendum, si non est de minimis, quæ plerùmque solent imponi pro venialibus levissimis. V. Omnes circumstantiæ peccatorum etiam explicatæ post absolutionem, quoties illæ detectæ sunt in ordine ad confessionem; v. gr. si quis confiteretur Ordinibus initiatum fuisse cùm esset spurius, aut se jactasse pro docto cùm esset ignarus; ignorantia tunc et esse spurium cadunt sub sigillo. Et hoc currit etiam in dubio an circumstantiæ declaratæ sint nec ne in ordine ad confessionem, ut communiter dicunt *Suar. Bonac. Salm. Tamb. Croix*, et *Mazzotta* (2). Cæterùm rectè notant *Coninch. Tannerus.* et *Diana*, quòd non adest obligatio sigilli de illis quæ à pœnitente tantùm per accidens narrantur, et minimè ad confessionem vel ad peccatorum explicationem conferunt (3). VI. Cadunt sub sigillo revelationes, et virtutes, cùm deteguntur confessario ad manifestandum aliquem defectum commissum, aut propriam ingratitude erga Deum; secùs verò si manifestantur tantùm ut confessarius statum animæ suæ cognoscat. Ita scitè distinguunt *Lugo, Croix, Ronc. Mazzotta* et *Viva*. VII. Cadunt sub sigillo scrupuli, et scrupulositas, quam pœnitens in exponendis peccatis suis, vel in declaranda conscientia sua ostendit, ut rectè dicunt *Coninch. Lugo*, et *Granat.* contra *Marchant.*, quia saltem in obliquo est materia confessionis. Secùs autem esset, dicit *Lugo*, si scrupulositas non appareret ex pœnitentis relatione, sed appareret ex modo ipso confitendi; sed huic nec acquiescere valeo, dùm rationabiliter dicunt *Castrop. Hurtad. Coninch. Spor. Tamb.*, etc., quòd multi ægrè ferunt se haberi et vocari scrupulosos, præcipuè si sunt Prælati, et confessarii, aut iudices, etc.; quia esse scrupulosus saltem est defectus naturalis, cùm

(1) *Ibid.* Dubit. 2. — (2) *Lib. 6. n. 637. ad II.* — (3) *n. 641. v. III.* Pœnitentia. ad IV.

sit signum perplexæ et confusæ mentis, et tales defectus naturales per confessionem cognitos non licet propalare, ut mox dicemus. Quapropter ego non admitterem, nisi loquamur de secularibus, qui cum dicuntur esse scrupulosi potius laudantur, dum sic habentur timoratæ conscientiæ (1).

154. — VIII. Cadunt etiam sub sigillo (ut jam innuimus) defectus naturales pœnitentis, v. gr. quod sit surdus, balbutiens, pauper, ignarus, etc. quoties habetur eorum notitia ex confessione, ut dicunt communiter *Suar. Lugo, Busemb. Roncagl. Mazzot.*, etc. Et hoc etiamsi pœnitens exponeret tales suos defectus sine necessitate, sed solum ad meliorem suorum peccatorum explicationem, ut rectè notant *Lugo, Salm. Croix*, etc.; secus autem, ut subjungunt communiter iidem AA. citati, si illorum manifestatio nihil ad confessionem referret; nam tunc non censeatur pœnitens velle eos subijcere sigillo; imò etiamsi vellet subijcere, dico quod non posset, dum ille impertinenter eos manifestat (2) Quod dicunt *Lugo, Navar. Ronc. Mazzot.* et alii cum *Diana* (qui eam opinionem vocat communem, sed verum non est, ut videbimus) nec cadere sub sigillo defectus qui innotescunt ex ipsis actionibus pœnitentis, aut ex modo confitendi, v. gr. quod sit rudis, balbutiens, aut naturæ impatientis, irresolutæ, etc., quia tunc (ut loquuntur) non est quod manifestantur, sed committuntur in confessione; *Spor. Tamb. Conc. Antoine, Renzi*, etc. refellunt, dicentes quod quoties ipsi percipiuntur causâ peccatorum explicationis, propalatio eorum redderet odiosam confessionem: nec acquiescere valeo illi quod dicunt iidem AA. *Spor. Tamb. et Conc. cum Wigandt, et Viva*, quod non adsit sigillum pro talibus, defectibus, si à pœnitente referuntur, ita ut ex circumstantiis appareant communiter noti, quia tunc (ut dicunt) non præsumitur pœnitens eos narrare, nisi ut notos, dum rectè dicit *Holzlm.* eorum manifestationem posse aliquo modo retardare pœnitentes à confessione Nihilominus hoc intelligitur tantum pro iis defectibus quorum manifestationem ex se ægrè ferre potest pœnitens, ut esset dicere quod sit hebes mente, naturâ iracundus, rudis, incapax, pauper (si ille est civilibus natalibus); non verò cum sunt defectus qui rubori aut exprobrationi ei non sunt, ut est esse cæcus, surdus, mendicans, et hujusmodi, et contrâ jam communiter innotescunt. Nec etiam puto licere plerumque,

(1) N. 644. — (2) *Lib. 6. n. 642.*

contra id quod dicit *Lugo*, manifestare peccata commissa à pœnitente dùm confitetur, v. g. convicia illata ab eo in confessarium, et hujusmodi, quia in hoc indirectè manifestaretur aut absolutio denegata, aut aliqua vehemens objurgatio. Quod autem dicit *Roncagl.* quòd si pœnitens communiter nasceretur nimis prolixus, et molestus in confitendo, confessarius non frangit sigillum, si ab eo aufugeret, ut liberaretur ab illo tædio; hoc potest admitti, sed tantùm quando communiter unà simul ille pœnitens haberetur bonæ conscientiæ; secùs autem dicerem, si adesset suspicio quòd ejus conscientia sit gravata etiam culpis gravibus

155. — Loquamur hìc de illo casu facili eventu, sed qui apud AA. non invenitur discussus. Quæritur quid faciendum confessario, si quis confitendo confusè de materiis gravibus, et interrogatus à confessario de circumstantiis, et de habitu, cognosceretur esse surdus, dùm non respondit, aut respondit abs re; et contrà confessarius ob adstantes non posset vocem elevare? Ego sic dico: Si circa principium confessionis animadvertit pœnitentem esse surdum, tunc ei imponere debet ut tempore et loco opportune redeat, cùm non adsint qui eum audire possint; et interim potest circumstantibus indicare ejus surditatem, cùm illa est communiter nota. Sed si in progressu confessionis id animadverteret, tunc non potest confessarius clarâ voce ei imponere ut redeat, quia alii suspicionem ingereret illum de materia gravi confessum fuisse; ideòque in tali casu dicerem, quòd confessarius cùm peccata meliori modo quo possit, intelligere curaverit, absolutionem det pœnitenti absolutam, si probabiliter eum judicat dispositum; conditionatam, si de dispositione dubitat; et pœnitentiam in hoc casu debet adjungere levem, cùm alii eam audituri sunt (1).

156. — Tertio loco adnotamus casus ex quibus non oritur obligatio vel fractio sigilli. I. Cùm confessio fuit ficta, aut pravo fine facta, v. g. furandi, seducendi confessarium, aut ei illudendi. II. Si quis diceret aliquod, et se protestaretur id dicere sub sigillo confessionis, in hoc nunquam adest sigillum sacramentale, quia tale sigillum oriri nequit, nisi à solo Sacramento (2). III. Si confessarius dicit in generali confessionem fuisse de materia levi. Dico *de materia levi*, quia esset fractio sigilli dicere eam fuisse de pluribus venialibus, aut nominare

(1) *Lib. 6. n. 644 v. Petes hìc.* — (2) *n. 656.*

aliquam culpam; licet minimam, in particulari, cum in hoc sigillo non detur parvitas materiæ: ita communiter *Laym. Suar. Lugo, Salm.*, etc. (1). IV. Si laudat conscientiam pœnitentis, sed in hoc advertere debet, ne suspicionem det malæ conscientiæ aliorum qui eodem tempore forsitan sibi confessi essent. V. Si dicit se aliquem confessum fuisse, modò pœnitens ei non vetuisset ne se proderet; aut modò ille clam ad confitendum non venisset, ut advertunt *Navar. Busemb. Holzm. Sporer*, etc. VI. Si generaliter loquitur se audivisse tale quoddam peccatum in confessione, ita tamen ut moraliter non possit in pœnitentis cognitionem veniri; sed in hoc cæteroquin confessariis non modica cautio adhibenda est, præsertim loquendo in oppidis; quia sæpè ob circumstantias personæ, aut oppidi auditores facillè possunt venire in cognitionem, aut saltem in suspicionem pœnitentis. VII. Si utitur notitiâ habitâ extra confessionem, modò non manifestet aliquam circumstantiam ex sola confessione cognitam. Et in hoc etiam cautè præcedendum est, quia aliquando, si non est revelatio, saltem potest esse circumstantibus periculum scandali, cum apprehendere possint sic confessiones revelari (2). VIII. Si manifestat aliquid ex licentiâ pœnitentis, quòd certè licitum est, ut docent *Nav. Laym. Lugo, Conc. Wigandt, Roncagl.* et alii communiter cum *S. Thoma* (3) contra *Sotum, Durandum*, et alios pauciores, qui dicunt non posse pœnitentes hanc dare licentiâ; sed nos dicimus cum communi, quòd tale sigillum, sicut tantùm in pœnitentium favorem impositum est, ita ipsi possunt remove. Advertendum tamen, quòd ut confessarius uti possit tali licentiâ, debet esse 1. expressa; 2. omninò spontanea: undè non potest uti eâ, qui unquam eam obtinisset minis, aut metu reverentiali, ut esset si eam obtinisset replicatis petitionibus, postquam pœnitens in principio renuisset eam dare. Quapropter semper consultum est ut inducatur pœnitens ad loquendum extra confessionem de eo, quòd patefacere debet; 3. non sit revocata, quia pœnitens semper potest eam revocare: et idem putò currere, quando censetur pœnitens in alio casu, si adesset, fore ut eam revocaret, quia tunc uti tali licentiâ videtur fore ut redderet etiam odiosam confessionem. Advertendum hìc cum *Henriq. Grassiis*, et *Diana*, quòd in dubio an confessarius nec ne locutus fuisset de licentiâ, potiùs credendum est confessario,

(1) *Lib. 6. n. 640.* — (2) *n. 658.* — (3) *ln 4. Dist. 21. q. 3. a. 2.*

quam pœnitenti, aut ejus hæredibus, v. g. quando confessarius ex licentia pœnitentis detegit restitutionem faciendam. Præterea advertendum interdum talem licentiam facto concedi à pœnitente, nempe cum ille ex se de rebus in confessione manifestatis loqui incipit, ut comm. docent *Tann. Bon. Suar. Conc. Antoin. Roncagl. Buf. Salm.* et alii cum *Lugo*, qui præterea advertit quòd tunc perseverat jam judicium sacramentale, cum illa licentia censeatur moraliter conjuncta cum confessione facta (1). Jam dictum est *præc. n. 124.* nunquam licitum esse monere pœnitentem, non petita ab eo licentiâ de errore in confessione commisso. Licitum est tamen intra confessionem monere de omnibus defectibus commissis, et peccatis confessis etiam in præteritis confessionibus, ut communiter *Lugo, Salm. Wigandt, Conc. Antoine, Roncagl. Sporer,* etc (quicquid dicant *Diana et Fagund.*) quia sæpè pertinet ad confessarii officium meminisse rerum præteritarum, quoties censentur prodesse pœnitenti. Ne quis dicat pœnitentem retinere jus sigilli etiam in nova confessione, quam facit; imò dicendum est potius confessarium in actu confessionis habere jus dicendi quicquid prodest pœnitenti, et sciendi ea omnia, quorum notitia potest inservire ad melius monendum pœnitentem (2). Et hoc dicunt etiam communiter præfati AA. licere confessario hoc facere immediatè post absolutionem (3).

157. — Quarto loco notantur casus, quando læditur sigillum. Regula generalis est quòd læditur sigillum, quoties utitur confessione, directè vel indirectè revelando peccatum, aut in pœnitentis gravamen. Sed descendamus ad casus particulares. I. Frangit sigillum, qui diceret se in tali monasterio audivisse peccatum grave cujusdam Religiosi, aut diceret quòd ibi committuntur peccata gravia, licèt personam reticeret, quia tunc quilibet ejusdem monasterii damnum pateretur; ita communiter *Suarez, Busemb. Diana, Conc. Castr. Laym.,* etc., quidquid dicant *Escob. Henriq.* etc., idem dicit *Diana* cum *Maldero*, si diceret se audivisse peccatum alicujus Religiosi talis ordinis. Sed probabiliter huic contradicit *P. Conc.*; dum hoc dicere non censetur sigilli revelatio, nec gravamen pœnitentis, nam in quolibet ordine communiter adsunt Religiosi pravi; modò illa non esset religio strictæ observantiæ (4). Dicit etiam *Diana* quòd confessarius alicujus monasterii Monialium scandalum afferret, si concionando nominaret defectus in confessione

(1) *Lib. 6, n. 651.* — (2) *n. 655.* — (3) *n. 652.* — (4) *Lib. 6, n. 654. v. Dubit. 2.*

auditos. Sed hoc etiam intelligendum est cum grano salis, nempe in casu quo nominaret aliquam culpam particularem alicujus Monialis, aut illius monasterii; secus autem si loqueretur in communi de defectibus quæ communiter in omnibus monasteriis committi solent aut possunt; aliàs qui audit confessiones in monasteriis, nunquam posset ibi concionari; quod dicendum non est, et communiter oppositum fert usus, et constat ex cap. *Si sacerdos*, afferendo *num. seq. (1)*.

158. — Quæritur autem an frangat sigillum qui diceret in tali oppido committi talia peccatorum genera, quæ ipse audivit in confessione? Negant *Navar. Ren. Fagund.*, etc.; sed communissimè et meritò affirmant *Suar. Bonac. Tamb. Laym. Lugo, Con. Diana, Viva, Castrop.*, etc., si locus est parvus; quia tunc revelatio, cum redundaret in infamiam communitatis, redundaret etiam in gravamen pœnitentis. Secus autem si oppidum est magnum, et delicta sunt publica, ut dicunt iidem AA. *Lugo, Conc. Viva*, etc. cum *Petrocor. et Habert*, qui rectè hoc permittunt tunc etiam concionatoribus, modò non manifestent vitia, contra quæ invehuntur, se audivisse in confessione; et modò non descendant ad circumstantias particulares, et disserant in generali, ut dictum est cap. *Si sacerdos, de offic. jud. ord.*, ubi hoc habetur: *Si sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicujus criminis, vel sic confessus fuerit... non debet eum arguere nominatim, sed indeterminatè (2)*. Dubium tamen restat quodnam oppidum dicatur parvum, et quodnam magnum. Ego sic dicerem, sicut aliorum etiam cœpi consilium, ut dici possit: *Hic regnat*, v. g. *blasphemia*, requireretur ut oppidum constaret saltem tribus millibus personis circiter; sed minùs si tantùm diceretur: *Hic committuntur multa peccata gravia*, quin nominentur in specie. Ut nominetur autem aliquod peccatum afferens infamiam, (quod tamen esset etiam publicum) meo iudicio requiritur ut oppidum sit valde populo frequens, v. g. 6. aut 7. millibus animarum. Si concionator verò haberet notitiam peccatorum extra confessionem, potest majore libertate loqui; sed pariter cautione utendum est, ne suspitionem revelationis ingeret illis qui ei confessi sunt (3).

159. — Frangit sigillum qui utitur notitiâ confessionis ad externam gubernationem in pœnitentis gravamen. Hoc est contra id quod scribit *Sambovius*, innixus multis AA. antiquis *Adrian. Valent. cum S. Bonavent et S. Thoma (4)*.

(1) *N. 654. sub. init.* — (2) *Ibid. v. Dubit. I.* — (3) *Lib. 6. n. 654. v. Dubit. I.* — (4) *Suppl. q. 11. a. 1. ad. 3.*

Sed Clemens VIII. Decr. 1594. die 26 Maji hoc prohibuit dicens : *Tam Superiores pro tempore existentes, quàm confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eà notitiã quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Et licèt hoc Decretum fuerit editum tantùm pro regularibus Prælatiis, rectè tamen *Croix*, et *Holz.*, quicquid dicat *Habert*, tenent extendi etiam ad sæculares, cùm certè ratio currat etiam de ipsis, nempe quia aliàs confessio redderetur odiosa. Præterquam quòd clarius hoc factum est ex alio Decreto S. C. publicado ex mandato Innoc. XI. anno 1682. quo sequens propositio damnata fuit : *Scientiã ex confessione acquisitã uti licet, modo fiat sine directã aut indirecta revelatione, et gravamine pœnitentis; nisi* (en quod damnatum fuit) *aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur.* Deindè statuit : *Mandantes etiam universis Sacramenti Pœnitentiæ ministris, ut ab ea* (doctrina) *in praxi deducenda prorsùs abstineant.* Itaque ex præfato Decreto vetitum est uti notitiã confessionis in pœnitentis gravamen, licèt ex non usu majus damnum ei eveniret. Hinc rectè dicunt *Croix*, *Viva*, *Holz.* et *Mazzot.* (contra id quod etiam dicit *Sambov.* cum *S. Anton.*) numquam licere ex notitia confessionis removere indignum ex officio, aut ei negare suffragium ad electionem officii, aut beneficii, aut negare ei Sacramenta, aut à servo auferre claves, aut præteritã benevolentiæ communicatione privare, aut ei torvum oculum ostendere, claves arcæ abscondere, fores claudere (1). Ita nec etiam licitum est (nec clam) negare communionem pœnitenti, aut eum monere, postquam ei denegata fuit absolutio, ut diximus præc. n. 124., et ut hìc dicunt communiter *Tourn. Conc. Mazzot. Croix, Holz., etc.* contra *Petroc* qui pro se citat *S. Bonavent. S. Thomam, S. Antonin.* et alios, qui olim tenebant posse negari; sed hodie oppositum certum est ex Decr. Innoc. XI. superiùs relato. Dicunt contrã *Castr. Bon Habert, Ant., Spor., etc.* posse confessarium ex notitia confessionis cautiorem se reddere in custodiendis bonis, et in socordia sua removenda, modò non ingeratur suspicio peccati, nec adsit exprobratio aliqua pœnitentis; et huic adhæret *S. Thomas* (2) dicens : *Potest* (confessarius) *dicere prælato, quòd diligentius invigilet, ita tamen quòd confitentem non prodat.* Sed hæc omnia reprobant *P. Conc.* et non immeritò, dùm

(1) Lib. 6. n. 651. — (2) Suppl. q. 11. a. 1. ad. 1.

hæc in praxim deducendo difficulter quis evitare potest omne periculum revelationis aut gravaminis. Cæterum advertendum 1. regulam ab omnibus acceptam esse, etiam à *P. Concina*, licere uti notitiâ confessionis, quoties non subest nec gravamen, nec revelatio; undè benè potest confessarius ex illa mores suos componere, pro pœnitente orare, humanius cum eo tractare, casui studere, in interrogationibus se dirigere, aut instruere, aut alios monere in generali, ab aliquo damno cavere (1) Et ita etiam dicimus quòd, sublato periculo revelationis aut gravaminis, confessarius sciens pollutam esse ecclesiam, potest, imò debet abstinere à celebratione, ut dicunt *Lug. Aver. Tamb. contra Coninch. Sporer. Silvest.*, etc. (2). Advertendum 2. quòd si quis prætenderet beneficium, et Superior extra confessionem sciret ipsum esse indignum propter aliquem defectum ætatis, aut scientiæ, etc. non solum potest, sed etiam debet ei denegare suffragium, licet ex confessione cognovisset aliquod ejus crimen, ut dicunt *Merbes. Natal. de Alex. et Petroc. cum S. Thoma* (3). Nec obstat quòd pœnitens tunc posset suspicari ex confessione ei denegari beneficium, quia licet adsit obligatio vitandi rationabiles suspiciones, non autem suspiciones, et conjecturas leves et irrationabiles, quasi facilè callidi suspicantur, ut docent *Lugo cum Medin. Castr. Scot. et Croix, cum Gob. Tamb. Gorm et S. Thoma* (4) qui dicit: *Si amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad aliquam (nota) probabilem suspicionem habendam de ipso, nullo modo Prælati debet subditum remove* (5).

160. — Dicit *Roncaglia*, et meritò, quòd si confessarius cognoverit ex confessione, aliquem esse malæ conscientiæ, non potest ideò (sine alia causa sufficiente) se excusare ab eo audiendo, si ille iterum redit ad confitendum, quoties ex excusatione aliis ingeret suspicionem; secus autem dicendum, si confessarius esset solus, et aliquo prætextu abiret, aut se excusaret ne eum audiret. Sed huic ultimo acquiescere nequeo, quia talis fuga aut excusatio redderet confessionem odiosam tam pœnitenti, quàm aliis in genere; nam si fideles scirent confessarios ex notitia confessionis posse prætextus fingere ut eos aufugiant, hoc eis occasio esset ut confessionem odio haberent. Undè dico quòd in tali casu confessarius tunc tantum potest pœnitentem non

(1) *Lib. 6. n. 657. v. Communiter.* — (2) *n. 660.* — (3) *In 4. d. 22. q. 5. a. 1. ad 4. et vide lib. 6. n. 657. v. Si verò.* — (4) *Quodlib. 5. a. 15.* — (5) *Lib. 6. n. 661.*

audire, cum jam prius ex alio motivo statuerat aliam non excipere confessionem (1).

161. — Quæritur 1. an confessarius possit se cavere ab aliquo damno sub aliquo prætextu, si cognoscere ex confessione sibi parari insidias in vitam et bona? Si abest revelatio sigilli et pœnitentis gravamen, proculdubio potest; sed dubium restat, utrùm possit, quando ex confessarii actionibus insidias parantes argumentari possent confessionem factam à complice de insidiis paratis? Permittunt *Castrop. Wig. Laym. Petroc.*, etc. quia tunc, ut dicunt, confessarius non revelat peccatum confessum, sed tantum confessionem peccati factam. Sed miritò negant *Lugo, Sanch. Ronc. Salm. Mazzotta*, etc., quia tunc semper intervenit revelatio indirecta, dum, talibus circumstantiis positus, non tantum revelatur confessio, sed indirectè etiam peccatum confessum, aut saltem præbetur rationabilis suspicio.

162. — Quæritur 2. an cum confessarius requisitus est de schedula confessionis. possit eam exhibere pœnitenti non absoluto? Diversæ adsunt sententiæ, sed communior et probabilior cum *Laym Ronc. Croix, Spor. Elbel, Holzm.*, etc. (contra *Bonac. et Lugo*) ita distinguunt: Si schedula loquitur de sola confessione, illa non debet negari; quia si negaretur, ex una parte revelaretur pœnitentis indispositio; ex alia, si concederetur, non jam testificaretur absolutio data, sed tantum confessio facta, quæ jam reverà facta est. Secus autem, si confessarius deberet scribere schedulam, quod pœnitens sit absolutus; quia tunc non obstat sigillum, cum mendacium juxta omnes sint intrinsicè malum, et in nullo casu dicendum est. Attamen si schedulæ essent jam impressæ, et ibi assereretur etiam absolutio data (quod à Prælatiis permitti nunquam deberet), tunc mihi videtur probabile cum aliis (quos consului), licitè posse eam præberi etiam non absolutis, saltem cum palàm eam petunt, quia tunc confessarius nec dicit nec scribit aliquod mendacium, sed tantum facit illam actionem præbendi schedulam, quam cæteroquin negare non potest, quin pœnitentis indispositionem manifestet (2).

163. — Quæritur 3. an confessarius possit vitare pœnitentem qui ei minatur mortem, ob absolutionem quæ ei denegatur? Respondetur cum *Lugo*, et *Ronc.* quod benè potest ab eo aufugere, quoties non datur aliis suspicio denegatæ absolutionis; nam illæ minæ jam non sunt con-

(1) N. 659. v Notand. sub fin. — (2) Lib. 6. n. 639.

fessio, aut peccata narrata in confessione; sed sunt peccata commissa intra confessionem. Quòd si non posset aufugere quin suspicionem istam ingerat, tunc pro absolute re-citare potest aliquam orationem. Nec obstat dicere quòd ista videretur simulatio administrationis Sacramenti; quia tunc eveniret simulatio, quando diceret illam orationem, ut crederetur absolutio; secùs verò cùm profert tantùm ut liberetur ab illa vexatione. Posset etiam, ut dicit *P. Cardenas*, ut liberaretur à vexatione, proferre formam ita: *Ego te non absolvo*, prolato verbo non submissâ voce: vide dicenda in *Tom. III. Append. III. de exam. Ordinand. n. 16. (1)*.

164. — Quæritur tandem 4. an liceat in hac materia sigilli uti opinione probabili? *Gobat. Croix, Diana*, etc. dicunt tantùm expedire ut teneantur opiniones quæ magis favent sigillo: sed meliùs dicit *P. Viva*, non licere uti scientiâ acquisitâ per confessionem; nisi quando moraliter certum est, aut saltem probabilissimum (adeò ut oppositum non sit probabile) non adesse aliquam fractionem sigilli, aut aliquod gravamen pœnitentis. Et duplici ratione hoc asserit: primò quia sic requirit reverentia debita Sacramento; sed hæc ratio sufficienter non convincit, dùm dicunt multi graves AA. *Pontius, Sanch. Salm. Vasq.*, etc. non deberi majorem reverentiam quàm probabilem tam præceptis divinis, quàm Sacramentis. Secundo propter periculum gravaminis pœnitentis, quia etiam gravamen probabile odiosam reddit confessionem. Hæc ratio est valdè fortis, et effecit ut à prima sententia ad hanc venirem; quandoquidem ex una parte non licet uti opinione probabili in præjudicium juris certi quod possidet proximus, ut jam dictum est *Tom. I. Tr. I. n. 21.*; ex alia parte certum est quòd pœnitens possidet jus ne gravetur ex sua confessione; quare non licet confessario uti aliquâ opinione, quæ potest afferre probabile gravamen pœnitenti (2).

(1) N. 659. — (2) *Lib. 6 n. 6 5.*

CAPUT IX.

DE SOLLICITATIONE IN CONFESSIONE.

Bulla Gregorii XV. 165. Punct. I. Claus. I. In actu, etc. 166. Claus. II. Sive antè, etc. 167. Claus. III. Occasione confessionis 168. Prætextu confessionis 169. Claus. IV. Extra confessionem, etc. An requiratur simulatio, etc. 170. Punct. II. Casus in quibus denunciandum est 171. Casus in quibus non 172. Si mulier sollicitat confessarium 173. An confessarius divertens ad tactus, etc. 174. Si emendatus, etc. 175. Punct. III. An pœnitens possit absolvi antequam denuntiet? et an teneatur epistolâ, etc.; et si, cùm possit eâ se, repugnet, etc. 176. De excommunicatione quam incurrit 177. Si admonitio non est profutura 178. Debet fieri denunciatio, licèt non probetur, etiam ab aliis qui sciunt, etc.; et licèt sit occulta sollicitatio 179. Punct. IV. Quid si sollicitatio dubia 180. Qui laudat pulchritudinem, etc. 181. Casus particulares 182. De inhabilitate sollicitantium ad celebrandum 185.

165. — Ex Bulla Gregorii XV. tenentur confessarii ad monendos pœnitentes de obligatione denunciandi Episcopis illos sacrilegos confessarios qui eos ad turpia sollicitassent. Primùm omnium juvat hîc adnotare verba præfatæ Bullæ, anno 1622. *Omnès sacerdotes, tam sæculares, quàm regulares, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta inter se, sive cum aliis quomodolibet in actu sacramentalis confessionis, sive antè, sive post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, etiam confessione non secutâ, sive extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel procurare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. Et indè subjungitur: Mandantes omnibus confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse, ut suprâ, ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu tractantes, etc. inquisitoribus, et locorum Ordinariis.*

PUNCTUM I.

Expenduntur clausulæ appositæ in Bulla Gregorii.

166. — CLAUSULA I. *In actu sacramentalis confessionis.* Ad hoc sufficit ut confessio inchoata sit, licèt non perfecta. Et hîc nota denunciandum esse confessarium qui intra confessionem daret chartam pœnitenti, in qua ad venerea eam incitaret, ut habetur ex propositione 6. da-

mnata ab Alexandro VII; idem currit si in confessione diceret pœnitenti ut expectet domi: aut si interrogasset ubi habitet, et deindè ad eam accederet et sollicitaret, quoties ex circumstantiis dignosceretur quòd interrogatio facta sit fine sollicitationis; ita rectè dicunt *Bonac.* et *Bordon.* (1).

167. — Clausula II. *Sive antè, sive post immediatè.* Illud *antè immediatè* intelligendum est ita strictè, ut nullum intercedat intervallum inter sollicitationem, et confessionem, ut communiter dicunt *Bos. Passer.* et *Delben.* apud *Ronc.* Si autem, dùm mulier ante sedem confessionalem confessura manet, confessarius non casu, sed ex proposito manibus aut pedibus eam tangeret, certè denuntiandus esset. Si verò confessarius eam sollicitasset occasione quòd pœnitens petiisset ab eo confiteri, dicimus cum *Bordon.* (contra *Salm.*) non propter hanc clausulam denuntiandum eum esse, sed per clausulam III. *Occasione confessionis*, quoties confessarius uteretur illâ petitione ad eam sollicitandam; secùs verò cùm uteretur eâ tantùm ad colloquendum, et deindè tentatus sollicitasset (2). Pariter illud *post immediatè* intelligitur quando nulla alia intermediat actio, ut communiter *Salm. Potestas, Hurtad. Peyr.*, etc. Hinc dicit *Potestas*, quòd cùm pœnitens jam discessisset à confessionali, et hic postea eam sollicitaret, non est denuntiandus; sed si immediatè post confessionem ei diceret: *Expecta paulisper*, et post aliquod intervallum (non autem die sequenti) accederet, et eam sollicitaret, tunc denuntiandus est, licèt in principio de alio negotio tractaret, quia tunc ille tractatus prudenter præsumitur fictus. Nihilominùs quidam Doctor hoc negabat, et non abs re, si illud negotium, de quo in principio loquitur confessarius, esset magni momenti, et prætextus non appareret. Proculdubio denuntiandus est, si diceret pœnitenti: *Hodie me expecta domi tue*, et postea nullâ occasione negotii magni momenti eam sollicitaret. Idem currit, si statim à confessione in aliquem locum secretum conduceret. Idem, si immediatè post confessionem illâ accedente ad sibi deosculandum manum, ipse malitiosè adstringeret manum illius (3).

168. — Clausula III. *Occasione, vel prætextu confessionis.* *Occasio* intelligitur quando confessarius invitat pœnitentem, vel pœnitens confessarium ad veram confessionem: *Prætextu* verò ad confessionem fictam. Et 1. in

(1) L b. 6. n. 676. — (2) n. 677. — (3) Lib. 6. n. 677.

quantum ad *occasionem*, si confessarius requisitus à pœnitente ad excipiendam ejus confessionem, sermonem aliò diverteret, et eam sollicitaret, jam ex hac clausula denunciandus est, licet non adhuc in confessionali sedisset, nec mulier genuflexisset, ut dicunt communiter *Castrop. Salm. Ronc. et Potestas* (1). Idem hoc currit, licet mulier peteret crastino confiteri, ut rectè dicunt *Conc. et Mazz.* contra *Quarti et Leand.* Nec obstat dicere quòd talis sollicitatio non est proxima ad confessionem, quia jam verificatur quòd sit prætextu confessionis (2). An autem denunciandus sit confessarius quia ob peccatum auditum à pœnitente postea accedit domum ejus ad ibi eam sollicitandam: negant *Nav. Trullench. Salm, etc.*, quia tunc (dicunt) confessarius non utitur occasione confessionis, sed tantum notitià in confessione habità. Sed probabilius affirmant *Roncagl. Conc. Mazzotta, Potestas, Bordon. Lezan.*, quia reverà tunc jam occasione confessionis sollicitat, cum sollicitatio impulsum habeat à confessione; et rationabiliter præsumitur confessionis notitià ad sollicitationem usum fuisse, cum, audità mulieris fragilitate, interrogat v. g. de ejus habitatione, si ibi sola moretur, etc., aut ut dicit *P. Conc.*) si confessarius cum tali pœnitente nunquam antea familiariter usus esset, et postea cognitâ ejus levitate, accederet sollicitaturus, aut litteris sollicitaret, aut requisitus de confessione, promitteret se eam auditorum, modò illa pravo suo desiderio consentiat (3).

169. — II. In quantum ad *prætextum* confessionis, certè denunciandus est confessarius qui prius exposceret pœnitentem, an velit confiteri, et postea eam sollicitaret, ut rectè dicunt *Conc. Ronc. Bordon. et Mazzotta*. Secus verò qui licentiam à Superiore peteret ut in domum mulieris se conferat prætextu confessionis, sed finis esset eundi ad eam tentandam, ut rectè dicunt *Salmant. Roncagl. Bordon. et Tancred.*, quia tunc confessionis prætextus non est respectu pœnitentis, sed Superioris. An debeat denunciari confessarius qui cum pœnitente convenit, ut se infirmam simulet, et prætextu confessionis ad se eum advocet; affirmant *Fag. Mazz. Conc.*, etc.; sed communiùs et probabiliùs negant *Ronc. Escob. Bordon. Diana, Leand. Trullench.*, etc., quia non est quòd tunc fiat sollicitatio prætextu confessionis, sed sub tali prætextu executioni mandatur eorum indigna conventio; adeoque prætextus non inservit ad sollicitandum, sed ad domesticis illuden-

(1) N. 678. — (2) *Ibid.* Dubit. 1. — (3) *Lib. 6. n. 678.* Dubit. 2.

dum, ne de malo suspicientur. Tantò minùs mulier teneretur ad denuntiandum, si illa prætextu confitendi confessarium sollicitaret, et ille consentiret. Secùs autem esset, si confessarius mulierem sollicitasset, licèt extra confessionem, sed illà repugnante ob timorem ne videretur, confessarius ei insinuaret, ut se simulet ægrotam et tali prætextu illum ad se advocet; quia tunc rectè verificatur quòd prætextus confessionis sit motivum quo ille ad sollicitandum pergat, et consensum mulieris obtineat. Ita etiam puto denuntiandum fore confessarium vocatum à matre ad audiendam confessionem filiæ, et ille sub tali prætextu accedit ad colloquendum cum filia pravo fine, et eam sollicitat. Ita etiam censeo denuntiandum esse eum qui vocatur ad absolvendam mulierem sensibus destitutam, et ille sub tali prætextu, sive occasione accedit ad eam, et inhonestè eam tangit. Item dicendum cum *Escob* et *Diana* de confessario qui in confessionali, aut in alio loco electo ad audiendas confessiones, pro audienda confessione, ut simulat, sollicitat pœnitentem (1).

170. — Clausula IV. *Extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.* Notant *Escob.* et *Ronc.* quòd illud *simulantes ibidem confessiones audire*, intelligitur quandò tam mulier simulat confiteri, quàm confessarius audire confessionem, inferentes id ex verbo *simulantes* quod comprehendit utrumque. Sed meliùs dicunt *Castr.* *Trullench.* *Fagund.* et *Diana*, quòd ut denuntiandus sit, sufficit quòd confessarius maneat in confessionali, aut in alio loco electo ad audiendas confessiones, et ibi muliere genuflexâ ipse eam sollicitat; nam tunc facto ipso confessarius jam simulat confessionem, dùm ita sufficienter efficit, ut adstantes credant quòd mulier confiteatur. Secùs autem esset, si extra confessionalem sedem eam sollicitaret, dùm illa sistit, aut sedet (2). Dictum est *extra confessionalem*; sed hìc suboritur aliud dubium, an sit, denuntiandus qui sollicitat, aut tractat de turpibus in confessionario, confessionem non simulando? negant *Castr.* *Escob.* *Ronc.* *Salm.*, etc. ratione ductâ ex verbis in Bulla; *In confessionario, aut in loco quocumque electo, simulantes ibidem confessiones audire.* En igitur (dicunt) quòd

(1) N. 679. — (2) Lib. 6. n. 680.

præter confessionarii locum, requiritur etiam simulatio. Sed probabilius dicimus cum *Potestate, Diana, Conc.* et *Mazzol*, quòd si confessarius sollicitate extra confessionarium, tunc, ut denuntiandus sit, requiritur simulatio confessionis; sed si ille sollicitat in confessionario, sufficit ut adsit solus tractatus inhonestus. Et hoc probatur ex Decr. Pauli V. 10. Julii 1614. quo præcepit procedi in confessarios, *qui tractant cum mulieribus in confessionali, extra occasionem confessionis, de rebus inhonestis*. Itaque juxta hoc Decretum non requiritur jam aliqua simulatio. Opponitur quòd hoc Decretum jam moderatum sit à Greg. suâ Bullâ; sed respondetur quòd nullum Decretum censetur revocatum, nisi subsequens sit omninò oppositum, adeò ut non possit aliter explicari; sed hic rectè potest explicari Bulla Gregorii, quòd simulatio non requiritur respectu confessionarii, sed alterius loci ad confessionem electi, dùm verba *simulantes ibidem*, apposita sunt immediatè post verbum *electo*. Additur quòd juxta aliud Decretum inquisitionis rom. relatum in Opere, præcipitur denuntiatio omnium illorum *qui abusi sunt Sacramento Pœnitentiæ, confessionem, aut confessionarium adhibentes ad fines inhonestos* (1).

PUNCTUM II.

Qui denuntiari debent

171. — HODIE ex Bulla *Sacramentum* Benedicti XIV. 1741. (quicquid ante illam dixerint nonnulli AA.) omninò denuntiandi sunt confessarii sollicitantes: 1. Licèt jurisdictione privati sint. 2. Licèt sollicitatio fuerit mutua. 3. Licèt pœnitens consenserit (et hic advertendum quòd juxta Decretum relatum in Opere (2) pœnitens quæ consentit, non tenetur delictum suum aperire, imò super illud nec debet interrogari.) 4. Licèt sollicitatio multo abhinc tempore evenerit (3). Item ex Bulla Gregorii XIII. denuntiandus est laïcus qui se simulat confessarium et sollicitat (4). Insuper denuntiandus est confessarius sollicitans, licèt de tali delicto aliundè fuerit accusatus, convictus, et in eum animadversum sit, ut rectè dicunt *Bonac. Diana, Salm.*, etc. contra aliquos (5). Præterea proculdubio denuntiandus est qui pœnitentem sollicitat, ut ipsa seducat aliam ad secum peccandum; et hoc tum ratione Decret.

(1) *Lib. 6. n. 680. r. Dixi.* — (2) *n. 681. et 700.* — (3) *n. 687. Quær. IX.* — (4) *n. 688.* — (5) *n. 687.*

allati n. 170. in fine, tùm ex Bulla Greg. qui imponit denuntiandos omnes, qui in confessione personas ad inhonesta inter se, sive (nota) cum aliis quomodolibet... sollicitare... tentaverint. Et idem currit, si confessarius in confessionali tractaret ut pœnitens cum alio peccaret, uti constat ex præfata Bulla *Sacramentum*, ubi imponitur denuntiatio, licèt sollicitatio non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit (1).

172. — Contrà non adest obligatio denuntiandi 1. confessarios qui sollicitant ad alia peccata non inhonesta, ùt communissimè, et rectè dicunt *Castrop. Bonac. Holzm. Ronc. Mazzotta*, etc. contra paucos; quia talis obligatio nullibi expressa legitur. Nec obstant verba Bullæ, *illicitos et inhonestos sermones, sive tractatus*, adversarii opinionem suam firmando super verbo *illicitos*, quia respondetur quòd utrumque verbum *illicitos, et inhonestos* ad idem refertur, sicut apparet ex contextu totius Bullæ (2). 2. Defunctos, nam pro ipsis omninò cessat finis tam emendationis, quàm animadversionis (3). 3. Pœnitentes qui sollicitant in confessione, ùt communiter docent DD. contra *Caramuel.*, me quidem admirante, nam in aliis est ita benignus, ne dicam laxus, et hìc tam severus, sed præter rationem, dùm pro legibus pœnalibus regula communis est quòd illæ non se extendunt ad casus similes. Neque hìc certè eadem currit regula de pœnitentibus ac de confessariis, propter multa motiva quæ patent, et præcipuè propter suspicionem quæ intervenire posset revelationis sigilli, si confessarii denuntiassent pœnitentes (4).

173. — Sed quæritur 1. an mulier quæ sollicitavit confessarium teneatur illum denuntiare, si ipse consensum præstitit. Affirmant *Ronc. Felix, Potestas, Salm Mazz.*, etc. dicentes quòd ex Bullæ sensu debet imponi pœnitentibus denuntiare non tantùm confessarios sollicitantes, sed etiam illos qui in confessionali habent tractatus turpes. Sed negant *Bonac. Castropal. Hurtad, del Bene, Trul.*; et *Diana* vocat hanc opinionem probabilem, et tutam; et adhæret etiam *Ronc.* dicendo cum *Bordon.* quòd per tractatum inhonestum intelligitur ille, cujus auctor est confessarius; sed ratio, quæ mihi validior pro hac tuenda sententia videtur, est quòd in Bulla Gregorii illis solis pœnitentibus debent confessarii imponere onus denuntiationis, quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos. Pœnitentes sollicitantes dici non possunt sollicitati; undè ex verbis

(1) N. 691. Quær. XIII. — (2) Lib. 6. n. 684. — (3) n. 692. — (4) n. 689.

Bullæ videtur deduci, quòd mulier sollicitans potest, si vult, denuntiare confessarium, sed ad id non tenetur: tùm quia in eo casu faciliter se exponit periculo, ne infamia propria manifestetur à confessario denuntiato: tùm quia non præsumitur Pontifex voluisse imponere mulieri, quæ sollicitavit confessarium, onus tam grave ut ipsamet debeat eum accusare, ideòque Pontifex expressit illa verba, *quos noverint sollicitatos*. Quidam dicere voluit hanc opinionem postea fuisse reprobata à Benedicto XIV. in Bulla *Sacramentum*, data 1. Jun. 1741.; sed perperam hoc venditat, (§. 2.) dùm Pontifex nihil aliud dixit, nisi quòd debeat denuntiari, *licet sollicitatio inter confessarium et pœnitentem mutua fuerit*. Sed magni interest inter mutuam sollicitationem, et illam pœnitentis, cui confessarius consentit; dùm DD. rectè distinguunt primum à secundo casu, ut videre est apud *Potestatem* (1), ubi dicunt sollicitationem mutuam evenire, cùm confessarius sollicitatus à pœnitente ad unam inhonestatis speciem, ipse sollicitat eam ad aliam, ut dicetur numero sequenti; aut cùm confessarius sollicitatus in principio dissentit, aut sermonem aliò divertit, et postea aliquo intervallo elapso eam sollicitet; et in his casibus mutuae sollicitationis; dicebant plures AA. *Castrop. Peyrin. et Acuma*, quòd non aderat obligatio denuntiationis: sed hæc opinio est illa quam damnavit Benedictus. Et meritò, nam in talibus casibus jam verificatur quòd pœnitens verè sollicitata fuerit; sed in nostro casu quando confessarius simpliciter consentit, non verificatur, nec potest dici mulier fuisse sollicitata. Quando autem confessarii coöperatio dicenda sit vel simplex consensus, aut etiam sollicitatio, hoc pendet à circumstantiis, à discursu, et facto, quæ inter ipsum et pœnitentem intercedunt (2).

174. — Queritur 2. an denuntiandus confessarius, qui sollicitatus ad copulam, divertit ad tactus? Affirmant *Salm. Leand. et Diana*; sed probabiliter negant *Castropalaus, Escob. Hurtad. Trullench.*, etc. Ratio, quia mulier ad copulam sollicitans virtualiter provocat eum ad tactus, qui in copula continentur, atque ordinariè ad copulam præmittuntur; undè tunc verè accidit, quòd confessarius (ut mox supra dictum est) non sollicitat, sed sollicitatus consentit. Secùs tamen (ut rectè ajunt *Castrop. et alii*) dicendum, si ille sollicitatus ad fornicationem, diverteret ad

(1) *Tom. 2. de Denunc. n. 581.* — (2) *Lib. 6. n. 681.*

sodomiam, vel contrà; quia istarum turpitudinum una non continetur in alia (1).

175. — Quæritur 3. an debeat denunciari confessarius sollicitans jam emendatus? Negant *Sotus, Molfes. Lugo, Castrop. Sor. Escob. Fagun. Trullen. Hurt.*, etc.; et hæc opinio probabilis appellata est à *P. Viva*, et ab *Instructore*, etc. Ratio est (ut dicunt) quia tunc cessat finis principalis denuntiationis qui est emendatio rei. Dicunt autem signa emendationis esse 1. Si multo abhinc tempore non ampliùs mulierem tentavit, licèt hæc pluries ad eum regressa esset. 2. Si per tres annos benè vixit. 3. Si Religiosus factus est. 4. Si habetur pro viro rectæ conscientiæ, et vix semel atque iterùm in id prolapsus sit, aut si senex factus est, aut si post sollicitationem statim se pœnituit. Advertit tùm *P. Viva* ea signa non sufficere, nam ipsa debent emendationis iudicium moraliter certum constituere. Sed hoc non obstante, ego cum *Suar. Azor. Salm.*, etc. iudico absolutè probabiliorem sententiam oppositam, nempe quòd etiam emendati denunciandi sunt, quia Ecclesia in tali delicto non solùm requirit rei emendationem, sed etiam animadversionem ad aliorum exemplum (2).

PUNCTUM III.

Quis tenetur ad denunciandum.

176. — ANTEQUAM ad punctum descendamus, tria notabilia advertere oportet: primum quòd pœnitentes sollicitati absolvi nequeunt, antequam fiat denuntiatio; et si fortè justo detinentur impedimento, debent saltem promittere quamprimùm id se esse facturos. Notanda sunt verba Bullæ *Sacramentum* Benedicti XIV. ubi clariùs id exprimitur: *Caveant diligenter confessarii ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi priùs, denuntiationem ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se, cùm primùm poterunt, delaturos spondeant ac permittant* (3). Sed hìc dubitatur an pœnitens, qui personaliter non potest denunciare, teneatur id facere per litteras aut per alios? Affirmant *Salm.* et huic opinioni adhæreo ego etiam cum *Viva*, et *Ronc.* (quicquid dicant alii), quoties moraliter non adsit periculum infamiæ: quia

(1) n. 682. — (2) *Lib. 6. n. 686.* — (3) n. 695.

pœnitens tenetur tali debito, modo quo potest, satisfacere; undè si personaliter non potest, tenetur saltem per litteras. Nec obstat quod dicitur *Tr. XX. n. 44.*, nempe quòd si pœnitens habens casum reservatum est impeditus, ut se præsenteret Superiori, non tenetur per epistolam; quia ibi obligatio est adeundi personaliter Superiorem, ut ab eo recipiat monitionem; sed hæc obligatio, juxta verba Pontificis, est ut tantùm Prælato indicet delinquentem, ut remediis opportunis damno, quod ille afferre potest, consulat (1). Hæc autem denuntiatio per litteras, si Episcopo eam deferre nolit, potest mitti Romam. Confessarius autem, si ipse denuntiationem ex auctoritate Episcopi excipere velit, si eam nequit scribere, satis, erit ut Prælatum certiores faciat de confessarii nomine, et de qualitate sollicitationis, quin mentionem faciat de consensu, vel dissensu à pœnitente præstito. Dictum est *si eam excipere velit*. Cæterùm advertunt *Viva, Tamb. et Ronc.* non expedire in praxi ut confessarius hoc sibi onus suscipiat hujusmodi denuntiationes afferendi, nisi cùm in aliquo casu raro observasset nullum aliud remedium suppetere quo damno communi prospici possit (2). Dicunt præterea *del Bene et Instr. etc.*, quòd si mulier valdè repugnaret Episcopum adire, potest illa alium expectare confessarium, qui velit denuntiationem referre Episcopo, si præsens confessarius id facere recusat. Et eo casu quo pœnitens induci non posset ad denuntiandum etiam per confessarium, refert *P. Mazzot.* Decretum ubi dictum est quòd tunc recurrendum est ad Sedem apostolicam pro opportuno remedio, et interim non absolvatur, et testatur idem auctor quòd aliquando Sedes apostolica in casu magni ruboris aut alicujus vani timoris, pro illa vice à denuntiationis onere liberavit (3).

177. — Secundò advertendum est quòd pœnitens, qui, cùm posset, non denuntiat intra mensem (qui computatur à die quo obligatio advertitur), incurrit excommunicationem ipso facto (4). Sed hìc dubitatur, an illà denuntiatione executà, possit absolvi ab excommunicatione à quocumque confessario? Negant *Salm. Diana. Mazzot. etc.*; sed affirmat probabiliter doctissimus *Christianus Lupus*, cui adhæret *Ronc.* dicens quòd reservatio hujus censuræ durat usquedùm durat contumacia; et hoc rectè confirmatur ex verbis Decreti relati in Opere (5), ubi dicitur

(1). *Lib. 6. n. 699.* — (2) *Ibid. v. Advertunt.* — (3) *Ibid. v. Dicunt autem.* — (4) *n. 695.* — (5) *Lib. 6. n. 695. v. An autem.*

quòd pœnitens non potest absolvi ab excommunicatione, *se prima non avrà soddisfatto at suo obblig*; infertur igitur quòd, cùm satisfecerit suo muneri, potest absolvi. Contrà verò hic advertendum, quòd si quis injustè accusaret, sive coöperaretur ad accusandum de sollicitatione aliquem sacerdotem innocentem, incurreret reservationem papalem, sed absque censura, prout dictum est *præc. num. 129. ex Bulla Sacramentum*, § 3. Benedicti XIV. ubi dicitur: *Quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes confessarios impiè calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat, impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis aut minis, aut alio quovis modo, etc.* Advertunt tamen *Salmanticenses* (1), id intelligi de suasionem efficaci, ita ut ipsa sit causa injustæ damnationis secutæ. Adduntque (2) intelligi, nisi suasio ante executionem denuntiationis efficaciter revocetur.

178. — Tertiò animadvertendum est, quòd licèt monitio denuntiationis, quæ imponenda est, profutura non sit, etiam faciendâ est, ut scitè advertit *Pater Ronc.*, tùm quia hic agitur de damno communi, juxta dicta *num. 116*, tùm quia in Bulla Gregor. obligatio non est imposita pœnitentibus, sed confessariis, ad admonendos sollicitatos, ut denuntient, etc. (3).

179. — Hinc notandum primò quòd denuntiatio faciendâ est à pœnitente, licet ille sollicitationem probare non possit, ut rectè dicunt *Castrop. Bord et Bannez*, et opinio opposita, quam pauci tenent, videtur utique reprobata per propos. 5. damnatam ab Alex. VII. (4) 2. Rectè asserunt *Suarez, Castrop. Calmant.* et alii communiter, denuntiationem non tantùm faciendam esse à pœnitentibus sollicitatis, sed etiam ab unoquoque qui id sciat, modò id sciat à personis fide dignis, ut exprimitur in Decreto (5), ubi dicitur quòd denuntiandi in fine sunt omnes illi, de quibus notitia habetur Pœnitentiæ Sacramento se abusos fuisse. Et hoc currit, licèt sollicitatio sciretur sub secreto naturali, ut rectè dicunt *Escob. Castr. Trull. Salm.*, etc., quia nulla adest obligatio servandi secretum etiam promissum cum juramento, quando alioquin adest damnum commune; excepto casu, si secretum sit manifestatum ad consilium capiendum. 3. Proculdubio faciendâ est denuntiatio, licèt occulta sit sollicitatio, ita communiter *Salm.*

(1) *Salm. Append. tr. 6. de Bulla Cruc. c. 6. n. 231. et. 232.* — (2) *Ibid. cit. n. 232. in fin.* — (3) *Lib. 6. n. 694.* — (4) *n. 695.* — (5) *Lib. 6. n. 695. in fine.*

Ronc. Filt. Trull. Bannez, etc., nec obstat dicere leges pœnales esse strictè interpretandas, quia talis regula non currit in casu (ut esset noster) quo si teneretur stricta obligatio, lex inutilis redderetur.

PUNCTUM IV.

De sollicitationibus dubiis.

180. — QUÆRITUR primò an cùm sollicitatio est dubia, denuntiatio facienda sit? Distinguere oportet: si factum, aut dictum fuit certa sollicitatio, et tantùm dubitatur de sollicitante, tunc denuntiatio certè facienda est, ut Superior saltem de persona inquirere possit. Superiori tamen abstinendum est ab inquirendo, si ei facile non est se certum reddere de persona, ad evitandum periculùm infamiã notandi aliquem innocentem. Quòd si persona est certa, et tantùm dubitatur utrùm dictum, aut factum sit vera sollicitatio, tunc communiùs, et probabiliùs, dicunt *Ronc. Conc. Potestas, Bonac., Salm.*, etc. cum *Instructore pro Confess.* non adesse obligationem denuntiandi; ita ex *reg. 49. Jur. in 6. In pœnis benignior interpretatio facienda*; tùm quia in dubio nemo famã suã privandus est; tùm quia denique delicta dubia non sunt dicenda delicta (1). Excipitur tamen primò, nisi vehementia indicia essent (v. g. de prava vitã, aut mala fama confessarii) quæ moralem certitudinem formarent, ut dicunt *Ronc. Conc. Boss. Instructor*, etc. Excipitur 2. cum *Bon. Acun.*, etc. si verba de se sollicitationem præ se ferrent, licèt dubitaretur de intentione, dùm præsumptio intentionis accipienda est juxta verborum proprietatem. Secùs autem si in oppositum adesset præsumptio fraudis; putã si mulier aut ejus conjuncti cum confessario aliquam habuissent contentionem, aut si illa esset aliquantùm mente hebes (2). In casu verò quo indicia alicujus essent momenti, licèt non sufficientia ad certificandum denuntiationis debitum, conveniret ut saltem certior fieret Superior, ad hoc ut in posterùm se dirigere possit.

181. — Quæritur 2. an denuntiandus sit confessarius, qui, dùm pœnitens confitetur, ejus pulchritudinem laudat? Alii affirmant, alii negant; sed meliùs incedit *Escob.* qui dicit in hoc considerandas esse circumstantias, et præsertim discursus qui in confessione tenebatur. Dicunt alii

(1) N. 702. — (2) Lib. 6. n. 702.

denuntiandum esse confessarium, qui colloquens cum serva in confessione, laudat dominam, ut illi hoc referat; et idem dicunt si donum grande, et insolitum daret pœnitenti. Sed nos dicimus etiam attendendas esse circumstantias, v. g. si pœnitens est pauper, si est conjuncta, si illa priùs alio dono confessarium donavit, etc. (1).

182. — Hic nonnullos casus particulares referemus in quibus DD. censent denuntiandum esse confessarium. Primò, si confessarius diceret pœnitenti: *Ego te ducerem in uxorem, si essem sæcularis*; ita *Salmant. Potest. et Diana contra Bordon.*, quia reverà sunt verba nimis excitativa ad venem. 2. Si diceret: *Expecta me hodie domi tuæ, quia te allocuturus sum*; et postea, quin de alio negotio loquatur, aut de neniis locutus eam sollicitaret. 3. Si illi diceret: *Hæc tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem*; *Ronc. Bord. et Potest.* 4. Si mulieri petenti confiteri diceret: *Nolo te audire in confessione, ne aliquid mihi contingat, quia amore tui captus sum*. 5. Si diceret: *Si quis tibi pecuniam daret, peccares?* et illam affirmantem non reprehenderet, aut si reprehenderet, postea oblatâ ei pecunia, eam sollicitaret. 6. Si diceret: *Promitte mihi quòd, cum domum tuam veniam, facies quod volo*; cum mulier confitetur de turpibus cum alio patris, et diceret: *Cur etiam non es mecum humana?* aut ei confitenti de turpi desiderio erga illum, responderet: *De hoc loquemur post confessionem*. Si objurgaret concubinam suam, quòd cum alio peccavit, addendo minas, et contumelias; aut si objurgaret eam de peccatis cum aliis, et non de iis secum commissis (2). Ita etiam denuntiandus esset qui diceret pœnitenti: *Dic mihi quanti me amas?* aut: *Sentis in te eas tentationes erga me, quas ego experior erga te?* aut: *Vellem te semper videre, et esse juxta te*; aut: *Tuâ causâ somnium pravum passus sum*; aut: *Ingrata mihi es, quia non me amas*.

183. — Notandum hic denique, quòd Benedictus XIV. in Bulla *In generali Cong.* in confessarios sollicitantes, (aut Sacrificio ad sortilegia abutentes) præter pœnas priùs latas, addidit perpetuam inhabilitatem ad celebrandum, dicendo quòd sollicitantes *in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, et prætextu, præter pœnas à jure inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad Sacrificii celebrationem*. Hic dubitatur primò, an hæc inhabilitas incurratur ante sententiam declaratoriam? Ex una parte

(1) N. 705. — (2) Lib. 6. n. 704.

videtur negandum, dùm in simili casu, nempe simoniaci qui incurrit inhabilitatem ad recipienda beneficia, jam requiritur sententia, ut docent *Molin, Nav. Laym. Castr. Salm.*, etc. Sed hoc non obstante affirmandum est, quia juxta sententiam communem *Laym. Castropal. Anacl. Salm. Viva, Mazzot*, etc. sententia requiritur ad illas pœnas, quæ positivæ dicuntur, et indigent actione, non verò ad privativas, quæ important aut inhabilitatem ad aliquod jus acquirendum, aut jure acquisito utendum: et ita reapsè loquuntur DD. communiter de inhabilitate, quam habet beneficiatus, qui omisit officium ad percipiendos fructus beneficii. Quoad autem primum casum simoniaci, dicendum est DD. rationes particulares pro illo habuisse, quæ ad nostrum casum non faciunt. Dubitatur 2. an ab hujusmodi inhabilitate excuset ignorantia invincibilis? In hoc videtur dicendum idem ac dictum est de irregularitate ex delicto (1); quare vide dicenda *Tract. XIX. loquendo de Censuris, n. 84.* An autem in hac possit dispensare Episcopus, vide dicenda *Tom. III. Tract. XX. de Privilegiis, n. 53.* (2).

TRACTATUS XVII.

DE SACRAMENTIS EXTREMÆ-UNCTIONIS ET ORDINIS.

CAPUT I.

DE EXTREMA-UNCTIONE.

De essentia, et effectibus Extremæ-Uncionis 1. I. De materia remota 2. De materia proxima. 3. An necessaria sit unctio omnium sensuum 4. II. De forma et quomodò aptanda est. 5. III. De ministro 6. IV. De subjecto cui ministranda est Extrema-Uncio 7. Quando replicari possit 8 De dispositione 9. An ministranda sit pueris 10. An amentibus, ebriis, impœnitentibus, mutis, etc. 11. An adsit gravis obligatio suscipiendi hoc Sacramentum 12. De administratione 15.

1. EXTREMA-UNCTIO definitur: Sacramentum à Christo Domino institutum, et à B. Jacobo promulgatum, ad salutem animæ vel etiam corporis conferendam infirmis de vita

(1) N. 551. — (2) n. 705.

periclitantibus per unctionem olei benedicti, et orationem sacerdotis. Dicitur 1. *Sacramentum*, quia Extrema-Uinctio est verum Sacramentum, ut declaravit Trid. sess. 14. *can. 1. De extrema-Uinct.* Dicitur 2. *promulgatum à B. Jacobo*, uti habetur ex epistola hujus apostoli c. 5. 14. et seq. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio Fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Dicitur 3. *ad salutem animæ, vel etiam corporis*, ut notentur effectus hujus Sacramenti. Effectus primarius est, ut confortet animam in mortis agone ad resistendum diaboli tentationibus: effectus secundarii sunt tres. 1. Tollere reliquias peccati; 2. Extinguere debitum pœnarum, quæ satisfaciendæ adhuc restant; 3. Conferre etiam salutem corporis, si saluti animæ expedit, ut dicit Trid. sess. 14. *cap. 2.* Quoad autem remissionem peccatorum sententia communior et probabilior affirmat præcipuum effectum hujus Sacramenti esse non remissionem peccatorum (ut contendunt *Scotistæ*), sed reliquiarum peccatorum abstersionem; ita *Gonet, Sot. Suar. etc. cum S. Thoma* (1). Dicit autem Angelicus, quòd si infirmus invincibiliter ignoraret peccata sua, modò illorum saltem generaliter illum pœniteat per attritionem, per hujus Sacramenti virtutem ei remittuntur omnia tam venialia, quàm mortalia. Ita etiam dicunt *Bellar. Suar. Laym., etc.* deducunt ex Trid. loco cit. ubi sic legitur: *Cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Imò valdè probabiliter dicunt *Merbes. Habert, Tournely, Suar. et Salmant. contra Gonet, Petrocor., etc.* quòd hoc Sacramentum remittit peccata gravia, non quidem per accidens, sed per se, licèt consequenter; quia licèt hoc Sacramentum sit vivorum, nihilominus institutum fuit à Deo ad remittenda peccata per se, juxta verba apostoli: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, et ut deducitur etiam ex *can. 2.* Tridentini in præfata *Sessione 14.* Dictum est *consequenter*, quia principaliter Extrema-Uinctio instituta est ad abstergendas reliquias peccatorum, nempe internam imbecillitatem, obscuritatem, etc. Sed quia, cum in anima reperiatur peccatum, non possunt abstergi illius reliquiæ, quin remittatur peccatum; ideòque consequenter hoc Sacramentum abstergendo reliquias, tollit etiam peccatum (2). Communis autem sententia est cum *S. Thoma* et *S. Bonav.* quòd possit hoc Sacramentum esse validum.

(1) *Suppl. q. 50. n. 1.* — (2) *Lib. 6. n. 751.*

et informe, adeò ut, remoto obice peccati, saltem per attritionem, si infirmus illud recipit bonâ fide existens in peccato, reciperet primam gratiam (1). Ideòque dicunt *Laym.* et *Tamb.* cui adhæret Benedictus XIV. (2), quòd si infirmus non est capax alterius Sacramenti; sacerdos potest missam interrumpere, ut ei Extremam-Uncionem afferat, ut gratiam recipiat, si est in peccato, et habet attritionem (3). Dicitur 4. *infirmis de vita periclitantibus*, ut denotetur subjectum, cui hoc Sacramentum exhibendum est. Dicitur 5. *per unctionem olei benedicti* ad denotandam materiam. Dicitur 6. et tandem, *et orationem sacerdotis*, ad denotandam formam. Sed de omnibus sigillatim disserere opus est, et I. De materia; II. de forma; III. de ministro; IV. de subjecto cui ferenda est; V. de administratione.

2 — I. Quoad *materiam*. Materia remota est oleum benedictum pro infirmis; et singulis annis, veteri combusto, renovandum est ex præscripto Clementis VIII. quod obligat sub gravi, ut probabiliùs tenent *Bonac. Castrop. Croix*, etc. contra alios. Sed casu quo novum haberi non possit, licet uti veteri, ut dicunt *Laym. Aver. Salm.* etc. cum quadam declaratione S. C. Et casu quo anni decursu deficeret, licitum est (urgente necessitate) immiscere oleo consecrato non consecratum, sed in minori quantitate, ut dicit *Rituale*; et hæc mixtio potest pluries fieri, ut dicunt *Bonac. Ronc. Carden. Possev. et Croix*, et ut declaravit S. C.; modò oleum quod immiscetur sit minoris quantitatis veteri (4). Notandum 1. quòd hoc oleum debet esse ex olivis, et benedictum proculdubio de necessitate præcepti; dubium restat, an etiã de necessitate Sacramenti? Negant *Juvenin, Cajet. Sanch.* etc.; sed sententia communissima affirmat cum *S. Thoma* (5), *Scot. Petrocor. Conc. Salm.* etc. dum in *Trident. Sess. 14. cap. 1.* dicitur: *Intellexit enim Ecclesia materiam (Extremæ-Uncionis) esse oleum ab Episcopo benedictum*, in quo certè dogmaticè locutum est (6). Notandum 2. probabile esse cum *Bellarm. Valen. Barboz. Castrop.* etc. (contra *Suar. Laym.* etc.) quòd oleum debet esse benedictum de necessitate Sacramenti in ordine ad Extremam-Uncionem. Qua de re sententia opposita, quòd possit dari hoc Sacramentum cum oleo Confirmationis vel catechumenorum, in praxi non est probabilis, nisi in solo casu necessitatis; et tunc administrandum est sub condi-

1) N. 707. v. Quær. II. — (2) *de Synod. lib. 8. cap. 6. n. 5.* — (3) *Lib. 6. n. 728* — (4) n. 708. — (5) *Suppl. q. 29. a. 5.* — (6) *Lib. 6. n. 709. Dubit. I.*

tione, et si postea haberi possit oleum infirmorum repetendum est, ut præscripsit S. Carolus Borromæus (1). Notandum 3. quòd benedictio hujusmodi potest a Papa simplici sacerdoti committi, ex Decreto Clementis VIII. (2). Notandum 4. ad validitatem Sacramenti sufficere digiti extremitatem in oleo intingere, et ungere. Sed fit dubium utrùm sufficiat una gutta? Negant *Filliuc. Suar. Peyrin. Trullen.* etc., dicentes oleum debere diffundi; sed communiùs et probabiliùs affirmant *Tannerus, Escob. Hurtad. Dicast. Croix.* etc.; modò illa gutta sufficiat ad inungendas omnes partes; nihilominùs quia prima non est improbabilis, saltem extrinsecè, illa in praxi sequenda est (3).

3. — Materia proxima est unctio facta à sacerdote in quinque sensibus, aut saltem in partibus proximis, si fortè infirmus esset aliquo sensu mutilatus. Hic notandum 4. quòd non est necessarius tactus immediatus manùs, cum in necessitate (ut tempore pestis) potest uti virgâ oblongâ oleo tinctâ, quæ postea comburenda est; ita *Silv. Wig. Escob. Busemb.* (4). Notandum quòd licèt unctiones sint multæ, omnes tamen unum constituunt Sacramentum. An autem singulis unctionibus conferatur gratia partialis, negat *S. Thomas* (5), dicendo totam gratiam conferri in ultima unctione; sed affirmant multi alii cum *Scoto*, quia quælibet unctio habet suam formam gratiam significantem. Utraque sententia est probabilis (6).

4. — Sed quæritur an unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti? Alii probabiliter negant, ut *Silv. Becan. Merbes. Nat. de Alex.* etc. dicentes sufficere unam unctionem in qualibet corporis parte, dùm apostolus aliud non dicit, quàm *ungentes eum oleo*. Sed communiùs affirmant *Sot. Suar. Castrop. Laym. et Salm.* cum *Bellarm. S. Bonaventura,* et *S. Thoma*, quia hic est usus Ecclesiæ communi sensu doctorum sic practicatus. Tantùm tempore necessitatis (dicunt hi AA. sicut etiam Rituale) potest conferri hoc Sacramentum, sed sub conditione, sub una unctione in aliquo membro: sed satius esset in capite sub hac contracta forma: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus quicquid per sensus deliquisti*, ut volunt nonnulli; aut ut meliùs volunt alii: *Per istam etc. indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per sensus. nempe visum, auditum, gustum, odoratum et tactum*; præmittendo verbum *deliquisti*, ut si infirmus deficiat

(1) *Ibid.* Dubit. II. — (2) *Lib.* 6. n. 709. Dubit. III. — (3) *Ibid.* Dubit. IV. — (4) n. 710. — (5) *Suppl.* q. 29. a. 8. — (6) *Lib.* 6. n. 707.

ante verborum absolutionem, possit Sacramentum validum esse. Sed si infirmus supervivit, repetendæ sunt unctiones in singulis sensibus, additis orationibus omissis, ut præscribit Rituale; ubi etiam dicitur quòd in dubio utrùm infirmus sit vivus, apponenda est conditio *si vivis* (1). Certum est autem non esse de necessitate Sacramenti ungere ambas partes utriuscujusque sensûs, nempe utrumque oculum etc.; undè in casu necessitatis, si tempus non suppetat, aut adest periculum infectionis, aut si infirmus non volvi potest in aliud latus, sufficit ungere alterutrum oculum, alterutram auriculam, etc. Unctio renum, dicit Rituale, *in mulieribus semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest*. Unctio autem pedum ex sententia communi cum *Laym. Suarez, Castrop. Ronc. et Salm. ex S. Thoma* (2), non est de necessitate Sacramenti, sicut nec etiam (juxta communem) ordo inter unctiones partium; licèt hujus ordinis inversio, ut dicunt, esset graviter illicita (3).

§. — II. In quantum ad formam, verba sunt ista: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid per visum* (sive per auditum, etc.) *deliquisti. Amen.* Verbum *deliquisti* est de essentia, ut rectè dicunt *Croix, Gobat. et Mazzot.* (contra *Boscum*); nam remissio peccatorum est effectus principalis hujus Sacramenti. Verbum *sanctam* certum est non esse de essentia, sed peccari si omittitur. Verba autem *per suam piissimam misericordiam*, multi contendunt esse de essentia; sed communiùs, et probabiliùs negant *Laym. Castrop. Bonac. Ronc. Salm.* Omnes tamen conveniunt illorum omissionem esse peccatum grave (4). An autem valeat forma non deprecatoria, qualis est nostra, *indulgeat*, sed indicativa *ungo te, etc. ut... possis superare potestates*, ut erat forma Ambrosiana: affirmant *Juven. Tourn. et alii*; sed negat sententia communis cum *Suar. Merbes. Petrocor. et aliis cum S. Bon. et S. Thoma* (5), et eam præscribit *S. Jacobus: Et orent super eum ungentes... et oratio Fidei salvabit infirmum*. Ad formam Ambrosianam respondit *Benedictus XIV.* quòd verba *ut possis* jam dignoscere faciunt esse deprecatoriam, et hunc sensum faciunt, *ungo te, orans ut possis, etc.* (6). Notandum 2. formam aptandam esse modo sequenti, ut præscribit Rit.

(1) *Lib. 6. n. 710. v. Quær.* — (2) *Suppl. q. 52. a. 6.* — (3) *Lib. 6. n. 710. v. Certum. et v. Nec etiam.* — (4) *n. 711.* — (5) *Suppl. q. 29. a. 8.* — (6) *Lib. 6. n. 711. Dubit. 1.*

Sacerdos, intincto pollice in oleo sancto, in formam crucis inungere debet, aptando crucem, et verba in unctione cujuscumque partis, semper incipiendo à dextra parte: *Per istam sanctam unctionem ✠, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (dùm unguuntur oculi) deliquisti.* Advertendo non terminandam formam antequam altera pars ungetur. Pars linita debet abstergi ab ipso sacerdote, aut à ministro (si est in Sacris) gossipio, quòd postea comburendum est, et cineres in sacrarium projiciendæ. Deindè eodem modo unguuntur aures, *per auditum*: narices *per odoratum*: os (labiis clausis) *per gustum, et locutionem*: manus (sacerdotibus extra, aliis intra palmas) *per tactus*; pedes (in plantis) *per gressum*: renes, *per lumborum delectationem* (1). Notandum 3. quòd juxta ritum græcum septem debent esse sacerdotes qui unguunt, quisque partem suam, sed juxta latinum unus est minister; sed in casu necessitatis potest unus sacerdos unam partem ungere, et alius aliam, pronuntiando quisque formam correspondentem illi parti, ut dicunt communiter *Suar. Coninch. Castropal. Bonac. Salm. Spor. etc.*, sed non potest unus ungere, et alius proferre formam; nec unus ungere unum oculum, et alter alterum, sicut declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Etsi Pastoralis*, an 1742. §. V. n. 4. Si tamen sacerdos non posset prosequi omnes unctiones, debent reliquæ suppleri ab alio quin repetantur jam factæ; nisi esset quòd posteriores supplerentur post aliquod tempus notabile, v. g. post horæ quadrantem, quia tunc debent omnes repeti, ut dicunt *Merati, Avers. Croix,* etc. (2).

6. — III. In quantum ad ministrum notandum 1. ministrum proprium Extr.-Uinct. esse pastorem, aut alium sacerdotem ex ejus consensu, quo deficiente, validum esset Sacramentum, sed illicitum, adeoque graviter peccaret sacerdos. An autem sufficiat consensus præsumptus parochi; alii negant, sed probabiliter affirmant *Sanch. Castr. Valent. Bon. Salm. etc.* Regulares autem administrando hoc Sacramentum sine licentia pastoris, incurrunt excommunicationem papalem in *Clem. 1. de Privil. §. 1.* Advertendum tamen quòd S. Pius V. in sua Bulla *Immarcessibilem*, an. 1567. concessit Patribus Theatinis (et per communicationem aliis Religiosis) posse administrare hoc Sacramentum suis servis, mercenariis, ac quibusvis hospitibus qui fortè morantur in domibus dictæ Congregationis; item

(1) N. 711. — (2) n. 724.

Sixtus IV. priùs concesserat Regularibus posse dare Eucharistiam, et Extremam-Uncionem laïcis, si parochus injustè aut malitosè negaret. Communis autem sententia est quòd in necessitate, si parochus est absens, aut non vult Extr-Unc. afferre, nec potest adiri Episcopus, tunc quilibet sacerdos etiam regularis potest hoc Sacramentum conferre (modò non sit excommunicatus, vel suspensus), tunc enim præsimitur licentia dari à Pontifice: ita contra paucos docent *Suar. Laym. Bonac. Conc. Tourn. Nat. ab Alexand. Salm. Bened. XIV. etc.* et idem concessit S. Carol. Borrom. pro sua diœcesi (1). An autem parochus suspensus possit hoc Sacramentum conferre? alii affirmant; sed probabiliùs negant *Bonac. Suar. etc.* (2). Notandum 2. cum *Soto, Possev. Bonac. etc.* non incurrere irregularitatem (ut aliqui nimis quàm par est scrupulosi tenent) sacerdotem, si jubendo volvi infirmum ut ungeretur, ille spiraret; dùm ut rectè dicunt *Suar. Cornejus, Salmant. etc.*, talis irregularitas deberet esse ex delicto, à quo utique liber est qui charitatis officium exercet. Notandum 3. quòd parochus tenetur sub gravi afferre Extremam-Unc. peccantibus, nisi excuset causa justa, ut periculum vitæ (vide dicta *Tract. VII. num. 27. et 28. de IV. præcepto Decalogi*); sed in quolibet casu tenetur, si fortè infirmus probabiliter esset in peccato mortali, et multo abhinc tempore confessus non fuisset, ut communiter dicunt *Suar. Castr. Spor. Conc. Salm. etc.* (3). Notandum 4. probabile esse cum *Gobat. Arriag. et Croix*, quòd licitè possit parochus apud se domi retinere oleum sanctum (diligenter custoditum) aliquando, cum crederet noctu accersiri, et quòd alioquin non perveniret opportuno tempore (4).

7. — IV. Quoad subjectum, cui conferenda est Extrema-Unc., notandum 1. quòd, ut animadvertit Rit. et ut docet *Bened. XIV. in Epistola*, quæ incipit *Ex quo primum*, ad ecclesiasticos ritùs Græci, pro nova editione Euchologii (quod idem sonat ac Rituale, vel Manuale) non est ministrandum hoc Sacramentum *benè valentibus, sed iis dumtaxat qui gravi morbo laborant* (5) ideòque non dandum est capite damnatis, in conflictu aut periculosa navigatione, aut alio mortis proximo periculo versantibus. Tantummodò infirmis graviter decumbentibus quibus mors imminet, aut senibus decrepitis, *qui præ senio* (sunt verba Ritualis) *deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia in-*

(1) *Act. Mediol. p. 4.* — (2) *Lib. 6. n. 722. et 723.* — (3) *n. 729.* — (4) *n. 730.* — (5) *In Bull. edit. Mechl. t. 11. p. 332. §. 46.*

firmitate. Nec obstat ritus Græcus quem opponit *Juvenin*, juxta quem feriâ V. majoris hebdomadæ omnes adstantes inunguntur oleo infirmorum; sed respondet Bened. XIV. quòd talis unctio non datur uti Sacramentum, cum sine ulla forma ungantur, (ut latè disserit in cit. Ep. pro edit. Euchologii ex §. 46.), sed tamquam vere cæremonia sacra (1). Et ita pariter dicendum cum communi *Suar. Castr. Bonacin.* etc. (contra *Wig.*) quòd si detur hoc Sacramentum infirmo non gravi morbo decumbenti, non solùm illicitè, sed etiam invalidè conferretur (2). Si autem daretur in morbo gravi, quin aliquod videatur imminere periculum mortis, daretur quidem validè, sed illicitè. Nec obstat quòd Bened. XIV. cit. §. 46. docet, nempe quòd dandum sit graviter decumbentibus, nam hoc intelligendum est ad præscriptum Ritualis nostri, nempe quòd morbus gravis ita sit, ut probabile adsit periculum mortis, *ut mortis periculum* (præscribit Rit.) *imminere videatur*. Sed quæritur 1. in quo morbi gradu danda est vel dari potest Extrema-Unctio? Quando adest periculum proximæ mortis, tunc non dubitatur, quin non solùm possit, sed etiam danda est juxta Rit. *Debet hoc Sacramentum infirmis præberi qui... tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur*. Et juxta communem DD. cum Catech. rom. (*de Extr-Unct. p. 2. n. 18.*) peccata graviter parochus, qui differt E.-U. usquequò infirmus destituatur sensibus, nam tùm ille privatur effectu consequendi salutem tam animæ quàm corporis, quam consecuturus fuisset si tempestivè inunctus fuisset: *Gravissimè peccant* (dicit Catechismus) *qui illud tempus ægroti ungenti observare solent, cum jam omni salutis spe omissâ, vitâ et sensibus carere incipiat*. Idcirco Bened. XIV. in Euchologio Græcorum, sive Rituali Græcis assignato (vide in Bullar. loc. cit. §. 46.) præcipit ut hoc Sacramentum præbeatur, dùm infirmi *sibi constant, et sui compotes sunt*. Hoc currit in quantum ad obligationem præbendi Extremam-Unctionem. Sed in quantum ut possit licitè præberi, dicunt communiter DD. sufficere ut infirmitas sit periculosa mortis, licèt remotè; ita *Suar.* qui dicit: *Ut ex tali infirmitate mors possit moraliter timeri, saltem remotè*. Idem tenent *Laym. Castrop. Bonac. Coninc. Salm.* et alii. Idem dicit Bened. XIV. (3). et *Honoratus Tourn.* qui adducit Concilia Aquisgran. et Mogun. Et hoc perspicuè infertur tùm ex Florentino, ubi dicitur: *Subjectum hujus Sacramenti esse infirmum; cum de ejus*

(1) Lib. 6. n. 712. et 715. — (2) n. 715. Dubit. 9. — (3) *De synod. l. 8. c. 7. n. 2.*

morte timetur ; tùm ex Trid. Sess. 14. c. 3. ubi hæc leguntur : *Hanc Uncionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui in exitu vitæ constituti videantur.* Ibi particula *præsertim* rectè denotat quòd potest dari E.-U. etiam aliis infirmis, qui non sunt constituti in exitu vitæ. Sed clariùs hoc confirmatur à Bened. XIV. in præfata Bul. (Eucholog. cit. §. 46.) ubi dicitur, ne Sacramentum E.-U. ministretur benè valentibus, *sed iis dumtaxat qui gravi morbo laborant.* Undè rectè dicit *Castr.* quòd quoties potest infirmo non jejuno præberi Viaticum, potest et expedit dari E.-U. Rectè tamen dicunt *Laym.* et *Castrop.* quòd ut dari possit, non sufficit periculum dubium mortis, sed requiritur saltem probabile, sive prudens timor morti; ut ceteroquin communiter admittunt *Suar.* *Castrens.* *Escob.* et *Holz.* cum *Mastrio*, et *Scoto.* Quæritur 2. an possit dari parturientibus? Respondetur cum *Lug.* *Filliuc.* *Bonac.* *Escob.* *Trullen.* et aliis communiter non posse, si mulier patitur in partu tantùm dolores communes, licèt sit primus partus, aut licèt aliis vicibus fuerit in periculo mortis. Secùs autem si gravissimis doloribus cruciaretur, adeò ut actu ei immineret periculum mortis (1).

8. — Notandum 2. quod dicit Rit. circa repetitionem hujus Sacramenti : *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, aut cùm infirmus convalescerit, iterùm in periculum mortis incidit.* Adeòque cùm infirmitas non est diuturna, nempe non est febris tabita, hydropisis, et similes, non potest denuò ungi, nisi convalescerit, et iterùm in aliud vitæ discrimen incidit. Quando autem est diuturna, si ille in eodem vitæ periculo perduravit, nec potest quidem denuò inungi; secùs autem si illud periculum evasit (non post quatuor aut 5. dies, sed post tempus notabile, ut communiter dicunt *Conin.* *Suar.* *Wig.* *Bonac.* *Viva*, etc.), et deinde iterùm in illud incidit; et hoc scitè docet Bened. XIV. (2) posse licitè practicari etiam in dubio (intellige positivo) quòd mutatus sit status infirmi (3).

9. — Notandum 3. quoad dispositionem animæ, quòd si infirmus sit in peccato mortali, debet esse saltem contritus putativè, ut hoc Sacramento muniatur. Sed hoc intellige, si tempus non suppeteret confitendi; secùs, ut rectè advertit *Busemb.* debet priùs Pœnitentiæ Sacramento muniri, tamquam magis necessario; undè fit quòd iste casus sit moraliter impossibilis. Dumtaxat accidere posset,

(1) *Lib. 6. n. 715.* Dubit. 5. — (2) *De Synod. l. 8. c. 8. n. 4.* — (3) *Lib. 6. n. 715.*

si infirmus esset sensibus destitutus. Cæterùm, ut dicit *Rit.* et juxta Ecclesiæ usum, si tempus et infirmi qualitas id patitur, non debet Extrema-Uinctio conferri nisi priùs confessus sit, et communicaverit. Hoc tamen Sacramentum ante Viaticum sumere, aut omni culpâ caret, aut ad summum est veniale; *Suar. Croix, et Benedict. XIV. (1).*

10. — Notandum 4. quòd Extrema-Uinctio non est danda pueris ratione expertibus, ut dicit *S. Thomas (2)*, et etiam *Ritual. rom.*, quia in infantibus non potest verificari forma in qua exprimitur remissio peccati, non quidem originalis (cùm hoc remissum sit), sed actualis: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti*, etc. Contrà sententia communior et probabilior est cum *Laym. Nav. Suar. Val. Sa, Escob. Spor. et Ben. XIV. (3)*. adversùs *Sot. Wig.*, etc. præbendam esse E.-U. pueris ratione polentibus, licèt non adhuc Communionis capaces; dùm in *Rit.* expressè dicatur: *Debet hoc Sacramentum infirmis præberi, qui ad usum rationis pervenerint*. Nec obstat *S. Thomas* loco cit. ubi dicit, *non debet dari pueris*; nam intellige rationis expertibus, dùm ratio ibi à Sancto assignata alia non est, nisi quòd ipsi sunt incapaces peccati actualis. An autem possint hoc Sacramento inungi pueris, de quibus dubitatur an necne ad usum rationis pervenerint? Tres adsunt sententiæ, sed probabilior mihi videtur illa *de Lugo, Escob. Dicost.*, etc. qui dicunt eos pueros ungendos esse sub conditione, cùm sufficiat pro causa ne illi hujus Sacramenti fructu priventur, si fortè pervenerint jam ad illius capacitatem (4). Et idem dicendum de amentibus, de quibus dubitatur an unquam ratione præditi fuerint (5).

11. — Notandum 5. non esse præbendam E.-U. perpetuò amentibus; dico *perpetuò*, quia si aliquod lucis intervallum habent, possunt rectè inungi, ut docet *S. Th.*; imò dicit *Rit.* *Infirmis autem qui, dùm sanâ mente essent, illud petierint, seu verosimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deindè loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur*. Sed si suspicatur quòd infirmus phrenesim patiens posset aliquid contra Sacramenti reverentiam committere, non est inungendus, nisi (ait *Rit.*) *periculum tollatur omninò*. Hoc periculum tamen probabiliter dicit *Tamb.* potest removeri infirmum ligando aut effi-

(1) N. 716. — (2) *Suppl. q. 52. a. 4.* — (3) *de Synod. l. 8. c. 8. n. 2.* — (4) *Lib. 6. n. 719.* — (5) *n. 732.*

ciendo, ut ab aliis teneatur. Ebrii, qui jamjam morituri sunt, etiam inungendi sunt, ut dicunt *Croix*, *Gobat*, et *Lohner*, modò non constet eos in peccato mortali existere, dum Rit. dicit: *Impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali sunt, et excommunicatis penitens denegetur*. Dicunt tamen *Coninch. Tamburin. Lohner*, et *Croix*, quòd vulnerati in aliqua rixa sensibus destituti possunt sub conditione inungi, dum rectè præsumi potest, quòd in illo extremo statu eos peccatorum suorum pœniteat, si usus rationis in eis reperitur. Muti autem, surdi, et cæci à nativitate proculdubio inungendi sunt etiam in sensibus, quibus privantur: quia licèt cum illis non peccassent externè, nihilominus potuerunt peccare cogitatione; ita communiter *Possev. Salm. Diana, Præpos.*, etc. cum *S. Carolo Borrom. et S. Thoma* (1), quicquid dicant *Croix*, et *Gobat*. (2).

12. — Quæritur hìc an infirmus teneatur sub gravi ad suscipiendam Extremam-Uncionem? Prima sententia affirmat cum *S. Bonav. Soto, Merbesio, Ronc. Habert*, et *Conc.*, dicens verba aposteli, *inducat presbyteros*, importare præceptum grave. Sed sententia communior negat cum *Suar. Nav. Estii, Silv. Tamb. Castrop. Salm.*, etc., quibus adhæret *S. Thomas*, qui dicit hoc Sacramentum non esse de *necessitate salutis*. Hoc non obstante, putò valdè probabilem esse primam sententiam, et dico illam omninò infirmis suadendam non tantùm ratione præcepti, cùm de ulò saltem non constat utrùm obliget sub gravi, an sub levi; quantum ratione charitatis, quam moribundus erga seipsum exercere debet; licèt enim posset ille aliis muniri mediis, cùm tamen in eo statu reperiatur, ex una parte debilis est, ut bonis actibus mentis suæ sibi prospicere possit; ex alia parte (ut dicit Trident.) tunc dæmonis insidiæ sunt vehementiores; undè videtur se exponere magno periculo tentationibus succumbendi, qui hoc Sacramento præmuniri negligit, quod Jesus-Christus instituit hoc fine, ut robur conferat ad resistendum diabolo in illo extremo agone. Omnes autem conveniunt quòd per accidens potest infirmus sub gravi ad hoc teneri, v. g. si ille non posset aliud suscipere Sacramentum, et existeret in mortali, aut si secùs induceret alios ad credendum se esse hæreticum, aut hoc Sacramentum contemnere. Et certum est etiam talem contemptum esse gravem, quando est formalis. Formalis tamen intelligitur, ut dicunt

1) *Supplem. quæst. 52. art. 7.* — 2) *Lib. 6. n. 732.*

communiter *Suar. Castrop. Salm.*, etc. contra *Merb.*, non quando infirmus recusaret hoc Sacramento inungi, ex aliqua repugnantia, aut negligentia, sed quando propriè omitteret, quia parvi illud ducit. Hoc confirmatur ex Bulla Martini V. ubi dicitur: *Hoc Sacramentum neque negligi sine culpa, nec contemni posse sine peccato mortali.* En vide quòd hic rectè notatur contemptum importare culpam gravem, negligentiam verò levem (1).

13. — V. Denique quoad administrationem hujus Sacramenti notandum primò, quod, juxta Rituale, sacerdos debet instruere mensam tobaleâ albâ desuper cum vase, in qua septem gossipii globi prompti sint ad abstergendas partes unctas: candela ex cera, cujus lumen inseruire debet dùm inungitur. Ex Ecclesia verò secum deferat saltem clericum unum, qui afferat crucem (sed sine hosta), aquam benedictam cum aspersorio, et Rituali; et ipse sacerdos sine sonitu campanulæ deferat decenter vas olei clausum in bursa serica violacei coloris, collo, ut nunc mos est, suspensa; et si iter esset longum, potest sacerdos super equo sedens sacram unctionem deferre. Advertit Rituale, quòd si infirmus peractâ confessione sit proximus morti, tunc idem sacerdos qui defert Viaticum, potest etiam deferre oleum sanctum. Sed si potest haberi alius sacerdos, aut diaconus, qui oleum sanctum deferat, per ipsum deferatur, qui superpelliceo indutus sacerdotem Viaticum portantem sequatur. Notandum 2. esse peccatum mortale ministrare E-U. sine superpelliceo et stola. An autem ab hoc excuset necessitas, negant *Suar. Castr.* et *Bonac.*; nam (ut dicunt) reverentia Sacramenti præferenda est utilitati privatæ. Sed hoc non obstante, probabiliter affirmant *Possèv. Croix, Escob. Quintan. Diana,* et *Leand.* in casu quo infirmus aliter sine sacramento esset decessurus, dùm non præsumitur Dominus ob sacramentum vestium deficientiam velle infirmum privari tanto auxilio (2). Ita etiam grave est, ex se loquendo, omittere orationes præscriptas a Rituali, ut omnes fatentur; intelligitur etiam extra necessitatem, quia si adest periculum mortis imminentis, dicit Rituale ut infirmus citò ungetur, et deindè si supervivat, dicantur orationes prætermisæ. Intelligitur item de orationibus quas dicere debet sacerdos; nam Psalmi pœnitentiales, et Litanie cum precibus sequentibus dicendæ sunt ab astantibus, dùm inungitur infirmus; probabiliùs (contra alios) dicit *Tamb.* quòd sint

(1) N. 753. — (2) Lib. 6. n. 726.

tantum de consilio. Rituale enim non præcipit eas recitandas, sed tantum ibi dicitur: *Dùm infirmi sacro liniuntur oleo, dicuntur flexis genibus ab astantibus, etc.* (1). Notandum 3. non esse grave deferre oleum, aut administrare illud sine lumine; ita *Barbos. Possev. Quintanad. Escob.*, etc., aut sine ministro; imò de hoc dicunt *Bon. Escob. Possev.*, etc. nullum esse peccatum; sed ego puto non vacare culpâ, dùm dicit Rituale: *convocatis clericis, saltem uno*: hinc extra necessitatem esset veniale ungere sine ministro, ut dicunt *Tolet. Dicast. Graff.*, etc., sic etiam veniale esset conferre hoc Sacramentum omissis crucibus inter ungendum (2). Advertendum denique quòd tempore interdicti vetitum est præberi hoc Sacramentum, ex *cap. Quod in te, de Pœnit.*

CAPUT II.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

An quilibet ex septem Ordinibus sit Sacramentum 14. *An materiæ, et formæ Sacramentorum sint in specie à Christo Domino determinatæ* 15. *Quæ sit materia Ordinis, an manuum impositio, aut instrumentorum traditio* 16. *De cæteris ad Ordinem spectantibus sermo erit in examine Ordinandorum.*

14. — DE doctrinis ad hoc Sacramentum spectantibus loquemur in *Tom. III. App. III. de examine Ordinandorum* in capitibus II. et III. hinc tantum breviter discutiemus tres celebres quæstiones quæ super hanc materiam agitantur. Prima quæstio est an quilibet ex septem Ordinibus sit Sacramentum? Quatuor circumferuntur sententiæ. I. affirmat universaliter, ut *Bellarmin. Gonet. Sanch. Salm.*, etc., et hujus sententiæ est *S. Thomas* (3). Ratio unica hujus sententiæ est *Decr. Eugenii IV. ad Armenos*, ubi dicitur quòd materia Ordinis est illa, cujus traditione confertur Ordo, et deindè singulis septem Ordinibus assignat materiam propriam. Nec obstat quòd minister ordinationis sit solus Episcopus, ut dicitur in *Trident. Sess. 23. cap. 3. et 8.*, nam respondent hoc intelligi de ministro ordinario, sed non de extraordinario, quem Papa assignare potest ad conferendos Ordines. II. Sententia cum *Cajet. et Durando*, dicit solum sacerdotium esse Sacramentum; sed hæc sententia est singularis, et improbabilis; dùm non est dubitandum quin diaconatus sit Sacramentum, siquidem

(1) N. 727. — (2) *Lib. 6. n. 728.* — (3) *Suppl. qu. 57. a. 2. ad 1. et 5.*

in illius ordinatione habentur illa tria requisita ad constituendum Sacramentum, nempe 1. signum sensibile, quod est manuum impositio. 2. Institutio divina, nam Conc. docet in Ecclesia adesse hierarchiam à Deo institutam ex Episcopis, sacerdotibus, et ministris, et nomine ministrorum saltem debent intelligi diaconi. 3. Promissio gratiæ significatæ per verba Episcopi: *Accipe Spiritum sanctum ad robur*, quæ habentur pro forma. III. Sententia cum *Soto, Nav. et Vasq.* prætendit omnes Ordines majores esse Sacramentum. IV. Sententia nobis probabilior cum *Gratiano, Petro Lombardo, Morin. Estio, Tourn. Cabassut. Habert*, et aliis affirmat sacerdotium, et diaconatum dumtaxat esse Sacramenta. Probatur 1. hæc sententia, quia si essent Sacramenta cæteri Ordines, præter sacerdotium, et diaconatum, non possent illi ab Abbatibus conferri, sicut jam conferuntur, cum unus minister ordinis Sacramenti non possit esse alius quàm Episcopus, ut probat *Tourn.* (1) dicens quòd ad ordinationem ex institutione divina necessariò requiritur in ministro character episcopalis; et subjurgit hoc probari ex traditione, quia nunquam concessa est, quâcumque urgente necessitate, aliis quàm Episcopis, facultas ordinandi presbyteros, et diaconos. Et respondetur ad quoddam privilegium quod asseritur ab *Innoc. VIII.* concessum fuisse Cisterciensibus, ut possent conferre tales Ordines, quòd illud est valdè dubium: et licèt fuisset certum, fuit tamen illud idem interpretatum à *S. C. Concilii*, et etiam à *Clemente VIII.* intelligi pro facultate non ordinandi, sed concedendi dimissorias. Probatur 2. quia in aliis Ordinibus desideratur materia, nempe impositio manuum quæ est unica materia hujus Sacramenti, ut dicemus in quæstione 3.; et desideratur etiam forma; cum in collatione cæterorum Ordinum non reperiatur forma aliqua significans gratiæ productionem, sed tantum fiat mentio potestatis, sive officii quod ordinatis confertur. Ad Decretum *Eugenii* respondetur quòd materiæ cæterorum Ordinum non sunt à Pontifice assignatæ uti essentielles, sed tantum uti accidentales, ad explicandam potestatem quæ recipitur (2). Ex hac sententia infert *Bened. XIV.* (3). non posse damnari certi sacrilegii illos, qui promoventur ad Ordines diaconatu inferiores cum conscientia peccati mortalis.

15. — Secunda quæstio est an materia, et formæ Sa-

(1) *De Ord. qu. 4. a. 2. conclus. 2.* — (2) *Lib. 6. n. 756. et 937.* — (3) *de Syn. l. 8. c. 9. n. 12.*

cramentorum (et præsertim Ordinis) sint omnes in specie determinatæ à Christo Jesu? Prima sententia negat cum *S. Bonavent. Bellar. Valent. Morin. Lugo, Salm.*, etc. Unica ratio istorum est, quia secùs non possent diversæ esse materiæ et formæ Sacramentorum in Ecclesiis græca, et latina, ut præsertim est in Sacramento Ordinis, dùm in græca sacerdotium, et diaconatus conferuntur per solam manuum impositionem, sêd in latina præter impositionem requiritur traditio instrumentorum, sicut expressum est in Decreto Eugenii IV. ut superiùs dictum est. Quapropter asserunt quòd quoad Baptismum et Eucharistiam, Jesus Christus in specie instituit tam materias, quàm formas; sed circa alia Sacramenta, eas instituit tantùm in genere, relinquendo Ecclesiæ facultatem determinandi eas in specie, adhibendo eas res et verba, quæ exprimerent Sacramenti effectum. Hæc sententia est probabilis; sed probabilior est opposita, quæ dicit materias, et formas omnium Sacramentorum fuisse in specie determinatas à Domino; ita *Merbes. Habert. Juvenin. Tournely, Petrocor. Concina*, et alii multi cum *S. Thoma* (1), qui non potest negari fuisse pro hac sententia, dùm dicit: *Quia ergò sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res quibus sanctificetur: sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideò in Sacramentis novæ Legis, quibus homines sanctificantur, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.* Huic sententiæ adhæret *Bened. XIV.* (2), qui dicit nullum haberi fundamentum. undè probetur hæc potestas fuisse a Christo Jesu Ecclesiæ concessa, imò probatur oppositum ex *Trident. sess. 21. cap. 2.* ubi dicitur Ecclesiam nihil posse circa substantiam sed tantùm circa administrationem Sacramentorum. Quoad autem diversitatem Ecclesiæ græcæ et latinæ, respondetur quòd traditio instrumentorum non habetur pro materia essentiali, sed accidentali, licèt integrali. Et Decreto Eugenii respondemus cum *Merbes. Tourn.* et *Conc.* quòd Pontifex non jam determinavit materias essentielles Ordinis, sed tantummodò instruere voluit Armenos circa ritum Ecclesiæ romanæ, cum qua cupiebant uniri. Nec valet dicere quòd Eugenius non loquebatur de ritu, sed de materia; quia respondetur quòd si hoc verum esset, sequeretur certum esse quemlibet Ordinem etiam minorem, cui sigillatim Papa designavit materiam, esse Sacramentum; sed hanc certitudinem etiam ipsimet adversarii negant (3).

(1) 3. p. q. 60. a. 5. — (2) *De Sy n. l. 8. c. 10. n. 10.* — (3) *Lib. 6. n. 12.*

16. — Tertia quæstio est, quænam sit materia sacerdotii, an sola impositio manuum, an etiam instrumentorum traditio, et quænam sit forma? Tres adsunt sententiæ. I. quæ est *Fagnan. Sot.* et aliorum paucorum, vult materiam esse solam traditionem instrumentorum, quæ Episcopus tradit ordinando; et formam esse verba, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, etc.*, et hæc solâ materiâ, et formâ dicit tradi potestatem, tam sacrificandi, quàm à peccatis absolvendi. Momentum totale desumunt ex Decr. Eugenii IV. ubi dicitur: *Ordo presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem.* Sed hæc sententia communiter ab aliis DD. non recepta est. II. Sententia est *Bellarmin. Estii, Scot. Layman, Salm. Coninch. Holzm. Vasq., etc.*, quæ vult in ordinatione sacerdotii duplicem esse materiam essentialem, dicendo per traditionem instrumentorum dari potestatem super Corpus Christi reale, nempe sacrificandi, cum forma, *Accipe potestatem*: et per impositionem manuum tradi potestatem super Corpus Christi mysticum, nempe absolvendi à peccatis cum forma, *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseras peccata, remittuntur eis.* III. Sententia quam tenent *Martene, Becan. Tourn. Juvenin, Petrocor. Conc.* et alii cum *S. Bonav.* cui adhæret *Bened. XIV.* (1) vult utramque potestatem sacerdoti conferri per secundam impositionem manuum, nempe cùm Episcopus extendit manus super ordinandum unâ cum presbyteris assistentibus, sicut declaratur à *Trid. sess. 14. c. 3. de Extr.-Unct.*, ubi dicitur quòd ministri Extr.-Unct. sunt aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum presbyteri. Probatur hæc sententia, 1. ex *Trid. sess. 23. c. 2*, nempe quòd ex Scripturis satis docemur nos ea, quæ maximè attendenda sunt in ordinatione sacerdotum, et diaconorum; sed ex Scripturis nihil aliud assignatum habemus pro materia Sacramenti Ordinis, quàm manuum impositionem: dicendum igitur est præter impositionem nihil aliud in ordinatione esse de necessitate essentiali. Probatur 2. ex ritu græco, quo ordinantur (ut dictum est) solâ manuum impositione; cùm valor Sacramentorum essentialiter dependeat ex materiis, et formis à Jesu Christo institutis. Accedit etiam quòd notat *Bened. XIV.* loc. cit. cum *Martene*, quòd traditio instrumentorum non prius in Ecclesiam invecta est, quàm à sæculo VIII. vel IX. Ad hoc AA. adversarii nihil quòd respondeant habent.

(1) *De Syn. l. 8. c. 10. n. 6.*

nisi quod relatum est in quæstione secunda, nempe quòd à Domino relicta sit Ecclesiæ potestas determinandi in specie materias, et formas Sacramentorum; sed ad hoc jam ibi satisfactum est. Quænam autem sit forma juxta hanc tertiam sententiam, alii dicunt esse verba, *Accipe potestatem, etc.* Sed fortè probabiliùs dicunt *Morin.* et *Tourn.* esse orationem quam recitat Episcopus in præfata impositione; et verba quæ recitat in fine in tertia manuum impositione, *Accipe spiritum*, esse dicunt tantùm declarativa *Spiritus sancti* jam accepti. Hæc tertia sententia est probabilior, sed quia secunda etiam est probabilis, saltem extrinsecè, ideò illa in praxi sequenda (1). Cætera spectantia ad hoc Sacramentum, jam dictum est à principio, quod notentur in *examine Ordinandorum.*

TRACTATUS XVIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS.

PUNCTUM I.

De natura sponsaliorum.

Definitio sponsaliorum, An pueri ante septennium, etc. Qui promittit sine animo se obligandi, aut adimplenti. Qui dolo aut errore, etc. 1. Si conditio dederit causam contractui 2. De sponsalibus metu initis 3. An promissio debeat esse mutua? 4. An externata signis? Quid si promittit pater pro filio præsentem: et quid si pro absente 5. An in dubio favendum sit libertati. Qui promittit in futurum, etc. Quid si mittitur annulus, etc. An requiratur dispensatio, etc. 6. De impuberibus, etc. De tactibus inter sponsos 7.

1. — SPONSALIA definiuntur: *Promissio voluntaria et deliberata, et mutua, signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas habiles.* Dicitur 1. *Promissio*, quia solum propositum non externatum, nec acceptatum, certè non obligat (2). Dicitur 2. *voluntaria*, et *deliberata*, nam

(1) Lib. 6. n. 749. — (2) Lib. 6. n. 831.

ad inducendam obligationem gravem, quam secum inducit promissio sponsalitia, requiritur spontanea, et plena deliberatio. Ex quo deducitur 1. quòd nemo potest teneri ad sponsalia, nisi constet de suo perfecto rationis usu; sed si constat, utique ille remanet obligatus, licèt esset puer, qui adhuc non explevit septennium, juxta probabiliorem, et communiorem sententiam *Sanch. Coninc. Bonac. Salm.*, etc. contra *Palaum*, et alios, modò (intelligi debet) hujusmodi puer comprehendat aliquo modo onera, quæ secum affert status conjugalis. Deducitur 2. quòd non remanet obligatus qui promittit sine animo contrahendi, aut sine animo se obligandi, licèt cognosceret obligationem quæ ex sponsalibus oritur, ut probabilius dicunt *Sanch. Pal. Laym. Less. Salm. Mazz.*, etc. contra *Pontium, Sol. Vivam*, etc. quia quando obligatio oritur ex propria voluntate, ubi deest voluntas, deest etiam obligatio. Et hoc valet etiamsi promissio sit jurata, ut rectè dicunt *S. Bonav. S. Antonin. Sanch. Palus, Salmant. Bon.* cum *S. Thoma*, quia juramentum sequitur naturam promissionis (1). Secus verò dicendum, si adfuisset defloratio cum ficta promissione, ut dictum fuit *Tom. I. Tract. X. n. 93.*, cum de restitutione locuti fuimus (2). Qui promittit sine animo contrahendi, at cum animo se obligandi, iste certè remanet obligatus, licèt à principio ei deesset animus promissionem exequendi (3). Deducitur 3. quòd non remanet obligatus qui promittit inductus vi, aut dolo alterius, aut errore circa substantiam, aut circa conditionem substantialem, ut esset cum ille expressè promitteret sub illa particulari conditione: quod cæteroquin est commune cum cæteris contractibus; vide dicta *Tract X. n. 124.*

2. — Quæritur 1. an valeant sponsalia, cum dolus aut error sit circa aliquam conditionem, non jam substantialem, sed accidentalem, sed eam quæ causam contractui ita dedit, ut sine illa sponsus non contraxisset? Plures DD. dicunt sponsalia tunc irrita esse; sed nos oppositum ut probabilius tenuimus (4); vide dicta *Tract. X. n. 124.* ubi diximus etiam quòd pars decepta habet cæteroquin actionem ad rescindendum contractum, licèt deceptio evenisset ab aliquo tertio, insciã parte, ut docet *Sanch. cum Covar.* et aliis; imò probabiliter dicunt *Less. Laym. Spor. et Viva*, quòd si res integra est (ut evenit in simplicibus sponsalibus), et error sit invincibilis, in conscientia deceptus non tenetur stare contractui, ne judicis quidem post

(1) *Lib. 6. n. 833.* — (2) *n. 852.* — (3) *n. 853.* — (4) *n. 855.*

sententiam (1). An autem stando primæ sententiæ, nempe quòd talis contractus dolo dante causam contractui sit ex se irritus, eo casu etiam decipiens liber extet à sua obligatione? negamus juxta probabiliorem cum *de Lug. Pal. Less. Laym.*, etc. contra *Sanch. Pontium*, etc., ex generali ratione quòd nemini patrocinari debet fraus sua (2).

3. — Quæritur 2. an sponsalia contracta metu injusto, gravi, et ab extrinseco sint ex se invalida? Alii, ut *Coninch. Dicast. Viva*, etc. dicunt non esse irrita, sed irritanda arbitrio partis, quæ metum passa est, sicut dictum est de omnibus aliis contractibus *Tract. X. n. 125*. Sed sententia probabilior, et communissima cum *Sanch. Pontio, Laym. Bonacina, Azor. Sa, Bec. Boss. Salmanticens.* etc. contendit esse omninò irrita, quia sponsalia sequuntur naturam matrimonii, quod certè nullum est, dum metu contrahitur, ideòque sicut nemo tenetur hujusmodi matrimonium contrahere: ita nec potest teneri sponsalibus quæ sunt medium ad matrimonium. Undè fit quòd ex talibus sponsalibus nullum oritur publicæ honestatis impedimentum (3). Dictum est tamen 1. si metus est *injustus*, quia si esset *justus*, sicut est validum matrimonium (prout dicemus postea), ita sunt valida etiam sponsalia (4). Dictum est 2. si metus sit *gravis*; si enim metus est *levis*, obligant sponsalia juxta sententiam probabiliorem et communiorem *Bonac. Pont. Medin. Salm. Croix, Viva, Mazzot.* etc. (contra *Nav. Less. Ronc.* etc.), dum judicatur sponte contrahere ille, qui cum possit metum repellere, cum ille sit *levis*, non respuit (5). Excipitur tamen, si talis metus, licet *levis*, dederit causam contractui, ut probabiliter dicunt *Laym. Sanch. Bonac. Wigandt, Salm. Croix, Lugo, Azor.* adversus *Pontium, Vivam*, etc. Tantò magis hoc currit, si qui passus est metum hujusmodi *levem*, tanquam *gravem* apprehendisset (6). Dictum est 3. *ab extrinseco*, quia si fuisset *ab intrinseco* (v. g. si quis promitteret, timens ne cogeretur ad solvendum debitum, aut ne in carceres conjiceretur) tunc iste tenetur ad sponsalia (7).

4. — Dicitur 3. quòd promissio sponsaliorum debet esse *mutua*. Hinc si alter sponsorum promittit, alter verò non, neuter eorum remanet obligatus; præterquam si pars promittens vellet se obligare independenter ab alterius promissione; sed in eo casu non teneretur illa vi sponsalium,

(1) *Lib. 6. n. 835.* — (2) *n. 835. v.* An autem. — (3) *n. 844.* — (4) *Ibid.* — (5) *Ibid. Quær. II* — (6) *Ibid. Quær. III.* — (7) *n. 1055.*

sed vi simplicis promissionis (1), quæ juxta opinionem probabilem innixam auctoritate *S. Thomæ* (ut dictum est *Tract. X. n. 127.*), cum obliget tantum ratione fidelitatis, non obligat sub gravi. Sed hic quaeritur 1. an quis possit se obligare sponsalibus sub gravi cum vera promissione sponsalitia, independenter ab obligatione alterius partis? Negant *Pont. Vasq. et Conc.*; sed communior et probabilior est sententia opposita *Sanch. Laym. Bon. Coninc. Spor. Salm.* etc. (2). Quaeritur 2. an pars non repromittens, sed solum acceptans alterius promissionem sponsaliorum, intelligatur se obligasse? Affirmant *Ponc. S. Ant. Silv.*, etc.; sed probabilius negant *Sanch. Bonac. Laym. Conin. Sot. Castrop. Salm.*, etc., quia rectè potest stare promissio unius sine repromissione alterius: nec acceptatio includit repromissionem, cum possit jam aliquis acceptare alterius obligationem, quin seipsum obliget (3). Advertendum tamen est (ut probabiliter dicunt *Spor. et Tambur.*) plerumque sponsos non intendere se obligare, nisi sub conditione, ut altera pars etiam se obliget (4).

5. — Dicitur 4. *signo sensibili expressa*; quia non sufficit ad se obligandum taciturnitas sponsorum. Excipitur casus, si pater aut mater pro filio, aut filia præsente et tacente promitteret, ut habetur ex *cap. un. §. fin. de Despons. impub.* ubi dicitur: *Porrò ex sponsalibus quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii si expressè consenserint, vel tacitè, et præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur* (5). Advertendum tamen 1. hoc habere locum quoad forum externum, sed quoad conscientiam filius non tenetur sponsalibus si internè dissentit, ut dicunt *Bonac. Ronc. Holzm. et Anacl.* Et idem puto dicendum, si filius nec assentit, nec dissentit, sed negativè se habet; dum ad contrahendam aliquam obligationem requiritur positivus consensus. Nec obstat verbum textûs *obligantur*; quia intelligi debet, ut rectè dicunt *Bonac. et Salm.*) quoties adest consensus internus (6). Advertendum 2. hoc procedere solum in casu quo promittunt parentes, non autem si promittunt alii, licet sint tutores, aut curatores; quia præfata legis dispositio tantum comprehendit parentes, qui pro filiis promittunt (7). Si tamen hujusmodi parentes promittunt pro filio absente, alii DD. ut *Sanch. Ponc. Ronc. Escob. Boss.* etc. dicunt non sufficere filium certiozem factum promissioni

(1) *Lib. 6. n. 856.* — (2) *n. 857.* — (3) *n. 856. Quær. I.* — (4) *n. 857. in fin.* — (5) *n. 858.* — (6) *Ibid. v.* Id tamen — (7) *Lib. 6. n. 858. et 859.*

non contradicere, sed ampliùs requiri, ut ratificet medio aliquo signo expresso, aut tacito. Hæc sententia est probabilis; sed probabilior est opposita *Bonac. Palud. Castr. Conc. Sot. Salm. Spor.* etc. quæ affirmat sufficere taciturnitatem filii absentis; et hujus sententiæ est etiam *S. Thom.* (1) qui dicit: *Robur habent (sponsalia) in quantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, et intelliguntur consentire quæ per alios facta sunt.* Et probatur etiam ex cit. *cap. un. de Despons.* in 6. ubi dicitur: *Et est idem, si filii tempore sponsaliorum absentes, et etiam ignorantes eadem sponsalia, post scienter ratificaverunt tacitè, vel expressè. Expressè intelligitur, externè consentiente, tacitè intelligitur non contradicente, ideòque dicitur ibi, Et idem est; in tantum dicitur ratificaverunt, quia agitur de re nomine alterius acta.* Notant tamen *Castrop.* et *Coninc.* non sufficere si filius casu sciat sponsalia à parente celebrata, et non contradicat; sed ampliùs requiritur ut parens per se, aut per alium eum certiore faciat (2).

6. — Hic quæritur 1. an in dubio verborum, aut signi promissionis sponsalium, sit potiùs favendum matrimonio, an libertati? Alii dicunt matrimonio, sed probabiliùs (ut dicit *Viva*) favendum est libertati (3). Quæritur 2. an teneretur vi sponsalium qui diceret: *Non ducam aliam nisi te?* Quicquid dicant alii, verior sententia est, et valdè communior *Laym. Castrop. Sanch. Escob. Boss. Holzm. Salm. Anacl.*, quæ docet istum non posse aliam ducere uxorem, sed non teneri ad illam ducendam. Teneretur tamen, ut dicunt *Pontius, Viva, et Perez*, si verba essent de præsentis: *Nolo aliam nisi te* (4). Mittere anulum aut alia dona sponsalitia non inducunt sponsalium obligationem, nisi is esset regionis mos, ut docent communiter *Sanch. Castrop. Conc. Bossius, Busemb.* etc. aut nisi præcessisset promissio alterius partis, et altera acceptasset anulum ab illa missum, ut communiter *Castr. Busemb. Escob. Sanch. Silvest. Holzm.* et alii; aut si missus fuerit à parentibus cum illius consensu, ut rectè subjungunt *Sanch. Castrop. Boss. Mol.* etc. Sponsalia autem celebrata inter eos qui aliquo tenentur impedimento, sub conditione, si *Papa dispensat*, licèt non sint valida, obligant tamen ad expectandum usque dum exitus videatur dispensationis, si ipsa de facili obtineri possit (5). Vide dicenda *seq. punct. III. num. 15. in fine.*

(1) *In 4. dist. 27. q. 2. ad 1.* — (2) *n. 859. Dub. 2.* — (3) *n. 840. v. Quandè.* — (4) *n. 842.* — (5) *Lib. 6. n. 845.*

7. — Dicitur §. et demùm , *inter personas habiles* ; hoc intelligitur quòd non valeant sponsalia , si deest sponsis ætas præscripta , aut si inter eos aliquod subsit impedimentum (1). Hic notandum 1. promissionem matrimonii per verba de præsentì inter impuberes valere pro sponsalibus ; sècùs de puberibus , qui clandestinè contraherent , nempe sine parochò , et testibus ; quia cùm invalidus sit contractus ex se , dùm ei obstat lex Tridentini , ille nullam parit obligationem. Intelligitur hoc tamen pro locis ubi Trident. receptum est , nam pro aliis locis sponsalia inita verbis aut signis de præsentì (putà copulà affectu maritali exhibità , transeunt in matrimonium (2). Notandum 2. inter sponso non solùm esse mortales actus impudicos , sed etiam pudicos , quoties ad id fiunt ut delectatio sensibilis habeatur . eodem modo , ac sunt mortalia inter solutos , ut dictum est *Tom. I. Tr. IX. n. 2.* ; nullus enim sponso (quicquid dicant alii) acquirit jus ad alterius corpus ; undè sicut sponsis vetita est copula ; ita etiam tactus , qui ideò permittuntur , in quantum sunt ad illam ordinati ; ita rectè docent *Lessius , Bonac. Ronc. Conc. Suar. Viva , Croix , Mazzot.* et alii plures. Vix sponsis permitti possunt (ut dicunt *La Croix , Viva ,* et alii) oscula illa , vel amplexus , quos mos patriæ permittit , modò non sint pressi , neque per notabile tempus protracti. Nec practicè probabilis est opinio illorum AA. dicentium licitos esse sponsis tactus pudicos , si ipsi non intendant delectationem veneream , sed solam sensibilem ; in hoc enim ordinariè adest periculum incidendi in veneream tam sensibili propinquam , aut saltem in prava desideria progrediendi ad veneream (3). Et sic etiam sub gravi prohibitum est sponsis se delectari de copula futura ; cùm illa ipsis in præsentì statu actualiter sit vetita (4). Vide dicta *Tom. I. Tract. III. num. 51.*

PUNCTUM II.

De sponsaliorum obligatione.

Quomodò , et quando sponsalia sint exequenda 8. *Quid si unus promittit dualis mulieribus* 9. *An filius possit insciis parentibus se obligare* 10. *Qui à sponsalibus recedit , etc. Et de pœna apposita recedenti* 11. *An debeat legatum relictum sub conditione , si nubat , etc. aut si non nubat* 12.

8. — SPONSALIA obligant certè sub gravi ad contrahendum matrimonium ; et si non est præfixum tempus , obli-

1) n. 840. — 2) n. 855. in fin. — 3) Lib. 6. n. 854. — 4) Ibid. in fin.

gant statim, juxta sententiam veriore Pontii, Castrop. Ronc. Conc. Coninch. Salm., etc. contra Sanch. Nav. Holzm., etc. qui contendunt non obligare, nisi cum pars instat; sed ratio nostra est, quia omnes obligationes, ubi terminus præfixus non est, debet quamprimùm adimpleri, ut exprimitur in *L. Eum qui*, §. *Quoties*, ff. *de verb. oblig.* ubi dicitur: *Quod sine termino præfixo debetur, statim debetur.* Probabiliter tamen dicunt Castrop. Coninch. Salm., etc., quòd in casu quo altera pars commodè posset pro matrimonio contrahendo instare, et taceret, tunc prudenter potest judicari consentire illam dilationi (1). Hoc valet quoad partes, sed quoad judicem, rectè docent Sanch. cum S. Bonac. S. Antonin. Navar. Conc. Castrop. Holzm. Ronc. Salm. et aliis communiter, quòd ille non debet eos cogere ad matrimonium, si ex eo timentur scandala, aut rixæ, ut exprimitur in *cap. 10. de Sponsalib.* ubi dicitur: *Ecclesiasticà censurà compellas, nisi rationalis causa obstiterit.* Et ita declaravit etiam S. C. Et in dubio semper satius erit, ut dicunt Busemb. Tambur. et Concina, evitare damna talis matrimonii, quàm evitare damnum partis; undè si unquam pars retinens ideò excommunicata fuit, expedit ut judex eam absolvat, quoties timetur ne futurum sit, ut hujusmodi nuptiæ malum exitum habeant (2).

9. — Notandum 1. quòd si quis sponsalia cum duabus contrahit, et secunda conscia erat sponsaliorum, quæ cum prima inita erant; matrimonium cum prima erit contrahendum. Si verò erat inscicia, aliqui DD. dicunt quòd in casu quo copula intercessisset cum secunda, sponsus hanc ducere debet; sed communiùs et probabiliùs dicunt Nav. Sanch. Led. Bon. Ronc. Elbel, Laym. Soto, Holzm. Anacl. Croix, etc. in omni casu ducendam esse primam, quia promissio facta secundæ semper nulla est, et de re illicita, cum jam promissa fuerit priori sponsæ, ideòque non tenet, licet juramento firmata fuisset. An autem cum intercesserit copula cum secunda, debeat prior cedere ex æquitate? Alii affirmant; sed non improbabiliùs Holzm. Anacl. Gutt. et Pichler, sentiunt ne teneri quidem ad hoc primam, dum secunda sponsa imbecillitati suæ imputare debet incommodum talis damni (3).

10. — Notandum 2. sponsalia inita à filiis, insciciis parentibus, certè esse valida, ut declaravit Trid. sess. 24. *cap. 1. de Ref. matrim.* contra Lutherum, et Bucerum. Cele-

(1) N. 845. v. Quær. igitur. — (2) Lib. 6. n. 846. — (3) n. 848.

bris illa quæstio est, an peccet graviter filius, qui invitis parentibus, matrimonium contrahit? In hoc quatuor ad-sunt sententiæ. *Prima* dicit peccare graviter, sive contrahit insciis, sive invitis parentibus; et hoc ratione gravium scandalorum, et damnorum quæ cæteroquin ex hujusmodi matrimoniis oritura sunt; ita *Pontius, Sylvius, Nav. Mol. Conc. Petrocor. et Ronc. Secunda* autem sententia dicit filium teneri sub gravi obligatione parentes certiores facere, et etiam consilium accipere, alioquin eis gravem inferret injuriam; sed non teneri postea eorum consilio stare, cum non teneantur filii, juxta id quod docet *S. Thomas* (1), parentibus parere in iis quæ ad matrimonium spectant, cum in id totalis requiratur libertas; ita *Vasq. Sanch. Barb. Laym. Bonac. Filliuc. Viv., etc. Tertia* sententia dicit, quod quoties matrimonium non affert dedecus familiæ, et non adsit causa ob quam parentes justè contradicant, filius non peccat graviter si uxorem ducit, aut nubit insciis parentibus; cum enim ille non teneatur eorum stare consilio, consequens est non posse esse gravem illius obligationem, ut eos consulat; ita *Castrop. Bossius, Holzm. Salm. Pichler, Elbel, Covar. Renzi, Led. Vict. Henr. Spor. Aver. Dicast., etc. Quarta* sententia quasi cõhærens cum tertia distinguit, et dicit: Si parentes justè vetant filio aliquod matrimonium particulare, putà quia esset illud dedecori, aut scandalo familiæ, tunc filius peccaret graviter, si illud contraheret. Et in casu quo esset dedecori familiæ, ille non tenetur sponsalibus contractis, etiam juratis, licèt sponsam deflorasset, cum sufficiat tunc si tantum illam dotet, si potest; cum justitia non possit obligare ad actum qui sine peccato executioni mandari nequit. Secus autem dicunt, si pater sine justa causa impediret matrimonium: ita *Laym. Delb. et Aversa* (2). Cæterum omnes conveniunt communiter DD. ad excusandum filium in casibus sequentibus: nimirum 1. si pater injustè vetaret statûs conjugalis electionem, et filius esset in periculo incontinentiæ. 2. Si filius injustè è parentibus vexaretur. 3. Si pater longè abesset, et filius posset prudenter præsumere ejus consensum. 4. Si pater impediret matrimonium suo statui conveniens, nam cum in tali casu peccaret pater, non teneretur filius ei obedire, ut communiter dicunt *Sanch. P. Sotus, Cordub. Boss. Gull. Rebel. Viva, etc.* 5. Si pater vellet filio uxorem indignam, infirmam, aut pravæ conditionis dare (3). Quæritur autem

(1) 2. 2. q. 104. a. 5. — (2) *Lib. 6. n. 849.* — (3) *Ibid. v. Conveniunt.*

hic, an filius teneatur obedire parenti, qui jubet eum statum matrimonialem inire, aut uxorem à qua ipse abhorret, ducere? Plerùmque ab omnibus negatur; sed *Laym. Sanch. Bellarm. Sot. Petrocor. Croix, Bossius*, et alii communiter excipiunt, si ob tale matrimonium gravis inimicitia dirimenda esset, aut si parentes à magna paupertate per illud essent sublevandi; sed hoc intelligitur, quoties filio status matrimonialis esset assumendus; intelligi etiam debet, quoties illi non esset horror valde intolerabilis erga illam mulierem; charitas enim neminem potest obligare ad tantum, ut ei vivendum esset totam vitam suam cum uxore quam notabiliter horreret (1).

11. — Notandum 3. partem, quæ voluntariè à sponsalibus promissis recedit, quæmittere arrhas sponsalitiàs, et teneri ampliùs acceptas restituere cum refectione omnium damnorum, quæ ab hoc suo recessu emanant. Quocircà advertendum esse illicitam et invalidam promissionem pœnæ quæ apponeretur in sponsalibus in recedentem, uti constat ex *cap. Gemma, de spons.* ubi hæc habentur: *Cùm itaque libera matrimonia esse debeant, et ideò talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit meritò improbanda*, etc. Itaque in tali casu, qui recedit non tenetur ad præfatæ pœnæ solutionem, licèt promissionem juramento obfirmasset (2). Et si pœna unquam soluta sit, qui eam exegit, tenetur ad restituendum, uti sentit probabilior opinio *Castrop. Soti, Boss. Guttier. Hurtad. Salm.*, etc. adversùs *Sanch. Less. Escob. Mol.* et alios, quia illi nullus titulus est, quo eam sibi retineat; dùm lex omninò irritat talem promissionem, ut expressum est in *L. fin. cap. de Sponsal.* ubi dicitur: *promissio pœnæ ex utraque parte nullas vires habebit* (3). Hoc tamen currit quando pœna apponitur à sponsis, aut à sibi conjunctis, aut amicis, secùs autem, si ab extraneo, ut notant communiter *Sanch. Castrop. Salm.*, etc. (4). Insuper currit, si pars justè recedit; sed si injustè repugnat matrimonium inire, licèt sit probabilis sententia *Sanch. Bonac. Boss. Conc. Becan.*, etc. ne teneri quidem ad eam pœnam, quia secus matrimonii libertas etiam aliquam pateretur læsionem; attamen probabilior est opposita *Pontii, Laym. Castropal. Suar. Vasq. Salm. Anacl. Ronc Holzm.*, etc., quia præfatæ pœnæ promissio non est prohibita neque jure naturali, nec positivo: non quidem naturali, cùm æquum sit subjici pœnæ eum qui injustè recedit; libertas autem quæ in matrimonio

(1) N. 850. — (2) *Lib. 8. n. 853.* Quær. II. -- (3) *Ibid.* Quær. III. — (4) n. 855.

requiritur, est libertas rationabilis, non irrationabilis; aliàs nunquam posset iudex censuris, aut carceribus cogere sponso ad contrahendum: nec positivo, nam (sicut affert *Pontius*) in *Novella* 18. expressè approbatur pœnæ impositio in recedentem injustè à sponsalibus. Et textus canonicus in *cap. Gemma*, superiùs relatus, debet intelligi de recessu justo, non autem de injusto (1). Advertendum etiam quòd *Benedictus XIV.* in Bullâ *Nimiam licentiam*, die 18. Maji 1743. damnavit, et irrita declaravit pacta inter conjuges inita de non appellando à sententia pro matrimonii nullitate, adeò ut in nullo foro obligent nec interno nec externo, sub pœna excommunicationis Papæ reservata, præterquam in articulo mortis.

12. — Sed quæritur hìc, an legatum relictum puellæ sub conditione ut nubat certo juveni, ei debeatur, cùm nubit alteri? Respondetur: per se loquendo non debetur, ut habemus ex *L. Titio*, §. 1. ff. de *condit. et demonstr.* dùm illa jam libera restat ad acceptandas aut respuendas tales nuptias. Sed excipitur 1. si secùs pater ei Legitimam denegaret. 2 Si illud matrimonium esset indignum, quia tunc talis conditio reputatur ut turpis; ita communiter *Laym. Mol. Ronc. Vasq. Salm. Boss.*, etc. cùm *Rot Ronc.* Si autem sponsus esset dignus, sed pater puellæ vellet ut illa alteri nuberet, *Pontius*, etc. dicit tunc legatum ei non deberi ex sententia quam ipse tenet, non peccare filiam cùm nubit personæ dignæ, licèt invito parente, multi alii tamen, ut *Ros. Sanch. Mol. Coninc. Guttier*, etc. tenent oppositum, dicentes quòd cùm non possit puella, parente dissentiente nubere, parenti obtemperando, privari non debet legato (2). Si autem mulieri sit relictum legatum sub conditione, ne nubat, et illa nuberet, si ipsa est virgo, etiam ei debetur legatum: secùs autem si est vidua (3).

(1) *Ibid.* Quær. I. — (2) *Lib.* 6. n. 853. Quær. IV. — (3) *L.* 3. n. 950. v. *Dubit.* 7.

PUNCTUM III.

De sponsaliorum dissolutione.

Solvuntur sponsalia I. Ob nuptias cum alio initas. An deobligatus restet nocens 15. II. mutuo consensu. licet intercesserit juramentum. Quid de impuberibus 14. III. Ob impedimentum superveniens. An teneatur petere dispensationem 15. An disparitas dirimat sponsalia 16. An parentum dissensus 17. IV. Ob delictum atrox. An ob fornicationem; et an talis fornicatio malitiam contineat diversam 18. V. Ob notabilem mutationem, v. g. odii, æris alieni, morbi, etc. An ob novam hæreditatem. An si melior occasio, etc. 19. VI. Ob discessum in longinquam regionem 20. VII. Ob terminum elapsam 21. VIII. An ob religiosam professionem aut ob Ordines sacros. An ob ingressum, etc. 22. An si ante ingressum, etc. 23. An peccet qui Sacris inihiatur 24. An votum castitatis, aut sacros suscipiendi Ordines dirimat, etc. 25. An requiratur iudicis auctoritas, etc. 26. Quenam probatio requiratur, etc. 27.

13. — DISSOLVUNTUR sponsalia ob sequentes causas. I. Ob matrimonium validum ab alia parte contractum (1). Hoc certum est quoad partem innocentem; sed dubium fit, an etiam nocens liber à sponsalibus remaneat ex matrimonio à se contracto. Affirmant *Sanch. Bonac. Laym. Wigandt*, et alii, quibus etiam inclinatur *Concina*; sed oppositam sententiam *Pontii, Castropal. Concina. Roncagl. Sylvi, Salm. Ledesm.*, etc., ego puto absolutè probabiliorem, nam talis dissolutio non probatur nec lege positivâ, nec naturali; nam ratio naturalis dictat obligationem jam contractam sponsaliorum, durante matrimonio, suspendi dumtaxat, non extinguì (2).

14. — II. Ob mutuum consensum sponsorum. Sed hic advertendum quòd inter puberes ob talem consensum mutuum solvuntur sponsalia, licet fuerint juramento firmata; intelligitur, modò adsit justa causa, aliàs peccarent sponsi, non quidem graviter, sed leviter, ut dicunt *Sanch. Ronc. Navar. Holzm. Salm.*, etc.; licet juramentum principaliter fuerit factum in Dei honorem, quia in omnibus juramentis in proximi favorem redundantibus, semper subauditur conditio, nisi à parte remittantur (3). Inter impuberes autem non dissolvuntur mutuo consensu, nisi cum ad pubertatem pervenerint: uti habetur ex *cap. De illis, de sponsal. impub.* Itaque impuber, cum pubertatem

(1) *Lib. 6. n. 875.* — 2 *Ibid. v. Quæritur.* — 3 *Lib. 6. n. 855.*

attigerit, poterit à sponsalibus recedere, modò statim animum suum declaret: hoc *statim* intelligitur intra tres dies, qui incipiunt non quidem à tempore pubertatis, sed à die quo pars venit in notitiam privilegii posse recedere. Quòd si sponsus dissentit jam ante pubertatem, et in dissensu perseverat, jam sponsalia soluta sunt, statim ac puber ille fuit factus: modò hunc dissensum suum aperuerit; ut vult sententia probabilior *Ronc. Castr. Suar. Conc.*, etc. (contra *Sanch. Bonac.*, etc.); quia tale beneficium non est concessum nisi reclamantibus, quod proculdubio intelligitur externè (1). An autem sponsus, cum ad pubertatem pervenit, possit recedere, licèt sponsalia juramento firmaverit, negant *Bonac. Sanch. Ronc.*, etc.; sed probabilius affirmant *Ponc. Castr. Concina, Viva, Palud. Salm.*, etc., quia juramentum sequitur naturam contractûs, sive sponsaliorum, quæ inter impuberes sunt revocabilia: nec obstat *cap. Litteris, de Sponsal.*, quia sicut animadvertunt *Castr. Ponc. et Viva* ibi tantum loquitur de *impubescentibus*, ut exprimit textus, nempe de proximis pubertati, qui meritò habentur uti puberes et huic sententiæ etiam assentitur *Sanch.* cum aliis (2).

15. — III. Ob *impedimentum superveniens*. Sed hîc distinguenda sunt impedimenta: si impedimentum est tantum impediens, probabilior est sententia, et est communissima cum *Sanch. Castropal. Palud. Bon. Coninch.*, etc. (contra *Sotum*) sponsalia non dissolvi; modò impedimentum non sit ob votum religionis, et etiam probabiliter castitatis, ut infra dicetur *num. 25*. Si verò impedimentum est dirimens, certum est sponsalia dissoluta esse, quoad partem innocentem, etiamsi nihil aliud esset, quàm fama apud majorem partem vicinæ; secùs autem quoad nocentem, juxta probabiliorē sententiā, et communiorē *Sanch. Castrop. Coninch. et Guttier.* (contra *Dicast*). ex illa generali regula, quòd nemo potest ex suo delicto commodum reportare (3). Propterea in eo casu sponsus qui impedimentum contraxit, tenetur dispensationem procurare, quoties de facili potest, et intra tempus breve; secùs cum magna impensa, aut magno labore, et tempore opus esset; etenim ille tenetur fidem præstare mediis ordinariis, non autem extraordinariis, ut probabilius *Sanch. Bonac. Gutt. Wigandt, et Sporer,* contra *Castrop. Ronc. et Salm.* qui eum obligant, etiamsi impensa esset nimia. Meritò tamen excipit *Sporer,* cum *Tamb.* si sponsus tene-

(1) N. 856. (2) *Ibid.* Quær. — (3) *Lib. 6. n. 857.*

retur ad matrimonium, ut damnum repararet deflorationis, aut infamiæ sponsæ (1). Et si fortè aderat impedimentum tempore quo celebrata fuerunt sponsalia, et hæc celebrata fuerunt cum pacto impetrandi dispensationem, tunc licèt sponsalia non sint valida ante dispensationis impetrationem, ac proindè non inducant impedimentum publicæ honestatis; nihilominus remanent sponsi obligati ad expectandum conditionis eventum; et sponsalia, quæ cum alia persona inirentur, essent nulla, ut dicunt *Spor.* et *Ronc.* cum Decret. S. C. Et dicimus cum *Sanchez*, *Ronc. Lug. Caym. Bon. Salmant. Castrop.*, etc. dispensatione obtentâ, hujusmodi sponsalia sine novo consensu esse valida, modò consensus præstitus adhuc perseveret (2).; vide infrâ n. 34.

16. — Quæritur hic 1. an notabilis disparitas conditionis inter sponsos sit impedimentum potens sponsalia dissolvere? Respondetur, quòd si tempore contractûs ignorabatur disparitas, sponsalia utique sunt nulla. Secùs si cognita erat; præterquam si tale matrimonium non posset iniri sine notabili familiæ dedecore, v. gr. si nobilis filiam rustici, aut fabri ducturus esset; ita communiter *Laym*, *Sanch. Panorm. Ronc. Spor.*, etc. (3) Et idem dicitur si sponsus esset longè ditior, quia tunc promissio sponsalitia uti prodiga non obligat, cum nunquam quis teneatur ad exequendum illicitum, licèt sit tantùm venialiter illicitum, juxta communiorem et veriozem sententiam *Soti*, *Prad. Bann. Suar. Salm*, etc. (4). Hoc tamen intelligitur (loquendo de disparitate divitiarum) modò sponsa aliquâ peculiari prærogativâ nobilitatis, honestatis, prudentiæ, aut pulchritudinis prædita non esset, quâ carentiam bonorum fortunæ compensasset, et modò non adesset defloratio, aut modò infamiâ notata non remaneret sponsa, si matrimonium non fieret (5). Dicunt autem DD. quòd licèt matrimonium non sit familiæ opprobrium, nec liceret illud contrahere, cum timerentur damna, aut odia inter parentes. Sed considerando quòd obligatio hoc matrimonium non contrahendi in hoc casu non esset nisi charitatis actus, nescio quomodò posset excusari sponsus cum suo damnò aut incommodo à tali matrimonio non contrahendo, ut vitet odia inter parentes; nisi esset quòd ex tali matrimonio orituræ essent communes perturbaciones apud plures familias in oppido parvo, adeò ut posse aliquo modo judicari esse malum commune toti regioni (6).

(1) N. 858. et l. 3. n. 650. — (2) Lib. 6. n. 859. — (3) n. 851. et l. 5. n. 643. Dubit. 1. et 2. — (4) Lib. 6. n. 851. v. Sed quid. et seq. — (5) Ibid. v. Juxta. — (6) Ibid. v. Ad id.

17. — Quæritur 2. an dissensus parentum sit impedimentum adeò potens, ut solvi possint sponsalia? Respondetur: si parentes injustè dissentiunt, non potest filius à matrimonio resilire, cum jure canonico certum sit parentum consensum non esse de necessitate valoris matrimonii, sed tantùm honestatis. Secùs verò dicendum, si parens justè contradicat, ut cum tale matrimonium esset familiæ dedecori, aut scandalo parentibus; *Layman. Nav. Sanch.*, etc. aut, ut ait *Roncagl.*, si filius justè timeret hæreditate privari paternà, modò hoc periculum non præviderit, cum sponsalia contraxit (1).

18. — IV. Ob atrocè delictum alterius partis, si alter sponsus in hæresim incideret, aut aliquod homicidium, aut grave furtum, aut aliud facinus, quod gravi sibi esset damno, aut infamiæ, committeret. Si autem crimen esset fornicationis, distinguere oportet virum à muliere. Quoad sponsam, certum est virum liberum fieri, si illa ab alio carnaliter fuerit cognita, licèt invita, juxta communem et veriozem sententiam *Sanch. S. Antonin. Sot. Concin. Navar. Pont*, etc. et ut habetur ex *c. Raptor. 33. Casus 27. q. 2.* ubi permittitur sponso repudiare sponsam vi raptam; aut si ipsa permisit impudicè tangi. Contrà quoad sponsum, sive ipse fornicasset ante, sive post sponsalia, etiam communiùs, et probabiliùs dicunt *Sanch. Pont. Castrop. Salm.*, etc. sponsam non posse recedere. Excipiunt tamen, et meritò præfati AA. cum aliis, si celebratis sponsalibus, cognovisset sponsa, ex alia muliere sponsum habuisse prolem, aut in hoc vitium frequenter lapsus fuisse, cum multis congressum habendo (2). Dubitatur autem inter DD. an fornicatio inter sponso habeat malitiam diversam, quæ mutet specièm? Tres adsunt sententiæ omnes probabiles. Prima affirmat tam de sponsa, quàm de sponso; quia ex utraque parte irrogatur injuria juri acquisito ad corpus alterius: ita *Castr. Laym. Salm.*, etc. Secunda affirmat de sola sponsa, non verò de sponso, qui fornicando non videtur gravem afferre injuriam sponsæ; ita *Sanch. Bonac. et Fill.* Tertia etiam probabilis negat de utroque, quia neuter sponsus acquirit jus ad corpus alterius: ita *Pont. Trullen. Covar. Vival.* et probabilem vocant *Sanch. Laym. Lug., Salm. Elbel*, etc. (3). An autem nec ne teneatur sponsa, virgo reputata, suum defectum patefacere, si talis non est? vide dicenda numero sequenti.

(1) N. 877. — (2) Lib. 6. n. 860. et seqq. — (3) n. 847.

19. — Ob *mutationem notabilem*, quæ suboriatur, ut esset 1. timor gravis odii inter sponso (cognitâ ab altero alterius asperitate) aut inter parentes; ita *Bonac. Laym. Busemb. 2.* Si detegatur alter sponsus nimio ære alieno gravatus, aut si sponsa dotem non haberet: *Sanch. Tol. Pont. Bon. Spor.*, etc. 3. Si alteruter sponsus in lepram, paralytim, morbum gallicum incidat, aut aliud simile ei accidat quo difformis, aut inhabilis ad familiam sustentandam evadat, *Sanch. Conin. Layman, Bon.* et alii communiter cum *S. Thoma* (1) et sufficit ut de hoc prudens habeatur suspicio (2). Et si fortè tempore sponsaliorum alterutrâ pars haberet aliquem personalem defectum occultum ex descriptis aut suæ familiæ, qui redderet nuptias nocivas alteri parti ignorantibus, illa non potest matrimonium contrahere, nisi illum manifestet. Dictum est *nocivas*, quia si eas redderet tantum minus appetibiles, v. gr. si sponsa putabatur dives, pulchra, aut virgo, et postea talis non esset, quoties illa non fingat esse à tali defectu immunem, non tenetur illum manifestare, sed potest dissimulare, quia tunc non fingit, sed vitium suum occultat: nec aliquis tenetur suam patefacere infamiam, cum illa jus alterius non lædit; ita communissimè *Sanch. Pont. Castropal. Coninc. Roncag. Salm. Escob. Croix*, et alii, contra *Concinam* (3). Ad judicandum quænam causa valeat dissolvere sponsalia, hæ duæ regulæ attendendæ sunt. Prima est, quòd ob causas sponsalibus supervenientes, sufficit ea, quæ si prævisa esset, illa utique contracta non fuisset; undè tunc pars à tali defectu immunis remanet, quæ præsumitur contraxisse semper sub conditione quòd talis rerum non adsit mutatio, quæ prævisa si fuisset, eam à contrahendo removisset. Secunda regula est, quòd ob causas sponsalia præcedentes sufficit, ut adsit illa, quæ si suboriretur, valet ea impedire. Hinc fit, quòd si ignorantia illius causæ non dedisset causam contractui, sed fuisset concomitans, nempe quòd si fuisset cognita, etiam contracta fuissent sponsalia, tunc non possunt dissolvi; ita *Sanch. Ronc. Castrop. Salm.* et alii communiter (4). Sed hìc quæritur, an superveniente alterutri sponso pingui hæreditate, possit ille recedere à sponsalibus? Affirmant *Hurtad. Trull. Leand.*, etc. dicendo, tunc notabiliter mutari sponso conditionem. Sed alii communissimè, ut *Sanch. Boss. Comit. Castrop. Escob. Concina, Ronc.*, etc. id negant, quia tunc ille jam non

(1) *Suppl. q. 45. a. 5. ad. 5.* — (2) *Lib. 6. n. 865.* — (3) *Lib. 6. n. 864.* — (4) *n. 865. v.* Ad videndum.

deceptus est in conditione alterius partis, in qua nulla accedit mutatio. Quare dicit *Croix*, quòd si sponsus inveniret sponsam melioris conditionis, non potest primam derelinquere; sed in hoc casu, quo conditio esset longè melior, ego non auderem, meliore advertentiâ salvâ, damnare sponsum, si vellet ducere secundam; quia magni lucri amissio æquivalet magno damno, ut dictum est *Tom. I. Tract. VI. n. 22.* et ita invenio dixisse multos theologos in vita S. Joannis à Capistrano *cap. 9.*

20. — VI. Ob *discessum alterius partis in regionem longinquam*; undè fit quòd si sponsus aliò domicilium suum transferret, aut in locum longinquum proficisceretur, licèt cum animo redeundi, sponsa liberatur à promissione, et potest nubere cui velit, ut exprimitur in *cap. De illis 5. de sponsal.* ubi dicitur: *Qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, et postea, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, liberum erit mulieribus se ad alia vota transferre.* Sed si sponsus ad vicinas partes se animo redeundi transferret; tunc sponsa aut expectari debet regressum, aut debet requirere sponsum ut redeat; et si ille prosequatur absentiam, aut expectare debet usque ad competens tempus ad prudentis arbitrium, ut (ut meliùs dicunt alii) adeatur judex, ut præfigatur terminus (1). Hoc currit cùm in sponsalibus terminus non præfixus fuit; quia si jam fuit appositus, observetur quod infrà dicitur.

21. — VII. Ob *termini præfixi lapsum*, hoc nihilominùs intelligitur cùm tempus est appositum ad solvendum obligationem; et tunc libera restat pars innocens, licèt promississet sponsalia juramento, ut dicunt omnes cum S. *Thoma* (2), et est expressum in *cap. Sicut 22. de spons.* ubi Papa damnavit sponsum, qui sponsalibus initis cum una, contraxerat cum alia: *Nisi* (addidit tamen) *terminum præfixit, et per eum non stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummaverit.* Igitur, si per ipsum non stitisset, justè recessisset (3). Et hoc currit etiamsi terminus elapsus fuisset defectu alterius partis, sed inculpabiliter, ut communiter, et probabiliùs contendunt *Laym. Castrop. Nav. Conin. Conc. Salmant. Ronc.* (contra *Bonac. Pont. Vivam, Sanch., etc.*); et hoc deducitur perspicuè ex eodem textu citato (4). An autem elapso termino liberetur etiam qui culpâ suâ distulit nuptias; affirmant *Ronc.* et

(1) *Lib. 6. n. 866.* — (2) *In 4. D. 27. q. 2. a. 5. ad. 2.* — (3) *Lib. 6. n. 867.* — (4) *n. 868.*

Conc., et hæc opinio videtur non posse dici improbabilis, nam eam expressè tenet *S. Thomas* (1), dicens: *Si per eum stetit, debet agere pœnitentiam de peccato factæ promissionis, et contrahere (potest) cum alia, si vult.* Sed attentâ ratione, et communiori sententiâ *Pontii, Sanch. Laym. Navar. Castrop. Conin. Salmant. Palud.*, etc. mihi videtur valdè probabilior opposita, quia nemo debet commodum ex sua culpa reportare. Cæterùm, si ex utriusque partis culpa steterit, quin matrimonium contractum fuisset, certum est elapso termino utramque liberari (2).

22. — VIII. Ob professionem religiosam aut ob Ordinis sacri susceptionem certè solvuntur sponsalia, etsi juramento firmata (3). Quæritur autem 1. an ob ingressum in religionem remaneat libera tam pars quæ ingreditur, quàm altera? Affirmant *Busemb. Sanch. Bon. Tol.*, etc.; sed ego puto absolutè probabiliorem oppositam, quæ est communior, cum *Laym. Spor. Pont. Castrop. Croix, Conin. Viva, Gonet, Salm.* et aliis pluribus, liberam remanere tantùm partem quæ in sæculo remanet, dùm altera religionem ingrediens videtur suo juri cessisse; secùs autem pars ingrediens; illa enim ingrediendo non fit inhabilis ad contrahendum matrimonium. Opinioni autem illorum quòd utraque pars libera restet, non videtur satis probabilis (4).

23. — Quæritur 2. an cùm sponsalia sunt jurata, teneatur sponsus, antequam religionem ingrediatur, matrimonium contrahere? Dicunt *Sotus, Nav. Led.*, etc. illum teneri nuptias contrahere, sed ante matrimonii consummationem posse, si velit, religionem ingredi. Sed sententia opposita est communior, et verior *Pont. Sanch. Petrocor. Castr. Bonac. Holzlm. Spor. Salm.*, etc., quia juramentum semper intelligitur factum sub conditione, nisi eligatur status perfectior. In unico casu tantùm tenenda est prima sententia, cùm matrimonii celebratio necessaria esset ad legitimandam prolem jam conceptam, aut ad reparandum scandalum aut infamiam sponsæ. Et tunc non permetteretur sponso religionem ingredi relicto matrimonio rato, ut advertit *Busemb.* (5). Quod confirmatur ex eo quod dictum fuit *Tom. I. Tract. X. n. 97.*, ubi diximus, quòd si sponsus, etiamsi castitatem vovisset (aut religionem, ut dicunt DD. ibi citati) et postea sponsam deflorasset sub promissione (licèt ficta) matrimonii, tenetur procurare

(1) *In 4. D. 27. q. 2. a. 5. ad. 2.* — (2) *Lib. 6. n. 868.* Dubit. 5. — (3) *n. 869.* — (4) *n. 870 v. Hinc.* — (5) *Ibid.* Dubit. 2:

dispensationem voti, ut matrimonium ad effectum adducat. Si autem sponsus post sponsalia, sed defloratione remotâ, voveret religionem ingredi, procul dubio tenetur ad votum, et non obligatur sponsalibus, nisi cùm è religione egrederetur. Sed si votum esset etiam profitendi, tunc certè utraque pars libera remanet, quia tunc qui vovet, fit omninò inhabilis ad matrimonium, ùt pro certo affirmant *Salmant. Viva*, etc. (1).

24. — Quæritur 3. an peccet sponsus sacris si initiatur Ordinibus, sponsâ insciâ, aut non consentiente? Certum est ordinatum à sponsalibus liberum esse ex *Extrav. Antiquæ, de Voto*. Dubium in hoc versatur, an peccet graviter; alii affirmant, quia tantùm, ut in religionem se recipiat, permissum est jure canonico (utì volunt) à sponsalibus divertere, non verò ut statum amplectatur ecclesiasticum. Hoc non obstante valdè probabilis est sententia opposita *Pont. Navar. Conin. Bonac. Gutt. Sot. Silvest. Salm. Escob. Henriq.*, etc. ex raticne superiùs allata, quia in sponsaliorum promissione semper subauditur conditio, modò n n eligatur status perfectior (2). Si autem sponsus minoribus tantùm Ordinibus initiaretur, non potest sponsa propter hoc deflectere, juxta sententiam communiorem, et veriorē *Sanch. Pont. Palud. Wigandt, Salm.* (quicquid dicant *Ronc. et Spor.*) dùm Ordines minores non impediunt matrimonium, cùm etiam dentur clerici conjugati (3).

25. — Quæritur 4. an votum castitatis, aut sacris Ordinibus initiandi sit validum, et dirimat sponsalia etiam quoad voventem? Dico *voventem*, quia altera pars procul dubio liberatur. Dico *votum post sponsalia*, quia si ipsum antecedenter fuerit emissum, sponsalia sunt irrita, cùm irrita sit promissio rei illicitæ. Dubium igitur in hoc restringitur, quid si votum sponsalia subsequatur? Alii dicunt probabiliter fuisse nullum, quia in tertii præjudicium emissum; ita *Laym. Nav. Castrop. Cabasse. Ronc.* etc.; sed alii communiùs, ùt *Pont. Petrocor. Suar. Gonet. Coninc. Sot. Azor. Bon.* volunt esse validum et probabile dicunt ipsi AA. citati *Laym. Sanch. Castropal. Cabass. et Salm.* cum *S. Thoma* (4) qui dicit: *Per votum simplex sunt sponsalia dirimenda*. Ratio Angelici est, quia ubi concurrunt duæ obligationes, præferenda est potior; sed ratio communior aliorum est superiùs relata, nempe quòd sponsalia promissa esse intelliguntur semper sub conditione, nisi status melior eligatur Quocircà adest etiam

(1) *Lib. 6. n. 873.* — (2) *n. 871.* — (3) *n. 872.* — (4) *Suppl. q. 53. a. 1. ad 1.*

quædam cæcisio S. C. Conc. apud *Pittonium* (1) sub die 5. Martii 1701, ubi dicitur votum castitatis, aut suscipiendi Ordines sacros, irritare sponsalia etiam jurata. Addunt *Bonac.* et *Sanch.* voventem solum remanere à sponsalibus, licèt postea voti dispensationem impetraverit, et hoc non omninò est improbabile, sed probabilius mihi videtur oppositum cum *Rebell. Aver.* et *Salm.* quia prior obligatio non penitùs extinguitur, sed suspenditur donec votum servatur (2).

26. — Quæritur 5. an ad sponsalia dirimenda semper intercedere debeat judicis auctoritas? Respondetur negativè, .cùm sponsalia fuerunt publica, et causa etiam est publica, et certa; idem dicendum si sponsalia fuerint occulta, et causa est occulta. Secùs verò, si causa non est certa, sed est dubia sive juris, sive facti, quia tunc omninò intercedenda est judicis auctoritas; ita communiter *Sanchez, Castrop. Holzm. Gutt.*, etc. Cùm verò sponsalia sunt publica, et causa est occulta, tunc si causa non potest probari in judicio, non requiritur judex, sed cùm jam probari potest, requiritur, sed non sub gravi, nisi esset ad evitandum grave scandalum, ut dicunt DD. citati cum *Nav. Pont.* et aliis communiter. Cùm autem defectus posset probari, sed esset occultus, debet pars innocens alteram admonere; et tunc si illa non quiescit ut sponsalia solvantur, tunc poterit licitè defectum ad judicem deferre; *Laym. Pont. Sanch. Castrop. Coninch.*, etc. (3).

27. — Quæritur 6. quænam probatio requiritur ad solvenda sponsalia? Respondetur: si causa est circa aliquod impedimentum (sive sit dirimens, sive impediens) tunc sufficit quilibet testis juratus, modò sit oculatus, ut habetur in *cap. Super eo, de test. et attest.*, et hoc valet, licèt ille sit criminosus, et non citatus, sed tantùm productus à parte; et etiamsi deponeret in secreto, tacito suo nomine, ut dicunt *Sanch. Castr. Salm. Coninch. Holzm. Viva, Croix, Gutt.*, etc. (4). Si causa verò non fuerit impedimentum, sed alia sufficiens ad efficiendum ut alter sponsorum possit à sponsalibus desciscere, tunc, ut dicunt communius *Sanch. Laym. Castrop. Salm. Coninc.*, etc. requiruntur duo testes (5). In *cap. In omni, de test.* requiruntur duo testes jurati, ubi agitur de damno tertii. Nihilominùs probabiliter tenent *Palud. Aver. Salmant. et Trull.*

(1) *De matrim. n. 2513.* — (2) *Lib. 6. n. 873.* Dubit. I. — (3) *n. 878.* Dubit. I. — (4) *Lib. 6. n. 878.* Dubit. 2. — (5) *Ibid. v.* Si verò.

sufficere etiam unum testem fide dignum, in casu quo ipse testaretur sponsæ fornicationem. Cæterùm hoc currit quoad forum; sed in conscientia communis est sententia sufficere unum tantùm testem pro omnibus casibus, *Sanch. Castrop. Croix, Con. Salm.*, etc.

CAPUT II.

DE MATRIMONIO.

PUNCTUM I.

De materia, forma et ministro matrimonii.

Quenam sit materia, forma, et quinam sit minister 28. Illationes. An sponsi possint simulare. De matrimoniis clandestinis. An, cum convalidantur, requiratur præsentia parochi, etc. 29. De finibus matrimonii 30. An sufficiat consensus per signa 31. De matrimonio per procuratorem, aut epistolam. 32. De consensu conditionato 33. An, adimpletâ conditione, novo opus sit consensu 34.

28. — COMMUNIS inter DD est sententia ministros matrimonii esse ipsos contrahentes. Materia est mutua traditio juris quod alter in alterius acquirit corpus, per verba aut signa consensum exprimentia. Forma autem est mutua acceptatio iisdem verbis aut signis expressa. Sed huic adversantur *Canus, Juvenin. Conc. et Tournely*, dicentes ministrum matrimonii esse sacerdotem assistentem, et formam esse verba: *Ego vos in matrimonium conjungo, etc.* Sed nostram sententiam tenent *Bellarm.*, qui eam vocat communem in scholis (ut eam appellat etiam idem *Canus*), *Gonet, Frassen. Cabass. Ronc. Abel. Wigandt, Van Espen, Pontas, Petroc. Benedict. XIV. Fagnanus*, qui oppositam vocat periculosam in Fide, *Merbes.* qui asserit oppositam nunquam fuisse probabilem, et *Henriq. Manuel, Sotus* vocant eam temerariam. Pro nostra sententia etiam stant *Scot. et S. Thomas (1)*. Et quod ipsi sponsi, non autem sacerdos, sint ministri matrimonii, probatur 1. ex Conc. Florentino, ubi dicitur causa efficiens matrimonii esse mutuus consensus sponsorum; ergò ipsi sunt ministri. 2. Probatur ex Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrim. ubi matrimonia sine parochi præsentia dicuntur olim fuisse rata, nempe indissolubilia; contrà probatur aliundè ex cap. Quanto, de divort. quod matrimonia fidelium ideò

(1) *Scot. in 4. d. 26. q. 4. n. 14. et S. Th. in 4. d. 26. q. 2. a. 1. ad. 1. et d. 28. q. 1. ar. 5.*

sunt rata, quia sunt Sacramentum: *Etsi matrimonium (sunt verba textus) infidelium verum existat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum et ratum existit, quia Sacramentum Fidei (nempe Baptismus) quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.* Igitur Baptismus, non parochus efficiebat tunc ratum Sacramentum matrimonii, adeò ut esset indissolubile, sicut indissolubilis est Baptismi character. Hoc argumentum valdè exaltat Benedictus XIV. (1). 3. Probatur ex eo quòd verba, *Ego vos conjungo, etc.*, ut testantur *Martene*, et *Simonetus*, apud *Bened.*, olim non dicebantur, sed alia; idque probant ex pluribus antiquis Ritualibus. Si autem verba prolata à sacerdote fuissent forma Sacramenti, uti autumant adversarii, illa semper eadem, vel saltem æquivalentia esse debebant. Adde quòd Tridentinum permisit parochi posse uti etiam *aliis verbis, juxta receptum uniuscujusque provincie ritum* 4. Probatur ex eodem Concilio *loc. cit* ubi dicitur ita: *Qui aliter quàm presente parocho... contrahere attentabunt, inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit.* Igitur non est nullum matrimonium, si fiat coram parochi, licèt ille taceat; sed tantùm cum fit illo absente; itaque ejus verba, quæ adversarii supponunt esse formam, non sunt necessaria et per consequens non est minister matrimonii sacerdos (2). His tamen non obstantibus, oppositam sententiam, nimirùm parochum esse ministrum matrimonii, quam tenent *Guillielmus, Paris. Canus, Toletus, Maldonatus, Estius, Juveninus, Tournely*, et *Collet* ejus *Continuator, Natalis Alexand. Conc.* et alii, territus ab auctoritate tantorum virorum non audeo improbabilem dicere, tantò magis quòd Benedictus XIV. in *Opere de Synodo* (3) eam valdè probabilem vocat.

29. — Cæterùm ex prima nostra sententia, quam saltem probabiliorem censemus: infertur 1. quòd parochus assistendo matrimonio publicorum peccatorum non peccat uti minister, sed tantùm uti coöperator sacrilegii eorum, uti diximus *Tract. XIV. n. 6.* Infertur 2. quòd sponsi, qui in mortali matrimonium contrahunt, duo committunt sacrilegia, unum quia Sacramentum suscipiunt, alterum quia in peccato ministrant, licèt hoc secundum probabiliter non sit grave, quia sponsi non sunt ministri consecrati

(1) *Bened. XIV. de. Syn. l. 8. c. 15. n. 5.* — (2) *Lib. 6. ex n. 897.* — (3) *Bened. XIV. loc. cit. n. 6.*

ad hoc Sacramentum, uti volunt *Concina, Tournely, Gonet*, et alii cum *S. Thoma* (1); quamquam loco citato oppositum sustinuimus. An autem sponsa possit contrahere licitè cum publico peccatore? vide dicta *Tract. XIV. n. 6.* (2). An autem possit simulare celebrationem nuptiarum, justà intercedente causâ, v. g. si aliquod interesset impedimentum dirimens, et non posset sine gravi damno hujusmodi simulationem omittere? Negat *P. Milante*; sed affirmant communiter *Sanc. Castropal. Conc. Card. Coninch. Viva, Croix, Henriq.* etc.: dicunt enim cùm tunc non adsit contractus defectu consensûs. nec Sacramentum intercedit; nec propterea Sacramenti simulatio (3). Infertur 3. quòd sponsi debent esse in gratia, etiam cùm per procuratorem contrahunt, quia cùm sint veri contractus, sunt vera Sacramenta; *Bellarm. Sanch. Navar. Sot.* etc. (4). Infertur 4. quòd matrimonia clandestina, nempe celebrata coram parochò repugnante assistere, et dare benedictionem, sunt graviter illicita, sed sunt valida, et vera Sacramenta. Hinc refert *P. Ferraris Biblioth. verb. Matrim. art. 1. n. 31.*, pluries declarasse S. C. sufficere ad valorem Sacramenti præsentiam parochi nulla verba dicentis. Idcirco animadvertendum, quòd matrimonia celebrata coram parochò, tunc tantùm sunt nulla, cùm parochus adfuisse quidem, sed nihil audivisset, aut percipisset, modò ille ex industria non affectasset non percipere; ita decrevit S. C. Conc. ubi dictum fuit: *Matrimonium non valere si non intellexisset, nisi ipse parochus effectasset non intelligere.* Infertur 5. quòd parochus assistendo matrimonio in mortali, non peccat graviter, quia nec conficit, nec ministrat Sacramentum; *Sanch. Bonac. Suar. Coninch. Reg.* etc. Advertendum tamen quòd si ille omittit pronuntiare benedictionem, *Ego conjungo vos*, etc. peccat mortaliter, ut vult sententia probabilior cum *Barbosa, Rebell. Henriq.* etc., quia omittit cæremoniã gravem Ecclesiæ. Infertur 6. quòd matrimonia celebrata coram parochò, et duobus testibus cum occulto impedimento, obtentâ dispensatione, convalidantur, et vera Sacramenta fiunt solo consensu de novo à sponsis præstito (à quo tamen potest dispensare Papa, vide n. 81); nec requiritur parochi præsentia; ita communiter *Navar. Fagnan. Nat. de Alex. Hab. Tournely, Sanch. Card. Sot. Lamb. Salm. Van Espen*, et alii (contra *Comit. et Conc.*);

(1) Vide l. 6. n. 52. v. Infertur 2. et n. 54 — (2) n. 55. v. Si autem. — (3) n. 62. — (4) i. 834.

et ita declaravit S. C. et ita est praxis S. Pœnitentiariæ ex oraculo S. Pii V. qui eâ consultus (ût refert *Cardenas*), declaravit non opus esse parochi, et testibus, cùm matrimonium jam semel palam initum est; et reverà S. Pœnitentia in concedenda dispensatione dicit: *Ut uterque inter se secretè contrahere valeant* (1). Et hoc argumentum, ùt ait *Benedictus XIV.* loco citat. valdè probat ministrum matrimonii non esse sacerdotem, sed ipsos sponso; aliàs rectè dicit quòd *Ecclesia*, nisi id haberet pro certo, numquam permetteret sponso relinqui in periculo, quòd remaneant sine gratia Sacramenti. Adest tamen Decretum S. C. sub die 8. Junii anni 1619. apud *Ferrar. Bibliot. t. 5. v. Matrimonium, art. 2. n. 19.* quòd si matrimonium esset nullum ex causa publica, scilicet ob defectum ætatis, tunc reconvalidandum est ante parochum et testes.

30. — Hic plura notanda sunt. Notandum 1. quoad honestatem finium matrimonii, dubs esse fines intrinsecos, et essentielles, mutuam corporum traditionem, et vinculum indissolubile: quicumque contraheret hos fines excludendo, nempe aut animo non reddendi debitum, aut contrahendi ad tempus, matrimonium esset nullum (2). An autem peccet venialiter qui matrimonium contraheret principaliter in concupiscentiæ remedium, affirmant *Bossius, Navar. Conin.* etc. cum *S. Thoma* (8); sed probabiliter negant *Castrop. Pont. Ronc. Cajet. Croix, Conc. Holzm.* et alii multi, qui innituntur eo quod dixit apostolus: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat*, 1. Cor. 7. 2. Sicut explicant *Estius, Salm.* et *Cornelius*, cum *S. Joanne Chrysost.*, illud propter fornicationem non intelligitur ad evitandam fornicationem alterius conjugis, sed propriam. Et hoc probatur ex eo quod dicit *cap. 7. 1.-2.* idem apostolus: *Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* En vide quòd priùs suadeat cœlibatum, sed postea in remedium incontinentiæ hortatur ad ducendam uxorem; igitur loquitur ibi de incontinentia propria, et deindè subjungit: *Quòd si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quàm uri*, *ibid 9. (4).* Et ita probabilius etiam dicunt *Pont. Castrop. Cajet. Coninc. Salm.* etc, culpâ vacare matrimonium contrahi principaliter ob aliquem finem accidentaliter extrinsecum, v. gr. ad conservandum familiæ decus, ad conciliandam duarum familiarum pacem, etc. (5).

(1) *Lib 6. n. 1110.* — (2) *Lib. 6. n. 882.* — (3) *Suppl. q. 49. a. 5. ad 2.* — (4) *Lib. 6. n. 882. v. Dubit. 1.* — (5) *n. 885.*

Si quis autem contraheret animo se obligandi, sed postea negandi debitum, aut vitandi prolis procreationem, peccaret graviter, sed validè contraheret; modò talis intentio non deducatur in pactum, sicut contractum fuit matrimonium inter B. Virginem, et S. Josephum (1).

31. — Notandum 2. quoad contrahentium consensum, non esse de matrimonii valore verbe, sed satis esse signa exprimentia, ut certum est ex *cap. Tuæ Fraternitat. 25. de Sponsal. (2)*. Et satis sufficiens signum esset, si mulier, expresso jam viri consensu, manum ei extenderet; secùs autem si tantùm eam non retraheret, posteaquam sponsus illius manum apprehendit. Sicut nec sufficit annuli donatio, nec conductio sponsæ in viri domum, nisi esset quia ob loci consuetudinem hujusmodi signa consensum expriment; ita *Sanch. Pont. Salm.* et alii communiter (3). Dicimus autem venialiter peccare, qui solis signis vellet exprimere suum consensum, et nollet uti verbis, nisi verecundia excusaret (4).

32. — Notandum 3. quòd cùm per procuratorem celebratur matrimonium, si fortè mandans revocaret consensum (licèt internè) antequam contrahatur, matrimonium esset nullum. Sed quæritur an esset validum, cùm mandans, dùm mandatum dedit, animum contrahendi non habuisset, sed tempore contractûs consensum præstitisset? Alii dicunt matrimonium non valere, quia tale mandatum, quod nullum fuit cùm datum est, non potest postea consensu interno revalidari; ita *Castrop. et Coninc.* Hanc sententiam non puto improbabilem; sed opposita est communior *Sanch. Bon. Ronc. Salm.* etc. et est etiam probabilior, quia procurator contrahendo non exprimit voluntatem præteritam mundantis, sed præsentem ad tempus contractûs, quæ jam adest (5). Ad hoc autem ut procurator validè contrahat, multa requiruntur: 1. Ut illud sit mandatum speciale. 2. Ut persona, cum qua contrahendum est, sit determinata. 3. Ut procurator contrahat per se (non per alios) coram parochò, et testibus, illis mandatum exprimendo; quod sufficit si oretenùs sit datum, ut dicunt *Castropal. Sanch. Salmant. Guttier.* etc. 4. Ut procurator non excedat condiciones in mandato appositas, v. g. temporis, dotis, etc. secùs matrimonium est nullum. Sed si ille contraheret sine Episcopi licentia, aut sine proclamationibus, matrimonium esset validum; ita

(1) N. 881. ad 5. et n. 882. in fin. — (2) n. 887. — (3) Lib. 6. n. 889. — (4) n. 888. — (5) n. 886.

communiter DD. (1). In hujusmodi nuptiis parochus interrogare debet procuratorem: *Vis in uxorem Titiam nomine N. N.?* et postea ad mulierem: *Vis in virum N. N. medio præsente procuratore?* Potest etiam matrimonium contrahi per epistolam, et sic fiet: Sponsus scribit ad sponsam quòd ipse in virum ei se tradit, et ex tunc eam in sponsam acceptat. Sponsa idem rescribit viro, et hæc responsio legitur coram parochò, et testibus. Cæterùm satis est etiam ut vir scribat mulieri modo relato, et sponsa, quin sponso rescribat, litteras coram parochò et testibus aperiat, et suum præbeat consensum; ita *Sanch. Villal. Dian. Salm.* etc. (2).

33. — Notandum 4. quòd, cùm consensus est conditio-natus, si conditio est *de præteritis* aut *de præsentibus*, et conditio jam verificata est, aut verificatur, tunc jam sufficit talis consensus ad contrahendum. Pariter sufficit si conditio esset *de futuro*, sed de futuro necessario, v. gr. *Si pater tuus morietur*; ita omnes cum *S. Thoma*: modò ex hoc non intelligatur suspendi consensus usque ad patris mortem; *Ronc. Salmant. Conc.* etc. Sed si conditio est de futuro contingenti, iterùm distinguendum est: si conditio esset turpis, aut contra substantiam matrimonii, v. g. contra Sacramentum, contra fidem conjugalem, aut prolem: si dicatur, v. g. *Te volo, si prolis generationem vitabis*; aut, *si adulterium committes*; aut si dicat: *Te duco usquedum uxorem te meliorem inveniam*; tunc matrimonium est nullum. Si autem conditio est turpis alio modo, aut si est impossibilis tunc habetur pro non adjecta, et matrimonium est validum, *cap. fin. de Condit. app.* ubi dicitur: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur (juxta exempla superiùs allata) matrimonialis contractus caret effectu; licèt aliæ conditiones, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant pro non adjectis haberi.* Et ratio est, quia tunc præsumitur datus consensus, non obstante conditione appositâ. Sed si unquam sponsi verè non intenderent consentire sine tali conditione, matrimonium etiam esset invalidum. Cæterùm in dubio debet judicari in favorem illius, ùt docet *Sanch. Pont. Ronc. Holzm.*, etc. ex *cap. fin. de Sent. et re judic.* (3).

34. — Contrà si conditio de futuro esset honesta, tunc matrimonialis contractus nullus foret, sed tantùm sponsalitiis. Sed hic quæritur an, adimpletâ conditione, requiratur novus consensus pro matrimonio? Alii affirmant,

(1) N. 885. — (2) *Lib. 6. n. 886.* — (3) N. 890. et 891.

ut Suar. Pont. Sot. Concina, Gonet et alii, quibus favet S. Thomas (1), qui dicit: *Aut (conditio) est contingens, ut acceptatio parentum, et tunc... non facit Matrimonium.* Ratio hujus sententiæ est, quia matrimonium non solum est contractus, sed etiam est Sacramentum, cujus valor non potest pendere ab effectu futuro. Alii tamen negant, ut Laym. Bonac. Cast. Salm. Ronc. Salmant. Coninch. etc. quia matrimonium, licet sit etiam Sacramentum, habet tamen rationem contractûs, et ad hujus rationis normam ejus valor dirigitur. Hæc secunda sententia videtur probabilior, sed quia prima est etiam fundata, in praxi expedit eam sequi. Et idem dicendum in casu quo sponsi aliquo impedimento præpediantur, et ipsi contraxissent sub conditione, *Si obtinebitur dispensatio*; et hoc ita declaratum fuit à sacra Congregat. (2). Advertendum hic tamen, quod conditio suspendit matrimonium, quod non suspendit demonstratio, aut causa, aut modus appositus. *Demonstratio* est cum dicitur: *Duco te quæ es virgo nobilis*, etc.; *câusa* cum dicit: *Duco te quia es virgo*; *modus* est cum dicit: *Duco te ut mihi in ancillam famuleris*. Et hic modus non suspendit, licet sit de modo impossibili, aut turpi; ita *Sanch. Salm.* et *Viva*, quia consensus non dependet à modo, uti dependet à conditione. Addit *P. Viva* cum *Castrop.* licet modus sit contra substantiam matrimonii, v. g. *Te duco ut adulteres*, etc. Sed probabilius contradicunt *Sanch.* et *Salm.* quia reverà non videtur habere animum contrahendi, qui habet intentionem omninò oppositam contractui (3). Si verò apponitur dies, v. g. *Te duco post 10. dies*, probabilius et communiùs dicunt *Viva*, *Coninch.* *Perez*, *Salmant.*, etc. (contra *Sanch.*) quod intelligitur suspensus consensus, usque ad terminum appositum (4).

(1) *Suppl. q. 47. a. 5.* — (2) *Vide P. Zacch. Adnot. ad Croix. l. 6. p. 3. n. 83.* — (3) *L. 6. n. 896.* — (4) *Ibid. v. Utrum.*

PUNCTUM II.

De usu licito matrimonii.

Usus conjugii est illicitus: I. Si Matrimonium est nullum. II. Si est dubium: an liceat contrahere cum dubio impedimenti 35. An liceat petere, aut reddere urgente dubio. 36. Quid si nuptiæ fuerint contractæ cum dubio., etc. 37. III. Si adsit periculum sanitatis 38. IV. Si ob solam voluptatem, etc. V. Si mente adulterâ, etc. VI. Si modo indebito 39. Si conjux se retrahat à seminatione 40. VII. Si in loco indebito VIII. Si tempore indebito, scilicet prægnationis. Si conjux sit impeditus ob votum, aut incestum 41. An tactus, et delectationes morosæ conjugibus permittantur 42.

35. — Usus matrimonii per se loquendo licitus est; sed ob plures causas quandoque fit illicitus, et I. Si matrimonium est certè nullum, quo casu nunquam licet parti id scienti nec petere, nec reddere debitum alteri ignoranti (1). II. Si matrimonium est dubium. Sed hìc dubitatur 1. an liceat inire matrimonium cum dubio impedimenti? Communiter docent DD. *Sanch. Suar. Castr. Carden. Croix, Bos. Holzm. Viva*, etc. quòd post adhibitam diligentiam, licet contrahere matrimonium cum opinione probabili de carentia impedimenti. Nec obstat quòd in confectione Sacramentorum non est licitum uti opinione probabili: nam in Sacramento matrimonii, ùt diximus *Tom. I. Tract. I. n. 27.* et tradunt AA. communiter, stante opinione probabili, ex inveterata consuetudine censetur Ecclesia dispensare in impedimento, si fortè adsit (2). Attamen notandum 1. quòd id currit, si opinio est probabilis de jure (nempe ex auctoritate DD.), non autem tantùm de facto, ùt ajunt *Card. Viva, Croix, Aversa*, etc. contra *Bonac. et Tamb.*, quia probabilitas facti non constituit veram probabilitatem, sed tantùm conjecturam, quâ non licet uti ad contrahendum matrimonium; nisi pro carentia impedimenti talis fortè urgeret præsumptio, quæ certitudinem quamdam moralem exhiberet (3). Notandum 2. id procedere tantùm in impedimentis de jure ecclesiastico, non autem in aliis de jure naturali, in quibus Ecclesia nequit dispensare; undè si dubium sit de morte prioris conjugis, illicitum est novum inire conjugium, nisi de illius morte certè moraliter constet, ùt habetur ex *c. Dominus, de secund. nupt.* Tantùm excipitur aliquis rarissimus casus in

(1) *Lib. 6. n. 900.* — (2) *n. 901.* — (3) *Lib. 6. n. 902. Quær. III.*

quo Pontifex, tanquam divinæ legis interpres, ob urgentissimam causam declaret matrimonium, non obstante tali dubio, posse contrahi, prout refert *Cardenas Urbanum VIII.* in quodam casu declarasse (1). An autem in impedimentis de jure ecclesiastico, quando dubia sunt, possit Episcopus dispensare? Plures graves DD. communissimè, et probabiliter id admittunt, *Castr. Cabass. Barb. Ronc. Holzm. Bon. Salm. et Elb.* juxta dicenda *Tom. III. Tract. XX. de Privil. num. 57. (2).*

36. — Dubitatur 2. quandonam, inito jam matrimonio, et urgente dubio de ipsius valore, liceat petere, aut reddere? Manente dubio, conjux dubitans ne potest quidem petere ante diligentiam adhibitam ad dubium vincendum; sed tenetur reddere alteri petenti in bona fide, ut patet ex *cit. cap. Dominus, de secund. nupt. (3).* Ratio, quia alter adhuc possidet jus petendi: intellige verò post bimestre ab inito conjugio, et modò ipse non sit à petendo impeditus ob incestus, vel adulterii crimen (4). Diximus *ante diligentiam*, quia si dubitans contraxit in bona fide, et post diligentiam non potuit dubium vincere, probabilissimum et communissimum est posse etiam petere, ob possessionem petendi jam acquisitam, *Sotus, Wigandt, Hab. Castrop. Suarez, Lug. Less. Laym. Ronc. Sanch. Salm., etc.* (contra *Navar. et Conc.*). Quapropter tradunt *Sanch. Anacl. Carden. Henriq. et alii*, quòd conjux ille post diligentiam licitè potest petere, semper ac certus non sit de impedimento, non obstante quâcumque probabilitate in contrarium (5).

37. — Dubitatur 3. quòd si matrimonium sit contractum cum dubia fide, an tunc conjux dubitans possit post diligentiam adhibitam petere, adhuc dubio perseverante? Alii negant, quia non licet uti re quæ incepta est consideri cum dubia fide; et hæc sententia est quidem communior cum *Sanch. Castr. Salm. Ronc., etc.* Attamen *Holzm. et Elbel* non improbabiler id affirmant, quia tametsi dubitans nequeat deponere dubium ex titulo possessionis, potest tamen ex alio principio, nempe quòd in dubio standum est pro valore actûs, præsertim matrimonii, in cujus favorem in foro tam externo, quàm interno semper in dubio judicandum. Excipitur tamen casus, quo dubium adsit de morte prioris conjugis; ut vidimus ex *cit. cap. Dominus. Dico dubium*, nam si ha-

(1) *Ibid.* Quær. II. — (2) *Ibid.* v. Cæterum. — (3) n. 905. — (4) n. 905. in fin. — (5) n. 906. et 907.

beaturn firma probabilitas de valore matrimonii, tunc communiter docent DD. *Sanch. Bon. Boss. Ronc. Salm. Spor. Croix*, etc. tali dubitanti licitum esse post diligentiam non solum reddere, sed etiam petere, cum textus praefatus in casu dubii, non autem probabilitatis, loquitur; et cum probabiliter dubitatur de vita prioris conjugis, probabiliter dubitatur etiam de ipsius conjugis possessione (1). Quando autem debeat quis vel non dubitare de valore matrimonii; tres dantur regulae: Prima, quod conjux ordinariè loquendo non tenetur credere alteri asserenti fictè consensisse, licet asserat cum juramento; *Bonac. Sanch. Sotus, Salm.*, etc. ex c. *Cum à nobis, de testib.* Secunda, quod si quis audiat adesse impedimentum à personis non fide dignis, vel ex fama à nullo auctore certo exorta, nec tenetur credere. Tertia, quod si audiat à fide digno, aut per famam ex certo auctore, tenetur veritatem inquirere, et interim abstinere à nuptiis, aut à petendo; sed tenetur reddere, si unus tantum adsit testis, ut *Nav. Silv. Salm.* etc. (2). Caeterum in dubio semper judicandum pro matrimonio; *Sanch. Pontius* et alii communiter (3).

38. — III. Non est licitus usus matrimonii, si adsit grave periculum sanitatis, nec obsit periculum incontinentiae. Probabiliter autem licet, si morbus sit diuturnus, ut lepra, phthisis, morbus gallicus, et similia; modò non sit talis, ut proximè tendat ad mortem; et modò adsit aliqua justa causa; ita *Sanch. Cajet Pont. Laym. Boss. Bus. Bon.* etc. Caeterum tali morbo laborans tenetur illum manifestare alteri nescienti, si petat, et etiamsi velit reddere; nam si nolit, potest licitè debitum negare, cum non teneatur morbum suum (v. g. gallicum) cum sua infamia patefacere, ut *Tamb. cum Soto* (4). Non licet petere statim à balneo, vel à sectione venae, aut cum febrì; *Sanch. Bonac. Boss.*, etc. Licet verò petere ab uxore quae laborat seminis fluxu, seu gonorrhœa, si fluxus sit perpetuus; secus si sit maleficus, et non adsit in alterutro proximum periculum incontinentiae (5). Coitus post prondium probabiliter non affert grave damnum; quapropter tunc uxor non excusatur à reddendo, dum tenetur reddere etiam cum modico incommodo (6). An autem licitus sit usus tempore lactationis? Negat *Pontius*, si prudens sit timor de gravi nocumento prolis; sed admittit *Sanch.* (7). An tempore menstrui?

(1) *Lib. 6. n. 906.* — (2) *n. 908.* — (3) *n. 90.* — (4) *Lib. 6. n. 909.* — (5) *n. 910.* — (6) *Ibid. v. Videtur.* — (7) *n. 911.*

Licet, si menstruus sit extraordinarius, et diuturnus; non verò si naturalis; sed tunc probabiliùs non erit nisi venialiter illicitus, ùt communissimè *S. Antonin. Nav. Conc. Pont. Sanch.* Et idem dicitur de usu in purgatione puerperæ; modò non fiat eâdem die, vel sequenti partûs (1).

39. — IV. Usus est illicitus (sed non plus quàm venialiter) si adhibeatur ob solam voluptatem, nisi voluptas intendatur ad bonum generationis, vel ut reddatur vir aptus ad reddendum, ùt rectè ajunt *Croix et Viva* (2). V. Si exerceatur mente adulterâ. Se excitare ad usum respiciendo ad imagines sacras, gravis esset irreverentia. Periculosum autem se delectando de pulchritudine alterius personæ, et maximè de coitu alienò inter quasdam cognitâs personas (3). VI. Si fiat modo indebito, nempe extra vas naturale, quod sine dubio erit mortale, et gravis si in vase præpostero, etiamsi ibi tantùm copula inchoetur, ùt veriùs dicendum cum *Sanch. Pont. Castrop. Bon. Tam. Spor. Boss.* et communi, contra *Navar. et Ang.* (4). Vel si fiat in vase naturali; sed indebito modo, sive situ, prout stando, sedendo, vel more pecudum, aut viro succumbente. Hoc tamen est tantùm veniale juxta communem DD. sententiam, *S. Antonin, Navarr. Petrocor. Alb. M. Gers. Cajet. Soti, Castrop. Sanch. Tol Ronc. Salm. Croix.*, etc. ex *D. Thoma*, quia mutatio sitûs minimè impedit generationem, dùm matrix fœminæ ex se attrahit semen viri. Adduntque AA. citati cum *Concina* id nullum esse peccatum, si fiat ex aliqua justa causa (5). An autem sit mortale mutare situm, si propter id casu aliquid seminis effunditur? affirmant *Salmanticenses*, sed communiùs negant *Sanch. Pont. Castr. Boss. Perez, Hurtad. et Aversa* (6).

40. — Hic autem dubitatur 1. an peccent graviter conjuges, si inceptâ copulâ se retrahunt à seminatione? Negant communiter *Sanch. S. Antonin. Laym Pont. Cajet. Less. Salm.* etc., si hoc fiat ex consensu, et sine effundendi seminis periculo, quod tamen, ùt ait *Sanchez*, ordinariè adest (7). Si autem uxor jam seminarit, vel proxima sit ad seminandum, graviter quidem peccat vir se retrahens, nisi fortè faciat ad vitandam mortem, aut scandalum aliorum; iidem AA. etiam communiter (8). Si tamen contrâ vir seminavit, alii ùt *Sanch. Pont. ualm.* etc. excusant à mortali uxorem, si se retrahat. Alii verò

1) N. 925. — (2) n. 912. — (3) n. 915. et 914. — (4) n. 915. et 916. — (5) Lib. 6. n. 917. — 6) *Ibid.* v. Dicunt. — 7. n. 918. — 8) *Ibid.* r. Si verò.

ut *D. Bonav. Cajet. Abul. Major, Aversa, Hurtad.* etc. non excusant, dicentes cum *Suarez* semen mulieris simpliciter esse necessarium ad generationem; et quoniam horum opinio satis videtur probabilis, hæc sequenda est, cum non liceat sequi oppositam cum probabili damno prolis, sive generationis (1). Dubitatur 2. an viro se retrahente, liceat uxori statim post seminationem viri tactibus se excitare, ut seminet? Negant *Diana, et Rodriquez*. Sed communissimè affirmant *Wigandt, Less. Sanchez, Bonac. Fill. Salm. Spor. Boss. Elbel*, et alii plures, nec reprobatur *P. Conc.*; idque ob eandem rationem mox suprâ allatam, quia semen mulieris est necessarium, vel saltem valdè confert ad generationem; nihil enim in natura frustraneum (2).

41. — VII. Si usus habeatur in loco indebito, putâ publico, vel sacro. An autem copula conjugalis etiam occulta vetita sit in ecclesia? Vide dicta *Tom. I. Tract. IX. de sexto Præcepto Decalogi n. 21.* VIII. Si habeatur tempore indebito. Plura hîc notanda: 1. Petere ante Communionem est veniale (nisi petatur ad incontinentiam vitandam); nullum verò peccatum reddere, aut petere post Communionem, vide dicta *Tract. XV. n. 57.* Pariter nequaquam peccant conjuges, ut communiter DD. dicunt, si reddant in diebus festivis; et etiam si petant, communius docent *S. Bonav. Sotus, Cajetan. Pont. Sanchez, Azor. Castrop. Bonac. Salmant. Valent. Coninc.* etc., quia nullo jure id vetatur, et si aliquis SS. Patrum videtur id vetare, eloquitur de consilio, non de præcepto, ut probatur *Sanchez* (3). Saltem, ut ait *Benedict. XIV. de Synodo, l. 5. c. 1. n. 8.* si olim id erat de præcepto, nunc certè non est nisi de consilio. 2. Tempore prægnationis usus, ut communiter docetur, non est nisi veniale (modò absit abortûs periculum, quod ordinariè non adest); et nullum, si periculum adsit incontinentiæ, vel alia justa causa (4). 3. Conjux prohibitus à petendo ob votum, aut impedimentum affinitatis post matrimonium ab eo contractum, potest, imò tenetur reddere, si alter sit in periculo incontinentiæ, vel si interpretativè petat, nempe quando *mulier* (ait *D. Thomas*) *verecunda est* (particulari modo quàm aliæ mulieres), *et vir sentit ejus voluntatem de debiti redditione*; et ita communiter alii. Præterea, si ipse impeditus (intellige ratione affinitatis tantùm, non autem voti) sit in proximo periculo incontinentiæ, et periculum si in mora, potest etiam petere; ita *Viguer. et Quintanad.* Et quidem probatur

(1) *Ibid. v.* Si autem. — (2) n. 919. — (3) *Lib. 6. n. 923.* — (4) n. 924.

biliter si dispensatio brevi obtineri nequeat (1). 4. Certè licet conjugii petere ab altero excommunicato; et juxta veniorem sententiam id licet etiam excommunicato, si existat in periculo incontinentiæ; ita *Suar. Bon. Sanch. Boss.* etc. communiter (2).

42. — Quæres hîc, an tactus, delectationes morosæ conjugibus permittuntur? Resp. 1. Tactus etiam impudici, si ad copulam ordinantur, sine dubio conjugibus permittuntur; si verò non ordinantur, ut communiter et veriùs docent *Sotus, Caj. Tol. Vasq. Less. Laym. Sanch. Castr. Abul. Armil. Bon. Salm. Conc. Sa,* etc. (contra quosdam) sunt tantùm veniales, quia status conjugalis excusat eos à mortali (3). Excipe nisi conjux petens sit ligatus voto castitatis; vel nisi prævideatur pollutio (quamvis involuntaria) in se, vel in altero, ut ajunt *Sotus, Castr. Cajet. Boss. Salm.* etc. Tunc tantùm autem poterit petens excusari, si tactum impudicum habeat, ut se aptet ad copulam, secluso periculo consensûs in pollutionem; ita *Sanch. Filliuc. Spor. Escob. Elbel,* etc. Et si periculum proximum pollutionis sit ex tactu pudico, tactus neque potest adhiberi, etiam secluso periculo consensûs, nisi fiat ex gravi causa, putà ad fovendum mutuuum amorem, etc. Hoc de petente; sed reddens in hujusmodi tactibus videtur semper excusari, cùm alter habeat jus ad illos, nisi adeò sint impudici ut videantur quasi inchoata pollutio (4); vide dicenda in *puncto seq. n. 48* Resp. 2. Probabiliùs peccat graviter conjux seipsùm turpiter tangens ob delectationem, tùm propter periculum pollutionis, tùm quia conjuges nullum habent jus ad seipsos tangendos, nisi tantùm ad se aptandos ad copulam; ita *Laym. Diana, Spor. Salm.* etc. contra *Sanch. Castrop. Boss.* etc. (5). Resp. 3. quoad delectationes, hortandi sunt conjuges, ut abstineant à delectatione morosa de copula habita vel habenda, si alter absit; sed non damnandi de mortali, ut communiùs dicunt *Sanch. S. Antonin. Bonac. Suar. Gers. Cajet. Fill. Croix,* etc. cum *D. Thoma* (6). Excipe nisi delectatio habeatur cum aliqua, non solum carnali, sed etiam venerea voluptate (7).

(1) N. 950. — (2) n. 951. — (3) n. 953. (4) *Lib. 6. n. 954.* — (5) n. 956. — (6) *De malo q. 15. a. 2. ad 17.* — (7) n. 957.

PUNCTUM III.

De usu præcepto matrimonii.

Quando conjux tenetur petere 45. Si neget semel aut bis 44. Si plures nascuntur filii 45. Si alter petat in mortali 46. Si velit vir seminare extra vas 47. Si petat cum veniali 48. Si petat amens, vel ebrius. De impedimento petendi ob incestum. Si imminet damnum sanitatis, aut prolis 49. Si conjux cohibeat seminationem. Si uxor surgit, aut mingit. An puella oppressa possit semen expellere. Si senex sæpè effundit extra vas 50. De cohabitatione, et de alimentis uxori debitis 51.

43. — DISTINGUERE hìc oportet petitionem à redditione. In quantum ad petitionem spectat, per se loquendo, neuter conjugum tenetur petere, nisi prævideat in se, vel in altero periculum incontinentiæ. Sufficit tamen ut uxor tacitè petat, ut vir teneatur ad eam accedere; ita omnes cum *D. Thoma* (1). qui ait: *Quando vis percipit per aliqua signa, quòd vellet debitum, tenetur reddere.* Contrà verò dicunt *Sanch. Sot.*, etc. ex eod. *D. Thoma*, uxorem non teneri copulam præstare, nisi vir expressè petat. Excipe 1. cum *Sanch. S. Antonin. Nav.*, etc., si potius erubescencia esset ex parte viri, putà si mulier esset feræ conditionis, vel magnæ auctoritatis (2). Excipe 2. si vir esset in periculo incontinentiæ, ut diximus; sed quia tunc probabiliùs, juxta *Sanch. Coninch. Palud.*, etc., ex sola charitate uxor petere teneretur, facilè posset excusari, si in petendo magnam pateretur verecundiam (3).

44. — In quantum autem ad redditionem, conjux negans alteri debitum ordinariè graviter peccat. Sed dubitatur 1. an sit mortale, semel vel bis debitum negare? Si alter remissè petat, vel facilè cedat precibus negantis, ex communi sententia non est mortale (et ne veniale quidem, si adsit causa), nisi alter sit in periculo incontinentiæ, nec contrà adsit gravis causa negandi. Si tamen ille seriò et instanter petat, *Castr. Tamb. Boss. Croix*, etc. putant gravem esse materiam, nisi petat immoderatè, putà quater in eadem nocte. Alii verò levem, ut *Pontius, Sanch. Sa, Bonac. Hurtad. Ledesm.*, etc. et non videtur omninò improbable, si alter non sit in periculo incontinentiæ. Sic etiam *Pontius, Sanch.* et alii communissimè excusant à mortali conjugem qui differt reddere à die ad noctem, vel à nocte ad mane (4).

(1) *Suppl. q. 44. a. 2.* — (2) *Lib. 6. n. 928.* — (3) *n. 929.* — (4) *Lib. n. 940.*

45. — Dubitatur 2. an sit causa justa negandi debitum, si plures nascantur filii quàm ali possint? Alii negant, *Laym. Ronc. et Spor.*, quia procreatio prolis spectat ad præcipuum finem conjugii; affirmant verò *Sanchez, Pontius, Bonac. Bossius*, etc., quia in omnibus debitis magna difficultas excusat à solutione. Excipiunt tamen nisi in petente sit periculum incontinentiæ; hinc quia periculum hoc vix poterit abesse, primæ sententiæ magis puto adhærendum (1).

46. — Dubitatur 3. an conjux teneatur, aut possit reddere alteri petenti cum peccato gravi. Hic distinguendum: Si culpa se tenet ex parte actûs, putà si vir petat in loco sacro, vel cum periculo abortûs, scandali, aut sanitatis alterutrius, tenetur uxor negare sub gravi; tunc enim vir non habet jus ad petendum; ita communiter *Sanch. Pont. Conc. Bonac. Salm.*, etc. cum *D. Thoma* (2). Si verò culpa se tenet ex parte petentis, putà si habeat votum, aut petat ob pravum finem, prima sententia cum *Pont. La-Croix*, et aliis paucis tenet non licere ei reddere, nisi sit in potestate petentis se à culpa eximere, putà si peteret ob voluptatem aut alium malum finem; sed communis et probabilior sententia cum *Suar. Lugo, Tourn. Conc. Laym. Bonac. Salm. Castr.*, etc., docet posse et teneri ad reddendum, quia vovens retinet jus ad petendum (3). Tenetur tamen reddens, ut advertunt *Sanch. Boss. Coninch.*, etc., ex charitate alterum monere ut desistat; at si desistere nolit, expedit ut ipse petitionem anticipet; sed meritò ait *Sanch.* uxores ad id rarò teneri (4). Si verò petat conjux incestuosus qui jam privatus est jure petendi, alter non tenetur quidem, sed benè potest ei reddere, cum ipsi semper competat jus tam petendi quàm reddendi; ita *Sanch. Castr. Bonav. Laym. S. Anton. Salm.*, etc. (5).

47. — Dubitatur 4. an liceat uxori petere vel reddere viro volenti seminare extra vas post copulam inceptam? Alii negant, quia tenetur impedire peccatum viri; alii affirmant, quia ipsa dat operam rei licitæ. Sed puto distinguendum inter petitionem, et redditionem: In reddendo, etsi probabile est cum *Ronc. et Elbel*, quòd uxor possit negare debitum, et etiam teneatur, si potest sine suo gravi incommodo juxta primam sententiam; quia vir, cum sit abusurus re debita, non habet jus ad illam; tamen pro-

1) N. 941. — 2) n. 943. v. Certum. — 3) n. 944. — 4) *Ibid.* v. Benè autem — 5) *Lib.* 6. n. 945.

habilius est cum *Sanchez*, quòd post monitionem teneatur reddere, cum culpa se teneat non ex parte actûs, sed personæ, ut suprâ mox diximus. In petendò verò, dicimus cum *Ronc.* et *Elbel*, uxorem non posse petere ab hujusmodi viro, quia tenetur ex charitate illius peccatum impedire. Excipe nisi gravem haberet causam petendi, nempe si esset in periculo incontinentiæ, vel si alioquin perpetuò abstinere deberet à suo jure petendi; charitas enim cum tanto onere non obligat; undè non videtur teneri ad abstinendum, nisi per paucas vices (1); vide dicta in simili casu *Tom. I. Tract. IV. n. 28. in fine.*

48. — Dubitatur 5. an conjux teneatur reddere petenti cum culpa veniali? Alii affirmant, alii negant; sed pariter ut suprâ distinguendum puto: Si copulâ est illicita ex parte petentis, nempe si petat ob voluptatem, vel mane ante Communionem, tenetur alter reddere, si verò ex parte actûs putâ si petit situ innaturali, vel tempore menstrui, aut puerperii, etc., tunc alter potest quidem reddere, si aliqua adsit causa v. g. ne incurrat illius indignationem; non tamen tenetur, nisi petens justam habeat causam petendi tali modo, aut tempore (2).

49. — Deindè plura hîc sunt notanda. Notandum 1. quòd juxta communissimam sententiam non est obligatio reddendi debitum amentibus, vel ebriis, cum hi sint incapaces jure domini, excipe nisi sint in periculo prodigendi semen, vel si non sint universè amentes, aut omninò ebrii; ita probabilius *Salm. Castropal. Bonac. Conc. Layman, Soto, Croix, Busemb. Conc.*, etc. contra *Navarr.* et *Sylv.* Cæterùm communiter admittitur posse istis reddi, si absit periculum scandali, aut abortûs, putâ cum uxor esset furiosa (3). Notandum 2. quòd si vir rem habuit cum consanguinea alterius in primo vel secundo gradu, tenetur reddere, sed amittit ipse jus petendi ex *cap. Si quis 1. de eo qui cognov.*, etc. et sic contrâ (4). Ut autem quis contrahat hoc impedimendum petendi, requiritur ut sciat legem, non tantùm divinam sed etiam ecclesiasticam vetantem incestum: et probabiliter, ut sciat etiam hujusmodi pœnam, ut dicunt *Bon. Wigandt, Castrop. Boss. Elbel, Sanch. Laym.*, etc. (5). Notandum 3. quòd si conjux timeat damnum tantùm leve

(1) N. 947. — (2) n. 946. — (3) Lib. 6. n. 948. — (4) n. 949 et 1070. — (5) n. 7074.

sanitatis ex redditione, tenetur reddere; et hoc est certum apud omnes. Si verò timet grave damnum, nec tenetur, nec potest, nisi ipse vel petens sit in proximo periculo incontinentiæ; aut nisi aliàs magna formidet dissidia, modò morbus quo inficiari veretur, non sit proximè tendens ad mortem; ita *Pontius, Sanch. Laym.* et alii passim. Dixi potest, sed non tenetur, quia charitas eo casu excusat si reddat, sed non obligat (1). Solum autem periculum prolis nascituræ, nempe quòd ex tali coitu defectuosa nascatur, non excusat ab obligatione reddendi, ut veriùs docet *D. Thomas* (2) cum aliis, quia (ut ait) *melius est proli sic esse, quam penitus non esse* (3). Notandum 4. quòd non tenetur conjux reddere, si laborat febrì; *Bon. Sanch. Per. Bus.*, etc. (4). Neque uxor, si experta sit non posse parere sine mortis periculo, ut communiter docetur (5). An autem possit reddere, si experta sit filios parere mortuos? Affirmant *Layman*, sed communiùs negant *Bonac. Bossius, Rodriq. Victor*, etc., nisi adsit periculum incontinentiæ, ut addunt *Bonac. et Sanchez*: quod periculum (ait *Sanchez*) maximè aderit, si ob hanc causam perpetuò deberent abstinere conjuges ab usu matrimonii (6).

50. — Notandum 4. peccare mortaliter conjugem, si cohibeat seminationem altero seminante: vel si post suam seminationem se retrahat, antequam alter seminet, quia hoc modo impeditur generatio. Tantùm poterit permitti copulam interrumpere, cum immineat scandalum aliorum, aut mortis periculum (7); vide dicta *num. 40*. Sic pariter peccat uxor, si statim post copulam surgit aut mingit, animo impediendi generationem, nisi hoc faciat ut suprà ad scandalum, aut mortem vitandam. Dixi statim, quia non tenetur diù immota manere; ita *Sanch. Pont. Salm. Bonac. Boss.*, etc. contra *Tambur.* (8). Puella autem oppressa extra matrimonium non potest sine peccato semen viri expellere, postquam illud jam recepit in matricem; tantùm ipsa poterit impedire ne immittatur, ut rectiùs *Pontius, Tamb. Escob. et Leander* (contra *Sanch. et Boss.*); quia nunquam potest semen receptum in matricem ejici sine injuria generationi humanæ (9). An autem liceat viro copulari, si ob senectutem, aut aliam infirmitatem sæpè extra vas semen effundat? Licet, ut dicunt

(1) *N. 950.* — (2) *In 4. D. 52. q. un. a 1. ad 4.* — (3) *L. 6. n. 951.* — (4) *n. 952.* — (5) *n. 953.* — (6) *Ibid.* — (7) *Lib. 6. n. 918. et 954.* — (8) *Ibid. v. Dicunt.* — (9) *Ibid.* Dubit. autem hic.

communissimè *Sanch. Laym. Bonac. Bossius, La-Croix*, etc. semper ac adest probabilis spes effundendi intra, quia tunc adhuc possidet jus ad copulam (1).

51. — Notandum 6. quòd conjuges ratione debiti reddendi tenentur cohabitare, non solum quoad domum, sed etiam quoad torum, nisi separentur ex consensu, absitque tunc periculum incontinentiæ, et damnum educationis. Vir autem licitè potest suscipere aliquam brevem peregrinationem ex causa devotionis, vel alia honesta, etiam invitâ uxore: sed non uxor, invito viro. Potest imò vir etiam diù abesse, si id oporteat ad bonum publicum, vel familiæ; ita communiter *Sanch. Castrop. Bos. Laym.*, etc. Dicit autem *Boss. cum Tolet. Sayro*, quòd vir tenetur tunc secum ducere uxorem, si commodè possit (2). Quando verò uxor teneatur sequi virum, et vir eam ducere, vide dicta *de quarto præcepto Decalogi Tom. I. Tr. VII. n. 13.* Notandum 7. quòd ob dotem non solutam nequit vir negare debitum, aut cohabitationem; sed non tenetur uxorem alere, si dos non solvatur culpâ promittentis (et idem currit si uxor renuat cohabitare), nisi nulla exstiterit promissio facta dotis; vel nisi uxor non habeat undè ali, et sine sua culpa dos non solvatur, aut nisi omittat cohabitare absque sua culpa (3). Casu verò quo vir. deprehenderit uxorem fuisse adulteratam, benè poterit ei alimenta denegare, modò negare possit sine illius infamia, putâ si crimen jam est notorium; ita communiùs et probabiliùs *Sanch. Soto, Salm. Trull.* etc. Idem dicunt *Salm.* cum aliis, si uxor admiserit oscula ab alio notoria, et etiam occulta, si fuerint nimis lasciva, vel si ipsa sit nobilis (4).

(1) *Ibid.* Dubit. 2. — (2) n. 939. — (3) *Lib. 6. n. 939.* Dubit. 1. et 2. — (4) *Ibid.* Dubit. 3.

PUNCTUM IV.

De impedimentis impedientibus.

Quenam sint impedimenta 52. I. *Vetitum*. II. *Tempus feriarum*. An tempora feriarum vetetur consummatio. De benedictione sacerdotis. III. *Catechismus*. IV. *Crimen*. V. *Sponsalia* 53. VI. *Votum*. An Episcopus possit dispensare à voto castitatis 54. De clandestinitate, et proclamationibus. 55. De obligatione denunciandi impedimenta; et quando denunciatio impedit 56. An sufficiat fama. Si sponsi interrogati; etc. Si parochus sciat impedimentum 57. Quandonam Episcopus possit et debeat dispensare à proclamationibus 58. An possit vicarius, aut parochus dispensare aut declarare 59.

52. — Duo sunt impedimentorum matrimonii genera: altera impedientia, nempe quæ reddunt illud illicitum, aut impediunt illius usum: altera dirimentia, quæ illud reddunt omninò nullum; et est certum, imò de Fide est utraque impedimenta posse ab Ecclesia constitui, prout declaravit Trident. sess. 24. can. 4. quia licet Ecclesia non possit irrita reddere Sacramenta, cùm debita existunt requisita, nihilominus quia Sacramentum matrimonii subsistit in contractu, ideòque benè potest Ecclesia, justis existentibus causis, invalidare contractum, et cùm desit contractus, nec Sacramentum adesse potest (1). In *punct. sequenti* loquemur de impedimentis dirimentibus, in hoc agemus de impedientibus dumtaxat. Præter peccatum mortale, et excommunicationem, quæ reddunt matrimonium illicitum, adsunt sex alia impedimenta, quæ his comprehenduntur versibus:

53. — I. *Ecclesiæ vetitum*, II. *nec non tempus feriarum*,

III. *Atque Catechismus*, IV. *Crimen*, V. *Sponsalia*, VI. *Votum*.

Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

I. *Vetitum*: nempe Episcopi, aut parochi prohibitio, ob dubium, an fortè adsit impedimentum, aut inhabilitas ad contrahendum (2). II. *Tempus feriarum*: feriæ sunt ab Adventu ad Epiphaniam, et à die Cinerum ad octavam Paschæ. Sed hìc advertendum, quòd talibus temporibus vetatur benedicere nuptiis, instruere convivia solemniora, non quidem matrimonium contrahere, nec sponsam in domum conducere, si hoc fiat sine solemnitate; nec pro-

(1) *N.* 979. — (2) *Lib.* 6. *n.* 982.

hibitum est matrimonium consummare, ut rectè dicunt *Belarm. Sanch. Pont.*, et fusè id confirmat *Lambertini*, qui postea *Benedictus XIV.* (1), cum *Pignatell. Fill. Croix*, etc. ac cum *Declarat. S. C.* dicens Canones allatos à canonicis esse de consilio, non de præcepto (2). Et licèt dicant aliqui peccari (sed tantùm venialiter, ut communiter dicunt *Sanch. Boss. Sol. Sa, Escob.* etc. (3), contra *Concinam*, qui contendit esse mortale) omninò omittere benedictionem quæ datur à parochò, aut à sacerdote de ejus licentia in missa pro hac re peculiariter designata pro primis nuptiis, nam secundæ non benedicuntur, ut præcepit *Benedict. XIV.* in Bulla *Etsi pastoralis*, §. 8. n. 4. edita 26. maji 1742, nihilominùs communiùs et probabiliùs dicunt *Navar. Pont. Laym. Sanch. Bellarm. Castr. Salm. Viva*, etc. cum *Lamb.* loco cit. matrimonium consummare ante benedictionem omni culpâ vacare, et probatur ex *Trident. Sess. 24. cap. 1.* et ex *Rituali*, ubi hoc non solùm insinuat, sed etiam præcipitur, et clariùs ex *can. Nostrates 30. qu. 5.* ubi dicitur: *Sicque demùm benedictionem, et velamen cæleste suscipiunt; peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus* (4). III. *Catechismus*: quid catechismi nomine veniat, alii dicunt esse Fidei professionem, quæ nomine baptizandi fit; alii aliter explicant. Cæterùm hoc impedimentum cessavit per *Tridentinum*, ut dicunt *Sanch. Coninch. Castr. Salm.* etc., cum quadam *Declaratione S. C.* (5). IV. *Crimen*: sub hoc nomine olim comprehendebantur quædam delicta, nempe incestus cum propria matre, raptus alienæ sponsæ, etc.; sed hoc impedimentum etiam desuetudine exolevit (6). V. *Sponsalia*, nempe sponsalia cum alia persona inita, sed non dissoluta, de quibus jam *puncto antecedenti* sermo factus est.

54. — VI. *Votum*: nempe simplex castitatis, aut religionis, aut non nubendi. Hic notandum est quòd *Episcopus* ante nuptias contrahendas non potest dispensare in voto castitatis (cùm votum est absolutum; secùs si est pœnale aut conditionatum, juxta dicta *Tom. I. Tract. V. n. 49.*); excepto, si non dispensaretur, adesset periculum incontinentiæ, aut alterius damni gravis ob moram, nec posset citiùs adiri *Papam*, ut dicunt communiter *Sanch. Suar. Less. Nav. Sol. Silv. Salm.* etc. (7); reservationes etiam ad ædificationem, non ad destructionem institutæ sunt. Initis autem nuptiis, benè potest dispensare *Episcopus* (et ut di-

(1) *Notif. 89. n. 17.* — (2) *Lib. 6. n. 984.* — (3) *n. 988. v. Secundum.* — (4) *Lib. 6. n. 984. Dubit. 2.* — (5) *n. 985.* — (6) *Ibid. v. Dicitur I V.* — (7) *n. 987. Dubit. 3.*

cunt *Salm.* etiam Vicarius generalis, ex concessione generali, quæ ei collata est omnium casuum episcopalium in voto castitatis post matrimonium edito, aut etiam ante illud, ut communiùs et probabiliùs dicunt *Sotus, Sanch. S. Anton. Conc. Nav.* etc. ex *S. Thoma* (1). Et eadem facultate fruuntur etiam Mendicantes, ut commniter dicunt *Castrop. Wigandt, Sanch. Suar. Tour. Salmant.* etc., vigore suorum privilegiorum (2). Votum tamen castitatis à conjugibus emissum communi consensu solus Pontifex potest dispensare, ut dicunt cum communiore *Sanch. Spor. Anacl.* etc. apud *Ferraris* (3). Cæterùm Episcopus, exceptis voto castitatis, et sponsalibus cum alia persona initis, potest dispensare in omnibus impedimentis impredientibus, et in omnibus aliis, quæ post matrimonium suboriuntur; *Castrop. Bon. Salm. Croix,* etc. (4).

55. — Præter allata adest impedimentum clandestinitatis, nempe cum matrimonium fit prætermisissis tribus proclamationibus præscriptis à Trident. *sess. 24. cap. 1. de Reform. matrim.* Hæc ut fiant modo debito, oportet 1. ut fiant à proprio parochio, aut ab alio sacerdote de ejus licentia. 2. Ut fiant in ecclesia populo ad Divina congregato, ut præscribit Tridentinum; licèt probabiliter dicant *Sanch. Barbosa,* et *Ronc.* posse eas fieri etiam tempore concionis aut processionis; imò admittunt etiam *Wigandt, Sanch. Laym. Barbos. Boss. Escob. Fill.* etc. (contra *Pont.* et alios) extra ecclesiam in loco magni concursûs, quia sic jam finis Concilii obtinetur (5). 3. Ut fiant in loco originis, ut pluries declaravit S. C. (6). Undè si sponsi sunt diversarum parochiarum, oportet ut in utraque ecclesia fiant proclamationes; nisi esset (ut dicunt *Laym. Boss. Salm.* etc.) quòd parochiæ essent inter se valdè propinquæ. Et in casu quo alter sponsorum per breve tempus actualiter alibi moraretur, non satis est, quòd ibi fiant proclamationes, sed oportet ut illæ fiat ibi etiam undè profectus est, ut valdè probabiliùs dicunt (contra *Pontium*) *Sanch. Coninch. Barbos. Ronc.* etc. cum *Declarat. S. C.* Præterea notandum hîc, quòd si alter sponsorum est externus, parochus non debet ad proclamationes procedere, nisi priùs coram Ordinario fide authenticâ de ejus statu libero constiterit, ut habetur ex instructione S. C. (7). 4. Tres præfatæ proclamationes debent fieri tribus diebus festivis con-

(1) *Ib.* Dubit. 2. — (2) *Ibid.* r. An autem. — (3) *Ferr. Bibl. v. Debitum conjug. art. 2. n. 4.* — (4) *Lib. 6. n. 987.* Dubit. 3. — (5) *Lib. 6. n. 991.* — (6) *Ut refert. Zacch. Adnot. ad Croix Lib. 6. p. 3. n. 477.* — (7) *Lib. 6. n. 991.* Dubit. 3.

tinuis, ut dicit Trident. *sess. 24. cap. 1.*, non autem immediatis, ut dicunt *Sanch. Ronc. Pont. e'c.*; licet etiam probabiliter teneant *Trull. Salm. Hurtad. Regin. etc.* nihil obstare esse immediatos, dum Concilium aliud non præscribit, quàm *tribus diebus festivis*, et non addit ne sint immediati. Permittit etiam *Salm. cum Aver. et aliis* posse fieri proclamationes tribus diebus festivis non continuis, modò non intercedant plures dies festivi; sed hoc rectè *Sanch. Castrop. Bonac. Escob. etc.* non excusant saltem à culpa veniali (1). Hic advertendum quòd si, factis proclamationibus, matrimonium non celebratur intra duos menses, præcipit Rituale (*tit. de Sacr. matr*) ut illæ denuò fiant, modò aliud Episcopo non videatur.

56. — Itaque proclamationibus jam absolutis, quæritur an quilibet impedimenti conscius, teneatur ad illud denuntiandum, licet illud non posset probare? Negant *Pont. Diana, etc.*; sed sententia verior, et communissima affirmat cum *Sanch. Castrop. Coninc. Escob. Laym. Bon. Barb. etc.*, et ut probatur ex *cap. Præterea 12. de sponsal. et ex cap. 22. Super eo, de test. et attest.* ubi dicitur: *Matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi.* Et ita sufficit ad impediendas nuptias fama impedimenti, licet illud sciret sub secreto naturali, etiam cum juramento, ut dicunt *Sanch. Escob. Boss. Barbos. Salmant. etc.* cum *S. Thoma* (2), qui docet secreti juramentum non obligare, ubi agitur de impediendo damno communi, aut tertii (3). Hoc tamen intelligitur quoties denuntiatio potest commodè fieri, quia contrà non tenetur testis denuntiare cum gravi suo damno, aut cum gravi aliorum scandalo (4). Intelligitur item, factâ monitione, quia antequam Episcopo, aut parochio impedimentum deferat, tenetur sponsos admonere (si admonitio est profutura) ut ab hujusmodi matrimonio desistant (5). Ad hoc autem, ut matrimonium impediatur ob testis denuntiationem, requiritur 1. ut ille non solum denuntiet, sed etiam deponat impedimentum, licet ceteroquin spontè ad deponendum se offerat, ut dicunt *Sanch. Boss. Gutt. etc.*, modò ille non probasset famam impedimenti, quia tunc sufficit ut denuntiet, ut habetur ex *Cap. Non in duo, de sponsal. 2.* Requiritur ut deponat, aut denuntiet cum juramento. 3. Ex certa scientia, non autem auditu, excepto si impedimentum esset consanguinitatis, aut affinitatis, quia tunc sufficit, si illud sciverit

(1) N. 972. — (2) 2. 2. q. 70. a. 1. ad 1. — (3) Lib. 6. n. 995. — (4) *Ibid in fin.*
— (5) n. 994. v. Certum.

à personis certis, et fide dignis. 4. Requiritur ut testis non sit vilis conditionis, modò factum non sit adeò occultum, ut probari non possit aliter; nam ubi deficit potentia probandi, admittitur etiam probatio, quæ ex se non esset sufficiens; ita communiter DD. (1).

57. — Præterea super hac materia multa advertenda sunt. Advertendum 1. quòd fama impedimenti sufficit ad impediendas nuptias, ut superiùs dictum est; sed hoc non currit, cum consanguinei sponsorum, ut dicunt *Sanch. Castrop. Guttier.* etc. ex c. *Cum in tua, de spons.*, aut ipsi sponsi, ut addit *Sanch*, jurarent non adesse impedimentum (2). Advertendum 2. quòd contrahentes, cum sunt legitime interrogati, tenentur aut fateri impedimentum aut à nuptiis abstinere, licet impedimentum non sit probatum; nisi tamen occultè obtinuissent dispensationem; tunc enim non tenentur patefacere impedimentum, cum illud non sit aliundè probatum; ita *Silv. Laym. Sanch. Ronc. Boss* et alii communiter (3) Advertendum 3. quòd parochus, Episcopus, aut alius iudex, si ipse tantum habuisset notitiam impedimenti, modò id non ciat sub sigillo confessionis, tenetur impedire matrimonium. Nec obstat dicere quòd peccatori occulto non potest negari Sacramentum, cum ille publicè petit; hoc enim currit cum aliud non evenit malum, quàm sacrilega perceptio Sacramenti; secùs autem cum interveniunt alia gravia damna, quæ plerùmque accidunt ex matrimoniis invalidis; ita rectè docent *Sanch. Castr. Boss. Coninch. Ronc. Escob.* etc. contra *Pontium* (4). Et hic advertendum parochum teneri sub gravi, cum aliquod celebrandum est matrimonium, investigare diligenter utrùm aliquod subsit impedimentum (5).

58. — Advertendum 4. quòd Episcopus, juxta Trident. *Sess. 24. c. 1. de reform. matrim.* potest ex tribus duas proclamationes dispensare, ut unica tantum, et etiam ut nulla fiat, cum juxta intervenit causa, ut cum suspicio probabilis habetur matrimonium malitosè impediri, ut dicitur in textu Concilii; et etiam ob alias causas, ut dicant *Sanch. Barbos. Pont. Cabass. Fonac. Bos. Salm.* etc., nimirum si nuptiæ celebrandæ essent inter primarios homines, aut inter senes, aut inter personas valdè dispares conditione, ætate, divitiis, aut alia qualitate: aut si moraliter certum esset nullum subesse impedimentum:

(1) N. 997. — (2) *Lib. 6. n. 999.* — (3) n. 1000. — (4) n. 1002. — (5) n. 54. r. Certum.

aliter Episcopus, si dispensat, semper se certum saltem aliundè facere debet impedimentum non adesse (1). Et cum dispensatio necessaria esset ad evitandum grave damnum spirituale aut temporale, aut ad auferendum aliquod impedimentum alicujus notabilis boni, etiam privati, tunc (ut dicunt *Ronc. Sanch. Barb. Castropal. Bonac. Filliuc. Boss. Conin.*, etc.) Episcopus tenetur ad dispensandum, ut esset 1. si probabilis timor haberetur, ne matrimonium injustè impediretur. 2. Si matrimonium necessarium esset ad evitandam infamiam sponsi, aut prolis, v. gr. præcessisset defloratio, et sponsus jamjam moriturus esset, aut discessurus in longinquam regionem, aut timeretur ne mutaret voluntatem. 3. Si parentes cogerent filium ad ducendam indignam. 4. Si timeretur aliquod periculum spirituale aut temporale. 5. Si immineret tempus Adventus, aut Quadragesimæ, ut addit *Roncaglia*, et ita pariter ob quamcumque aliam rationabilem causam, juxta prudentum judicium (2). Dicit tamen *Boss.* (3). quòd si fortè Episcopus his stantibus causis injustè negaret dispensationem, ipsi recurrere debent ad judicem superiorem; non possunt tamen contrahere, nisi cum periculum esset in mora, et ad Superiorem adeundi non suppeteret facultas. Advertendum hic ex Concilio præcipi quòd, cum dispensetur in proclamationibus, *ante consummationem denuntiationes in ecclesia fiant, ... nisi Ordinarius judicaverit, ut remittantur.* Insuper advertendum id quod mandat observari *Bened. XIV.* in Bulla *Nimiam licentiam* (edita 18. Maji 1743.) ubi vetat, ne Episcopi alii sacerdoti quàm parochi licentiam assistendi matrimoniis dent, nec dispensent in denuntiationibus nisi *urgente legitimâ, gravissimâ et ineluctabili causâ*, cum apertissimè intelligant ex Trident. facultatem effrenatam ac immoderatam dispensandi sibi non adesse. Et ne committant facultatem contrahendi coram alio sacerdote, quàm parochi, prius quàm ex diligentibus adhibitis sibi tutò constiterit nullum interponi impedimentum.

59. — Quæritur hic tandem, an Vicarius generalis, et etiam parochus possint in denuntiationibus dispensare? Quoad Vicarium generalem probabilius est, quòd possit, dum ipse cum Episcopo unum efficit tribunale; ita communissimè *Sanch. Castr. Bon. Wig. Elbel, Barb. Navar. Ronc. Fil.* contra *Pontium*, et *Dianam* (4). Parochus contra non potest, quia ille nullâ potitur jurisdictione. Undè

(1) *N.* 1006. — (2) *Lib.* 6. *n.* 1005. *v.* *Docent.* — (3) *Boss. tom.* 1. *c.* 7. *n.* 3½. *de Matr.* — (4) *Lib.* 6. *n.* 1007.

si præsumat assistere ad matrimonium sine denuntiationibus, incurrit suspensionem ab officio tribus annis, sed hæc est *ferendæ sententiæ*, ut habetur ex *cap. Cùm inhibitiō*, §. *Sanè de clandest. desp.* probabiliter tamen dicunt *Sanch. Laym. Croix, Ronc. Gob. et Elbel*, quòd in casibus, in quibus Episcopus tenetur dispensare, et non possit ad eum confugere, et contra periculum dilationem non pateretur, in eo casu parochus non potest quidem dispensare, sed potest (modò ei constet non subesse impedimentum) declarare tunc non obligare præceptum denuntiationum. Imò addunt *Pont. Castrop. Boss. Salmant. Busemb. Sanch. Conc. Sot. Escob.*, etc. ipsosmet sponso, si certi sunt nullum adesse impedimentum, posse omissis denuntiationibus, contrahere (1).

PUNCTUM V.

De impedimentis dirimentibus.

Innuuntur impedimenta dirimentia 60. I. *De impedimento erroris circa personam, et circa qualitatem* 61. II. *Conditionis* III. *Voti*. IV. *Cognitionis* 62. V. *Criminis* 63. VI. *Disparitatis cultûs* VII. *De violentiâ, et metu* 64. VIII. *De imped. Ordinis* IX. *Ligaminis*. X. *Publicæ honestatis*. 65. XI. *Ætatis* 66. XII. *Affinitatis* 67. *De impedimento ad petendum* 68. *Quinam dispensare potest in hoc impedimento* 69. XIII. *De clandestinitate, et de assistentiâ testium. De parochi assistentiâ* 70. et 71. *De vagis, et exteris* 72. *Quænam assistentiâ parochi requiratur* 73. XIV. *De impotentia* 74. et 75. *De raptu*. 76.

60. — IMPEDIMENTA dirimentia (præter defectum consensûs) sunt sequentia :

I. *Error*, II. *Conditio*, III. *Votum*, IV. *Cognatio*. V. *Crimen*, VI. *Cultûs disparitas*, VII. *Vis*, VIII. *Ordo*, IX. *Ligamen*, X. *Honestas*,

XI. *Ætas*, XII. *Affinis*, XIII. *Si clandestinus* XIV. *et impos*, XV. *Raptave sit mulier, nec parti reddita tulcæ*.

Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

61. — Sermo sit de singulis sigillatim. I. *Error* : Error circa personam lege naturæ irritat matrimonium, licet sit vincibilis, et etiamsi concomitans, qui causam non dedit contractui, adeò ut etiam cognito errore, pariter nuptiæ contractæ fuissent (2). Error contra circa personæ qualitatem, v. gr. si illa iudicata fuerit nobilis, virgo, aut dives, et talis non reperiatur, certè non irritat matrimonium; et hoc currit juxta communem sententiam, et

(1) *Lib. 6. n. 1007. Dubit. 2.* — (2) *L. 6. n. 1010.*

veriolem cum *Sanch. Mol. Laym. Nav. Conc. Hub. Ronc. Less. Gon. Salm.*, etc. cum *S. Thoma* (1), contra *Pontium* et alios paucos, etiamsi error dederit causam contractui; nam intercessit jam consensus circa substantiam matrimonii, quæ consistit in verificatione personæ; alioquin si verificandæ essent omnes qualitates à sponsis apprehensæ, innumerabilia matrimonia restarent dubia, et litibus obnoxia (2). Qualitas tamen si redundaret in substantiam, communiter dicunt DD. tunc errorem circa qualitatem irritare matrimonium. Tres dantur regulæ quibus dignosci possit quando error circa qualitatem redundet in substantiam. *Prima*, cum quis actu intendit, aut prius, voluntate nunquam mutatâ, intellexit non contrahere, nisi sub illius qualitatis conditione; ita *Sanch. Pont. Castr. Salm.* et alii communiter (3). *Secunda*, cum qualitas est propria et individualis alicujus certæ personæ, v. gr. si quis intendit contrahere cum primogenita regis Galliæ; ita *Castr. Petrocor. Habert, Laym. Holzm. et Spor.* Secus autem si intenderet contrahere cum una filiarum regis, quia tunc qualitas non est individualis, sed communis aliis filiabus, et tantò minùs si intenderet contrahere cum filia regis, nisi esset quòd principaliter intenderet non contrahere, nisi cum persona regali (4), ut dicemus mox infrà in tertia Regula. *Tertia*, cum contrahens principaliter intendit qualitatem, et minùs principaliter personam, ut si diceret: *Volo ducere nobilem, qualem putò esse N. N.* Secus autem esset, si diceret: *Volo ducere N. N. quam putò esse nobilem*; ita *Sotus, Silv. Abul. Holzm. Cabass.* et alii cum *S. Thoma* (5).

62. -- II. *Conditio*: Per conditionem intelligitur servilis; undè si ex ignorantia cum serva contrahitur, matrimonium nullum est (6), et hoc etiamsi ignorantia esset crassa, ut probabiliùs dicunt *Sanchez, Conin. Salm.*, etc. contra *Sotum* (7) Secus autem si jam sciret illam esse servam, tunc enim validè contraheret, fieret tamen irregularis ex *Can. Si quis, dist. 34.* (8). Sicut etiam esset validum matrimonium, si ipse esset servus, uti probabiliùs tenent cum *S. Thoma* (9). *Sanch. Salm. Conac.*, etc (10) Idem currit, prout probabiliùs dicunt *Sanch. Salm. Bon.*, etc. contra *Castropalaum* (11), si serva ob matrimonium fieret libera,

(1) *Suppl. q. 51. art. 2. in corp. ad. 1. et ad 5.* — (2) *L. 6. n. 1011. et 1012.* — (3) *n. 1013. et 1014.* — (4) *n. 1015.* — (5) *n. 1016.* — (6) *L. 6. n. 1017.* — (7) *n. 1019.* — (8) *n. 1018.* — (9) *Suppl. q. 52. a. 1. ad. 1.* — (10) *Lib. 6. n. 1018.* r. Si verò. — (11) *n. 1022.*

ut evenit cum dominus ipsemet chirographum dotale dat servæ, aut eam in uxorem dat alteri ignorantem esse servam. III. *Votum*: intelligitur solemne castitatis vel ob Ordinis sacri susceptionem: vel ob religiosam professionem spontaneam: dicitur *spontaneam*, nam illa emissa metu, nulla est (1). An autem Papa possit dispensare in voto in professione emisso, probabilissimum est posse, cum *S. Thoma* (2), *S. Antonin. Suar. Castr. Less. Sanch. Cajet. Pont.*, etc. (3). Et idem dicitur de voto sacri Ordinis (4). IV. *Cognatio*: Triplex est cognatio: *legalis*, quæ oritur ex adoptione perfecta, nempe facta principis supremi rescripto; et hæc dirimit matrimonium inter adoptantem et adoptatum; et inter uxorem et descendentes adoptati, et inter uxorem adoptantis, ac inter ejus consanguineos in primo gradu; ita ex *c. Per adoptionem* 3. q. 3. et ex *c. Diligere* 30. q. 3. (5). *Spiritualis* est illa quæ oritur ex Baptismo, aut ex Confirmatione; et hæc dirimit matrimonium inter baptizantem et baptizatum, inter patrinum et baptizatum, et parentes baptizati, ut ex *c. 1. de Cogn. spir. in* 6 et ex Trident. sess. 24. c. 2. (6). Vide dicta *Tract. XIV. n. 33. et 53.* Tertia denique est *carnalis*, quæ provenit ex consanguinitate personarum quæ ex eodem stipite descendunt: et hæc in linea transversali lege ecclesiasticâ matrimonium dirimit usque ad quartum gradum, sed in linea recta semper (7). An autem in linea recta hoc sit lege naturæ, an Ecclesiæ, quæstio est: cæterum probabile est in primo dumtaxat gradu lege naturæ prohibitum esse matrimonium in linea recta, aded ut in reliquis gradibus possit Papa dispensare; ita *Less. Lugo, Sanch. Salm. Ronc.*, etc. Vide dicta *Tom. I. Tract. IX. n. 18.* Ad distinguendos gradus consanguinitatis, hæc traduntur regulæ: I. In linea *recta* tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempto stipite, qui nunquam in numero computatur. II. In linea *transversali æquali* quot gradibus sponsus distat à communi stipite, sponsæ, tot distant inter se. III. In linea *transversali inæquali* quot gradibus consanguineus remotior distat à stipite, tot distant inter se (8). An autem debeat in dispensatione exprimi gradus proximior, vide *sequent. n. 86.*

63. — V. *Crimen*: Crimina matrimonium dirimentia sunt homicidium, adulterium et raptus. De raptu dicitur

(1) *N. 1024.* — (2) *In 4. D. 58. q. 1. art. 4. ad 1.* — (3) *L. 3. n. 256.* — (4) *Ibid. et Lib. 6. n. 807. 808. et 1059.* — (5) *n. 1027.* — (6) *n. 1028.* — (7) *n. 1029.* — (8) *Lib. 6. n. 1026. v. Prima.*

infra n. 76. Loquendo igitur hic de homicidio, et adulterio, hoc impedimentum tribus in casibus incurritur, nimirum, 1. Utroque patrante (to patrante respicit solum homicidium, non verò adulterium). 2. Uno patrante 3. Nemine patrante. Et 1. *utroque patrante* intelligitur cum ambo sponsi conspirarunt (sed sine adulterio) in conjugis mortem, quocum alter eorum matrimonio ligatus erat, sine matrimonii ineundi cum eo (1); saltem cum alter sponzorum talem habuit finem et complici communicavit, ut probabilius tenent *Pont. Vasq. Peyr. Diana, Salm.*, etc. contra *Sanch. et Castrop.* qui affirmant impedimentum incurri, etiamsi finis prædictus matrimonii parti alteri participatus non fuerit. Cæterum ego puto sufficere, seu saltem requiri ut indiciis sufficientibus manifestatus sit, v. gr. donis, litteris amatoriiis, aut aliis signis amoris et familiaritatis quæ inter partes intercesserunt (2). II. *Uno patrante*, cum una pars tantum, alteram insciã, conjugem suum dedit morti; sed amplius adulterium commisit cum parte cui nubere cupit, ut ex *can. Si quis vivente 5. caus. 31. q. 1. et cap. Propositum I. de eo qui duxit*, etc. Sed ad incurrendum hoc impedimentum requiritur 1. ut adulterium præcedat homicidium; 2. ut adulterium sit perfectè consummatum cum seminatione intra vas non tantum ex parte viri, sed etiam mulieris, juxta sententiam *S. Bonav Innoc. Hostiens. Vigner et P. Concina*, qui tradit eam ut communem; et meritò probabilem vocant *Sanchez, Castrop. Ronc. Salm.*, etc. Ratio, quia hoc impedimentum habet rationem pænæ, et quævis pœna non incurritur, nisi crimen sit perfectè consummatum in suo genere; ut autem adulterium sit perfectè consummatum, requiritur ut adulteri fiant una caro per utriusque seminationem mixtionemque seminum; ait enim *D. Thomas*, (cujus verba proferemus infra n. 68. in fin.) quòd tantum per mixtionem seminum vir et fœmina efficiuntur una caro (3) Requiritur 3. ut uterque adulter sint conscii prioris matrimonii; quare probabiliter (ut dicunt *Sanch. Rebell. Aversa, Bus. et Salm.*) excusat ignorantia etiam culpabilis, si non sit affectata (4). Requiritur 4. ut occisio sit patrata eo fine ut ducere possit adulteram, et talis finis sit ei manifestatus (saltem signis suprã narratis); ita *Sanch. Pont. Vasq. Salm. Perrez*, etc. (5). III. *Neutro patrante*, intelligitur cum non intercessit homicidium, sed tantum adulterium cum

(1) N. 1033. v. Ex I. capite. — (2) n. 1034. — (3) *Lib. 6. n. 1036. v.* Hinc autem. — (4) *Ibid. v. Requirit. V.* — (5) *Ibid. v. Requirit. VI.*

matrimonii promissione, ut habetur ex *cap. fin. de eo qui duxit*, etc. Ad incurrendum hoc impedimentum requiritur primò ut adulterium et promissio intercesserint vivente conjugè. Secundò ut promissio non sit revocata ante adulterium. Tertiò ut promissio sit acceptata. Hæc certa apud omnes habentur (1). Alia sunt dubia, quocirca dicimus 1. probabile esse cum *Sanch. Castr. Gutt.* (contra *Pont.*, etc.) ad acceptationem non sufficere solam adulteræ taciturnitatem (2). Dicimus 2. probabiliùs et communiùs esse cum *Laym. Bonac. Salm. Holzm. Croix, Spor.*, etc. (contra *Sanch. Cast.*, etc.) non sufficere promissionem fictam, dum textus citatus requirit promissionem, qualis non est promissio ficta (3). Dicimus 3. non sufficere conditionatam promissionem; cum enim agatur de pœna, pro promissione à textu allata, debet intelligi absoluta, et probabiliùs etiam dicunt *Laym. Conin. Perez, Holzm.* contra *Sanch. Tourn.*, etc. Dicimus 4. contrà probabiliùs, et communiùs esse cum *Sanch. Bonac. Castr. Sot. Coninch. Silv.*, etc. adversùs *Bellarmin. Laym. Holzm. Elbel*, etc. non requiri mutuam promissionem; nam in *c. 1. et de eo qui duxit*, etc. nulla mentio fit repromissionis, sed tantùm fidei datæ (4). Præterea notandum est ad tria illa crimina addendum esse quartum, ex quo etiam oritur impedimentum, et est adulterium cum *matrimonio attentato*, nempe cum vir vivente uxore aliam cognoscit, ac intendat cum illa contrahere: hoc matrimonium est nullum, sive copula præcesserit, sive sequatur attentatum, ut habetur ex *c. 2. 4. 5. et 9. de eo qui duxit*, etc. (5) Qui autem, vivente uxore, daret fidem ducendi aliam, sed sine adulterio, et sine matrimonio attentato, non incurreret hoc impedimentum, sed non excusaretur, à culpa gravi, ut communiter dicunt *Sanch. Laym. Bon. Castr. Elbel*, etc. et deducitur ex *c. fin. de eo qui duxit* (6).

64. — IV. *Disparitas cultûs*: intelligitur disparitas religionis. Hæc dirimit matrimonium inter baptizatum, et non baptizatam; sed inter baptizatos, nemper inter Catholicum, et hæreticam disparitas non dirimit, sed tantùm impedit matrimonium, et reddit illicitum, nisi Papa dispenset, ut ex *c. 1. de Divort.* et ex Bulla Bened. XIV. *Matrimonia*, data 4. Nov. 1741. (7). VII. *Vis*: intelligitur non solum vis propriè dicta sed etiam metus, qui dirimit matrimonium tam lege ecclesiasticâ, ex *c. Signifi-*

(1) *N. 1037.* — (2) *n. 1038.* — (3) *n. 1859.* — (4) *Lib. 6. n. 1041.* — (5) *n. 1042.* — (6) *n. 1043.* — (7) *n. 56. et 1044.*

cavit, c. Veniens, et c. Consultationi, de eo qui duxit, etc. quàm lege naturali (1). Et dirimit, licèt juramento sit firmatum, modò juramentum non sit præstitum ad liberum præbendum consensum, quia tunc certò obligat, ut ait *P. Viva* (2). Sed ad hoc ut metus irritet matrimonium, 1. debet esse gravis, quia levis satis non est, ut tenendum est cum sententia communissima *Pont. Castr. Sanch. Sot. Tamb. Boss. Vivæ* (contra *Lugo*, et *Nav.*) cum *S. Thoma* (3), qui dicit: *Coactio metus, quæ cadit in constantem virum, tollit matrimonium, et non alia*. Ratio est, quia neque lege naturæ, nec positivâ habetur quòd metus levis tollat matrimonium (4). Pro metu *gravi* intelligitur periculum mortis, exilii, carceris, infamiæ, aut amissionis gravis bonorum, aut excommunicationis, aut alius damni gravis, quod contrahens timeret sibi, aut sibi conjunctis usque ad quartum gradum: ita communiter DD. (5). Solus metus reverentialis erga parentes, avos, dominos, Prælatos, et tutores (addunt *Roncagl. Sanchez, Boss.* etc. etiam erga patruos, et fratres natu majores) dicimus cum sententia communi *Lessii, Sot. Sanch. Suar. Mol. Laym. Conc. Pont.*, etc. cum quadam decisione Rotæ. rom contra aliquos canonistas, quòd non satis sit ad irritandum matrimonium nisi cum additur timor gravis mali, ut diuturni odii, aut indignationis, aut verberum, etc.; nam, ut rectè ait *Pont.*, metus merè reverentialis non est propriè metus, sed simplex reverentia quæ secum nullius mali affert timorem, sed solam quamdam erubescentiam, quæ potiùs ab intrinseco quàm ab extrinseco ortum habet, sicut mox infra explicabitur (6). 2. Metus iste debet esse ab extrinseco incussus, nempe ab alio: et non sufficit ut sit ab intrinseco, ut si quis contraheret, ut ab aliquo liberetur damno, à nemine incusso, sed à seipso apprehenso; ita communiter *Sanch. Pont. Sot. Ronc. Salm.* (7). 3. Debet esse injustè incussus; undè si fortè sponsus, factâ matrimonii promissione ex timore carceris, quem ei justè minitatus est judex, contrahat, aut timore ne sponsa eum accuset, tunc matrimonium est validum. 4. Debet incuti metus ad finem contrahendi matrimonii; quare si stuprator ducit corruptam incussus timore minarum illius, conjunctorum, matrimonium est nullum; secus verò si parentes minantur ei mortem ob violationem puellæ, et ille, ut à periculo

1 N. 1045. et 1054. — 2) n. 1045. — 3) *Suppl. q. 47 a. 3.* — 4) *L. 6. n. 1055.* — 5) *Lib. 6. n. 1047. et 1048.* — 6) *n. 1056.* — 7) *n. 1049.*

liberetur, matrimonium contrahit; ita communiter *Sanch. Bonac. Ronc.* et alii (1). Dubitatur autem an irrito facto matrimonio metûs causâ, libera restet étiam pars quæ metum incussit? Affirmant probabiliter *Sanch. Sot. Castr. Busemb. Hurtad.*, etc.; sed probabilior videtur opposita *Pontii, Nav. Coninch. Salm.*, etc. uti deducitur ex *c. 1. de eo qui duxit*, quia nemini commodum de suo facinore comparandum est. Imò dicimus cum *Castrop.* eum, qui metum incussit, omninò teneri mulierem ducere, cùm non posset alio medio illius honori consulere (2).

65. — VIII. *Ordo*: intelligitur sacer, quo dirimitur matrimonium, non quidem lege divinâ, uti volunt nonnulli, sed ecclesiasticâ, sicut probabilius docent *Sanch. Pont. Suar. Bellarm.*, etc. cum *S. Bonav. et S. Thoma* (3) qui dicit: *Sed quòd (Ordo) impediât matrimonium, ex constitutione Ecclesiæ habet*; quia votum simplex castitatis ex se non irritat certè matrimonium; si igitur irritat, est quia est solemne, sed talis solemnitas dumtaxat provenit ex lege Ecclesiæ: ideòque benè potest Papa in eo dispensare (4). IX. *Ligamen*: intelligitur de eo qui alio matrimonio ligatus est, propter quod cum nemine alio contrahere potest, nisi certè constet de prioris conjugis morte: qui si comparet, tenetur, qui aliud contraxit matrimonium, ad priora redire vota (5). X. *Honestas*: nempe publica honestas, quâ nullum redditur matrimonium illiûs qui, sponsalibus celebratis cum una, matrimonium contrahit cum consanguinea illius in primo gradu, sicut novissimè statuit Tridentinum, quia jure antiquo tale impedimentum extendebatur usque ad quartum (6). Hic notandum 1. tale impedimentum non oriri ex sponsalibus cùm persona incerta initis (v. g. cum una ex filiabus Petri), uti constat ex *c. uno de sponsal. in 6*, neque ex sponsalibus conditionatis, si adhuc conditioni non fuerit eventus, ut dicunt communiter *Sanch. Castrop. Bonac. Salmant.* et certum est ex declaratione Bonif. VIII, apud *Tournely*. Notandum 2. ex matrimonio rato oriri impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum, licèt matrimonium fuerit nullum, modò nullitas non provenit ex defectu consensûs, quia in hoc jus antiquum correctum non est à Concilio; ita communiter *Sanch. Pont. Castrop. Salmant.* Sed hîc quæritur an adsit impedimentum, cùm nullitas oritur ex defectu consensûs? Affir-

(1) *Ibid. ad 1065. ubi alii casus discutuntur.* — (2) *n. 1057.* — (3) *In 4. dist. 37. q. 1. art. 1.* — (4) *Lib. 6. n. 1058. et 1059.* — (5) *n. 1060.* — (6) *1061.*

mant Sanchez, Pont. et alii, quoties defectus est occultus (et idem dicunt de sponsalibus nullis ob quemcumque defectum occultum, cum valida sunt in foro externo); sed probabilius negant *Castr. Boñ. Conc. Salm. Coninch.* etc. quia in textu citato universaliter dicitur quod ex matrimonio nullo defectu consensûs, non oritur impedimentum; et ita refert *Barbosa* declarasse S. C. Quoad autem sponsalia, indistinctè dixit Trident. *sess. 24. c. 3. de Reform. matrim. Ubi Sponsalia quâcumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit* (impedimentum) (1). Notandum 3. sponsalia licèt mutuo consensu soluta, aut alia ex justa causa, parere impedimentum, uti rectè dicunt *Sanch. Tourn. Conc. Sot. Laym. Bonac. Salmant.*, etc. (contra *Pont. Castrop.*). Ratio est quia ex sponsalibus validis, juxta Trid. jam oritur impedimentum; undè hoc non potest deindè tolli sponsorum voluntate, aut aliâ causâ superveniente: et hæc sententia (uti rectè ait *La-Croix*) est omninò tenenda ex approbatione S. C. approbata ab Alex. VII. die 6. Julii 1668. ubi prohibitum fuit, ne hoc deinceps ampliùs in dubium revocaretur (2). Notandum 4. ex matrimonio nullo, ex eo quod fuit clandestinum, etiam oriri impedimentum publicæ honestatis, ut rectè dicunt *Pont. Castropal. Pign. Ronc. Tourn. Conc. Laym.*, etc. (contra *Sanch. Nav et Coninch.*), et ita declaravit S. C. (3) Insuper hîc advertendum matrimonium ratum cum una sorore, sed invalidum ob publicam honestatem, non inducere impedimentum in præjudicium alterius sororis, cum qua contracta sunt sponsalia, uti ex *cit. c. un. de spons. in 6. (4)*.

66. — XI. *Ætas*: intelligitur, si sponsus sit minor natus quàm 14. annos completos, et sponsa 12., matrimonium est nullum, uti habetur ex *c. 7. 10. et 14. de Despons. impub.*, modò malitia non suppleat ætatem, ut excipitur ex *c. De illis 9. eod. tit.*; sed hoc intelligitur pro illis impuberibus qui pubertatem jam attingunt; et præterea intelligitur de illis qui non solum potentes sunt ad generationem, sed etiam sunt capaces ad intelligenda consequentias conjugalis vinculi, ad quod contrahendum perfecto opus est rationis usu, ut dicunt *Sanc. Sotus*, et alii cum *S. Thoma (5)*. Quæritur hîc, an matrimonium sit nullum, si pueri etiam completâ ætate coire nequeant? Alii affirmant, sed communiter negatur cum *Nav. Castr.*

(1) *Lib. 6. n. 1. 62.* — (2) *n. 1063.* — (3) *n. 1064.* — (4) *Ibid. v. Notandum.* — (5) *n. 1065. et 1066.*

Sanch. Sylvest., etc.; nam nullâ lege cavetur quòd matrimonium inter puberes pueros sit nullum, si adhuc potentiâ generandi careant; dùm impotentia tunc potiùs judicanda est temporalis, quàm perpetua. Itaque tunc, ùt communiùs dicunt *Castr. Pont. Sanch. Silvest. Escob.*, etc. quoad marem expectanda est ætas usque ad annum 18. quoad mulierem saltem usque ad 14. (1). Notandum hic matrimonium senum ætatis decrepitæ etiam esse validum, modò coire possint arte medicâ; ita communiter *Sanch. Salm* et alii cum *S. Thoma* (2).

67. XII. *Affinis*: Affinitas illa quæ oritur ex copula habita ab uno sponsorum cum consanguineis alterius. Hæc dirimit matrimonium usque ad quartum gradum, si ex copula licita nata est: usque ad secundum, si ex illicita; ita ex *Trid. sess. 24. c. 4.* Notandum hìc quòd affinitas non parit affinitatem, undè duo fratres possunt ducere duas sorores; et vitricus potest ducere uxorem sui privigni, ùt declaravit *S. C.* (3). Insuper notandum quòd si quis cognoscit sororem sponsæ suæ, neutram sine dispensatione ducere potest; sed obtentâ dispensatione, si iterùm eamdem sororem sponsæ cognoscit, novâ dispensatione non indiget; et hoc etiamsi dispensatio executioni data sit, ùt dicunt probabiliùs *Sanch. Tourn. Anacl. Guttier.*, etc. contra *Habert. et Elbel*, cum Declaratione *S. C.* quia illa affinitas jam per dispensationem sublata est ad effectum contrahendi matrimonium. Et ita reverà respondit *S. Pœnitentiaria* 21. Sept. 1752. cuidam rescripto quod authenticum ego vidi. Advertit autem *Lambertini* (4) cum *Fill. Cleric. et Tamb.*, quòd si postea impedimentum, super quo in foro conscientiæ dispensatum est, detegatur in foro externo, et conjuges non possunt ad probandam dispensationem aliquam probationem adducere, tunc Episcopus aut parochus debet quiescere, si confessarius testetur de obtenta dispensatione (5).

68. — Præterea notandum præfatum affinitatis impedimentum tunc dirimere matrimonium, cùm illud præcessit; sed si post matrimonium conjux rem habet cum consanguineo alterius in primo aut secundo gradu, ille privatur jure petendi debitum, ùt habetur ex *c. Si quis 1. de eo qui cognov., etc.* et ex Declaratione Gregorii XIII. (6). Advertendum autem: ab hoc impedimento 1. excusat metus, v. g. si uxor metu gravi coacta cognoscitur à

(1) *Lib. 6. n. 1067.* — (2) *Ibid. v. Matrim.* — (3) *n. 1038 et 1069.* — (4) *Notif. 87. n. 51.* — (5) *Lib. 6. n. 1140.* — (6) *Lib. 6. n. 1070.*

consanguineo viri; ita communiter et probabilius *Nav. Bonac. Rebel. Elbel. cum Laym. Sol. Castr. et Salm.* qui hoc probabile vocant, quia sicut metus gravis a lege humana, ita etiam excusat à pœna (1). 2. Excusat ignorantia: hæc ignorantia potest esse aut facti, aut juris, aut pœnæ. Si est facti, nempe si conjux ignorat illam personam, cum qua copulam habet, esse consanguineam sui conjugis, ab omnibus excusatur, licet ignorantia esset crassa, ut dicunt *Sanch. Pont. Nav. Castr.*, etc., cum illa pœna sit imposita, ut legitur in textu citato, *scienter peccantibus* (2). Nec incurritur ab eo qui ignorat legem ecclesiasticam, quæ præter divinam id prohibet; dum non potest incurri pœna illius legis, cujus nulla habetur notitia; ita communissimè *Suar. Nav. Bonac. Wigandt, Pont. Salm.* etc. contra pauciores (3). Et est etiam probabile non incurri ab eo, qui licet sciat legem ecclesiasticam, ignorat tamen pœnam; ita tenent *Bon. Wigandt, Castrop. Boss. Coninch.* et alii; quia hoc impedimentum (ut dicunt) habet veræ pœnæ rationem; aliàs etiam incurreretur ab eo qui citra culpam committeret incestum; et cum sit pœna extraordinaria, ei non subijcitur ignorans, uti dicitur *Tract. XIX. n. 8.* loquendo de *Censuris* (4). 3. Non incurritur præfatum impedimentum, nisi copula sit ex utraque parte consummata cum seminatione, ut probabiliter dicunt *Castr. Sylv. Sanch. Bonac. Salm.* et alii cum *S. Bonavent. et S. Thoma* (5), qui dicit: *Vir et fœmina efficiuntur una caro per commixtionem seminum: undè.... nisi mixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas*, Advertendum tamen quòd in dubio semper præsumenda est copula fuisse perfecta, et consummata ab utraque parte (6).

69. — Huic impedimento, communis est sententia cum *Merbes. Castr. Laym. Pont. Sanch. Boss. Wig. Anacl.*, etc. contra aliquos pauciores, posse dispensare Episcopos ex potestate sua ordinaria, aut saltem ex consuetudine jam introducta (7). Et possunt delegare etiam aliis facultatem dispensandi, cum ipsa annexa sit dignitati episcopali; ita etiam communiter *Barbosa, Pont. Sanch. Castrop. Salm. Bon.*, etc. (8). Item possunt dispensare omnes confessarii mendicantes ratione privilegiorum suorum, ut referunt *Sanch. Pont. Spor. Salm.*, etc., contra *Concinam* (9). Ad hoc autem ut regulares confessarii possint super hoc impedi-

(1) *N. 1071.* — (2) *n. 1075.* — (3) *n. 1072.* — (4) *1074.* — (5) *Suppl. qu. 55. art. 4. ad 2.* — (6) *L. 6. n. 1075.* — (7) *Lib. 6. n. 1076.* — (8) *n. 1125.* — (9) *n. 1127.*

mento dispensare, alii volunt ut illi habeant licentiam suorum Generalium, aut Provincialium; alii absolutè id negant; cæterùm rectè dicunt *Salm.* cum aliis non requiri, sed sufficere licentiam Superioris localis, dum privilegium concessum Benedictinis Vallisolanis à Martino V. et à Julio II. concessum fuit Priori monasterii (1).

70. — XIII. *Si clandestinus*: Advertendum clandestinitatem, loquendo de matrimonio, bifariàm accipi posse: primò cum tiunt nuptiæ omissis denuntiationibus, et de hac jam actum est num. 55. Secundò cum celebratur matrimonium sine parochi, et testium assistentia, et de hac est sermo. Trid. sess. 24. c. 1 declaravit nullum fore matrimonium, nisi contrahatur coram parochi, aut alio sacerdote de ejus licentia, et coram duobus saltem testibus; et hoc currit (si in locis ubi Trident. receptum est, versatur) etiamsi aliqua urgeat necessitas quæ oppositum expostularet, et etiamsi matrimonium sit contractum ex ignorantia; ita communiter DD. (quicquid dicant aliqui cum *Scoto*), dum Concilium declaravit *omninò inhabiles* eos qui aliter contrahunt (2). Quoad testes, notandum quòd quilibet testes in hoc sufficiunt, etiam mulieres, pueri (modò sint rationis capaces), infideles, infames, parentes, servi, et etiam illi qui casu illac transeunt, aut vi detinentur; ita communiter *Sanch. Barb. Castrop. Laym. Con.*, etc (3).

71. — Quoad parochum autem, plura notanda sunt. Notandum 1. nomine parochi intelligi non solùm Episcopum, et Vicarium capitularem Sede vacante, sed etiam Abbatem jurisdictionem quasi episcopalem habentem, Vicarium generalem Episcopi, licèt ei hoc Episcopus prohibuisset, cum non possit hic impedire quominus parochus, aut Vicarius suus generalis matrimoniis assistat, ut pluries declaravit S. C. (4). Peccaret tamen graviter parochus, si assisteret postquam ei ab Episcopo jurisdictio vetita sit, ut communiter dicunt DD. Notandum 2. parochum etiam irregularem, aut suspensum, aut excommunicatum, licèt vitandum, validè assistere, ut dicunt communiter *Sanch. Pont.*, *Salm* etc. et *Fagn.* cum Decreto S. C.; ibi enim non exercet jurisdictionem, sed tantùm uti testis assistit (5). Licèt, assistente vitando, non excusarentur à culpa gravi nec ipsi nec sponsi, modò casus non accideret quo gravissima causa urgeret, ut citiùs matrimonium contraheretur; et non suppeteret tempus Episcopum ad-

(1) N. 1128. — (2) n. 1079. — (3) n. 1084. — (4) Vide P. Zacch. ap. Croix. l. 6. p. 5. n. 725. — (5) Lib. 6. n. 1082.

eundi, ut dicunt probabilius *Coninch. Pont. Suar. Vasq. Bonac.*, etc. contra *Sanch. Boss.*, etc. (1). Contra probabilius dicunt *Sanch. Castrop. Barb. Pont. Bonac. Cajet. Salm.*, etc. (contra *Laym. et alios*) parochum vitandum rectè dare posse alteri sacerdoti licentiam assistendi; nam licentiam dare non est actus jurisdictionis, sed potestatis sibi à Concilio concessæ, non uti parochi, sed uti testi, cum facultate delegandi alium sacerdotem (2). Benè potest etiam assistere, aut licentiam dare parochus non sacerdos infra annum, quo sacerdotio initiandus est; et etiam post annum (saltem validè), sicut declaravit S. C. (3). Et ita pariter sacerdos qui titulo colorato parochus haberetur (4), aut errore communi, juxta dicta *Tract. XVI. n. 90*. Notandum 3. sufficere licentiam parochi etiam tacitam, modò sit præsumpta de consensu præsentis; non jam ratihabitione futurâ, ut dicunt communiter *Sanch. Pont. Bonac. Salm.* etc. Et sufficit etiam dolo aut timore extorta, et oretenus tantùm data, ut addunt iidem AA. citati (5).

Notandum 4. assistere debere matrimonio parochum illius parochiæ, in qua sponsi domicilium habent; sed si domicilium in duabus parochiis haberent, communissimè docent *Sanch. Pont. Bonac. Coninch. Ronc. Salm.*, etc., posse contrahere coram parochi alterutrius; modò in utraque (moraliter loquendo) æquè incoluerint (6). Sed advertit *P. Zaccharia* pluries declarasse S. C. quòd si sponsi fictè in aliam parochiam domicilium transferrent, ibi contrahendo, invalidè contraherent. Sed contra validum esset matrimonium, si eò reverà domicilium transferrent, licèt in fraudem parochi primi domicilii; ita *Croix* cum *Fagnano, Barb. Sanch. Silv. Boss.* et alii (7). Notandum 5. ad matrimonii valorem sufficere assistentiam parochi alterutrius sponsi, etiam extra parochiam, et diocesim: quare valet matrimonium, si in parochia sponsæ assistit parochus sponsi, ut declaravit multoties S. C. accedente etiam Pontificis approbatione (8). An autem peccet parochus assistendo extra parochiam? alii affirmant; sed communius eum excusant *Sanch. Castr. Salm. Barb. Coninch. Boss.* etc., dicendo (ut suprâ) assistere non esse actum jurisdictionis (9). Quæritur an in aliam parochiam proficiscens non animo eòdem transferendi domicilium, nec ex transitu, sed ut ibi per majorem anni partem moretur, possit ibi

(1) N. 1085. — (2) n. 1084. — (3) n. 1081. — (4) *Ibid.* — (5) n. 1088. — (6) n. 1086. — (7) *Croix. l. 6. p. 5. n. 717.* — (8) *Lib. 6. n. 1087* — (9) *Ibid.*

contrahere nuptias? Alii probabiliter negant; sed probabilius affirmant *Sanch. Pont. Bon. Silv. Castrop. et Salm.* Inò dicit *Lambertini* cum *Laym.* et *Nav* sufficere ut ibi moretur per aliquam notabilem anni partem occasione alicujus occupationis, ut medici, judicis, servi, cauponis etc. (1); vide dicta *Tract. XIV. n. 17.*

72. — Notandum 6. vagos posse contrahere coram quocumque parochò, licet tantum alter sponsorum sit vagus. Tenetur tamen tunc parochus investigare diligenter, an alibi contraxissent; et istis assistere non debet sine speciali Episcopi licentia, ut docent *Sanch. Barb. Salm., etc.* Quoad exteros, hi non possunt matrimonio conjungi extra patriam, nisi ostendant fidem authenticam Ordinarii proprii de statu eorum libero, uti constat ex instructione S. C. (2). Sed ut declaravit etiam S. C. exteri in carceribus detenti non possunt ibi contrahere. Et idem docet *Lambertini* dicendum (juxta instructionem S. C.) de exteris infirmis in xenodochiis, excepto casu præcisæ necessitatis, in qua possunt cæteroquin contrahere, etiam sine attestatu de statu libero; sed antequam de eo constet, non possunt matrimonium consummare. Puellæ verò expositæ, quæ in conservatoriis versantur, contrahere debent coram parochò ipsiusmet loci, uti declaravit S. C. Et idem dicit *Lambertini* ex antiqua consuetudine, quæ adest, de illis puellis quæ vivunt in conservatoriis, à quibus aluntur, et dotantur; sed illæ quæ ibi educantur, debent contrahere coram parochò domicilii paterni, materni, aut fraterni, si adest, alioquin coram parochò loci conservatorii; et idem dicunt de famulis qui domi dominorum vivunt (3). Præterea circa matrimonia militum adsunt multæ Decis. S. C. (4), nempe quòd non possunt contrahere sine Pontificis licentia coram capellano castrorum, sive in præsidiis, sive in stationibus hyemalibus, aut æstivis, et ne in castris quidem, licet in oppositum inveniam apud *Pittonium* (5) quoddam Decretum S. C. ubi dicitur quòd ipsi capellani possunt assistere matrimoniis militum, cum hi in actuali expeditione reperiuntur. Sed cum sunt exteri, semper opus habent fide suorum Ordinariorum de statu libero (6).

73. — Notandum 7. ad hoc ut matrimonium sit validum, requiritur præsentia non tantum materialis, sed etiam moralis parochi et testium, adeò ut ipsi testari

(1) N. 115. et 1091. — (2) N. 1089. in fin. — (3) Lib. 6. n. 1091. v. Quid si, in fine — (4) Ap. P. Zarch. ad Croix. l. 6. p. 5. n. 751. — (5) Pitton. tr. de Matr. n. 2117. — (6) Vide Opus nostr. l. 6. n. 1090.

possint tam de personis contrahentibus, quàm de matrimonio contracto; quare rectè ait *Pontius* (contra *Sanch.*) apud *Croix* (1), quòd si parochus non benè intelligeret consensum sponsorum, quia fortè alterius sunt idiomatis, non sufficit unus interpres qui affirmet. Contrà sufficit si parochus intelligit eorum consensum, licèt eos non videat (modò eorum voces dignoscat), et licet nihil ipse proferat; ut decisum affert *Fagnanus* à S. C. et ut communiter dicunt DD., imò etiam vi detentus sit et contradicat, ut communiter etiamsi dicunt *Sanch. Bon. Filliuc. Conc. Busemb.* etc. (2), et juxta plures Decis. S. C. (3). Sed in hoc non excusarentur sponsi à mortali, et in aliquibus diocesis incurrerent excommunicationem; nisi esset casus, uti dicunt *Castr. Con. Salm.* etc., quo parochus injustè renueret assistere, et contrà adest necessitas contrahendi (4). Parochus verò tenetur sciscitari consensum à sponsis, et proferre verba: *Ego vos conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Licèt probabiliter dicunt *Sanch. Coninc. Pont. Castrop. Salm. Con.* etc., quòd si ea verba non proferret, peccaret tantùm venialiter, quoties factus esset certus de consensu manifestato, sed fortè probabiliùs *Boss. Rebell. Barb.* et alii non excusant eum à peccato mortali, cùm defectus sit circa materiam gravem (5).

74. — XIV. *Impos*: Hoc impedimentum est frigiditas sponsorum, aut impotentia habendi copulam per se aptam ad generandum. Impotentia hæc, si est perpetua, et antecedit nuptias, nec auferri possit nisi per miraculum, aut peccatum, aut cùm periculo mortis, de jure naturæ illas irritat, ex *cap. Fraternalitatis, de frigid. et malef.* Impotentia autem oriri potest 1. ex maleficio: et tunc, si maleficio intra triennium nequit removeri sine peccato, dirimitur matrimonium, ex *cap. fin. eod. tit.* Oriri potest 2. ex frigiditate: et tunc pariter, si intra triennium nequit inter conjuges perfici copula idonea ad generationem, matrimonium irritum est. Idem docet *D. Thomas* (6) casu quo vir talem habeat erga mulierem abominationem, ut nullo modo possit per triennium cum ea copulari, sicque pariter sentiunt *Albert. M. Sanch. Silvest. Ang. Tab. Turrecr.* contra *Sotum* (7). Oriri potest 3. ex improportione membrorum, nempe si fœmina haberet vas nimis arctum; et tunc, si ipsa nequeat apta fieri, nisi per incisionem cùm periculo mortis, vel gravis morbi (in quo moraliter semper

(1) *Lib. 6. p. 5. n. 750.* — (2) *n. 1092.* — (3) *Apud P. Zacch. ad Croix l. 6. p. n. 790.* — (4) *Lib. 6. n. 1093.* — (5) *n. 1094.* — (6) *Sup. q. 58. art. 1. ad 5.* — (7) *Lib. 6. n. 1096. r. II.* Si impotentia.

inest mortis periculum, ut rectè apud *Sanch. et Ronc.*), matrimonium est invalidum ex *cit. cap. Fraternalitatis, etc.* ubi dicitur tùm matrimonium esse nullum, cùm nequit haberi copula, nisi per incisionem, aut alio modo violentia sibi inferatur,.... fortè tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur (1).

75. — Hinc autem insuper tria sunt notanda. Notandum 1. quòd mulier eo casu, quamvis non teneatur incisionem pati cum periculo gravis morbi, ut rectè tenent (contra aliquos) communiter *Pont. Castr. Tournely, Pontas, Sanch. Ronc. Salm. Bonac. Soto, Croix, etc.*, quia nunquam censeatur ipsa ad tantum periculum se voluisse obstringere: tenetur tamen illam pati cum aliqua gravi molestia et dolore, ut communissimè et probabiliùs tenent *Sanchez, Bonac. Ronc. Spor. Salm. Croix, Soto, Escob. etc.* (contra *Pontium, Castr. et Tourn.*), quia ad id videtur obligari ex contractu inito, cùm id sit necessarium ad servandum viro jus ad copulam (2). Verumtamen, si incisio non posset fieri nisi per manum chirurgi, non videntur improbabilius dicere *Coninch. Tourn.* cum *Pontas*, quòd mulier non tenetur eam perferre cum tanta verecundia, quòd esset onus moraliter intolerabile (3). Quòd si vir debilis sit ad scindendum virginale claustrum, an tunc mulier teneatur pati fractionem per aliquod instrumentum? Negant *Pont. Castr.* et alii, quia cùm defectus sit ex parte viri, uxor non tenetur nisi ad tradendum corpus suum modo ordinario et naturali, non extraordinario scindendum. Sed probabiliùs affirmant *Sanch. Vega, Angles. etc.*, quia hujusmodi molestia, licèt non sit modo naturali in eo casu perferenda, tamen non debet dici extraordinaria, cùm ex una parte sit ipsa omnibus nuptis ordinaria, et ex alia videtur necessariò toleranda, cùm desit aliàs modus ut mulier apta fiat ad tradendum usum sui corporis, cujus dominium jam in virum transtulit (4). Notandum 2 quòd soluto matrimonio ob arctitudinem fœminæ, si ipsa cum alio nuptias iniret, non ex eo quòd per usum conjugii apta facta sit primo viro, ideò primum matrimonium validum est reputandum, sed id conjiciendum à similitudine secundi viri cum primo: ita (quicquid alii dicant) rectè docent *D. Antonin. Sanch. Silv. Ang. Turrecr. Durand. etc.* Idque clarè colligitur ex *d. cap. Fraternalitatis*, ubi dictum fuit ideò teneri mulierem redire ad primum

(1) *Ibid.* v. III. Si demùm *et* 1097. — (2) *Lib.* 6. n. 1099. circa fin. — 3, *Ibid.* in fin. — (4) n. 1100.

virum cum pateat (verba textus) ex post facto, quod cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur (1). Notandum 3. quod cum impotentia est certa, non est jam expectandum triennium; tunc enim statim potest altera pars ab impedita liberè discedere (imò tenetur, si adsit periculum incontinentiæ), et ad alias nuptias transire, etiam ex propria auctoritate, si non adsit scandalum; si verò adsit, ut communiter accidit, debet omninò ad iudicem ecclesiasticum recurrere, et impedimentum probare (2): quando autem impotentia est dubia, tunc si dubium antecessit nuptias, pars dubitans de sua potentia (intellige positivè ex aliquo indicio probabili, non autem negativè, quæ cum ordinariè quisque habilis præsumitur) nequit contrahere, nisi dubium alteri parti manifestet, et sit saltem probabiliter potens, ut dicunt *Dicast. Elbel. et Viva* (3). Si autem dubium superveniat matrimonio, tunc datur triennialis experientia (quæ incipit à copula intentata); et experientia permittitur, licet conjuges semen (sed præter intentionem) extra vas effundant, ut communiter docent *Sanch. Castr. Soto, Tourn. Salm. etc. ex D. Thoma* (4). Et in dubio an impotentia nuptias antecesserit, vel supervenerit, probabilius dicunt *Bon. Sylv. Tourn. Salm. etc.* (contra *Sanch. Castr. Mazz. etc.*) judicandum quod antecessit, nisi fortè post matrimonium aliquis supervenerit morbus, ex quo impotentia præsumatur successisse (5). Quod autem ad forum externum pertinet, observa quæ in Opere adnotantur (6). Ibiq; etiam vide quæ dicuntur de matrimoniis, quæ contrahuntur inter hæreticos, vel cum hæreticis (7).

76. — XV. *Rapta*: Raptui etiam à Tridentino (*sess. 24. c. 6.*) impositum est impedimentum. Ad contrahendum hoc impedimentum requiritur 1. ut mulier rapta sit ab uno ad alium locum exportata, vel saltem ab una ad aliam domum per aliquos passus dissitam (sed non sufficit ab uno ad aliud ejusdem domus cubiculum), ubi illa manet sub raptoris potestate, licet ibi illa ab eo cognita non sit; ita communiter *Sanch. Salm. Conc., etc.* (8). 2. Ut raptus sit patratu solo fine matrimonii; undè, uti probabilius tenent *Sanch. Coninc. Holzm. Castr. Salm. etc.* (contra *Bonac. Busemb. etc.*) non contrahit hoc impedimentum, qui alio fine eam raperet, etiamsi ad libidinem explendam; nam Concilium hoc impedimento nihil aliud intellexit, quàm

1) N. 1098. — 2) *Lib. 6. n. 1101.* — (5) n. 1102. — (4) n. 1103. — (5) n. 1104. — 6) n. 1105. — (7) n. 1105. — (8) n. 1107.

matrimonii libertati favere (1). 3. Ut raptus fiat dissentiente muliere; secùs est si, dissentientibus propinquis, mulier assentiatur, raptor licèt incururus sit alias pœnas in raptos latas, non autem impedimentum, uti communiter docent *Sanch. Castr. Conc. Holz. Coninc. Aversa, Salm.* etc. (2). Et idem constat ex *cap. penult. de Rector.* ubi dicitur: *Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum. et priùs eam desponsaverit, quàm cognoverit, licèt parentes reclamarent.* Notandum hìc 1. quòd juxta Tridentinum præter hoc impedimentum, raptor et cæteri omnes, qui ad id auxilium suum præstant, incurrunt excommunicationem ipso facto, reliquæ verò pœnæ impositæ à Concilio non incurruntur, nisi post sententiam; *Castr. Sanch. Salm.* etc. (3). 2. Quòd raptor mulieris invitæ incurrit impedimentum, et pœnas licèt cum illa priùs contraxerit sponsalia, uti rectè docent *Castr. Escob. Sa, Sanch. Conc. Corn. Salm.* etc. (contra aliquos), cum constet ex Concilio incurri impedimentum, quoties mulier invita rapitur (4). Dubium fit autem, an in casu raptûs etiã sponsalia invalidentur? Affirmant *Bonac. Pont. Sanch. Dicast. Salm,* et alii communiùs. Verùm opposita, quam tenent *La-Croix,* et *Holz.* (5). cum *Perez, Pichler, Kimer,* et aliis, mihi probabilior videtur: quamvis enim leges pœnales extendantur ad casus in quibus eadem currit adæquata ratio, prout dictum est *Tom. I. Tract. II. n. 78.*; in nostro tamen casu non eadem ratio militat, nam matrimonium non est rescindibile sicut sponsalia sunt.

PUNCTUM VI.

De matrimonii irriti revalidatione.

Quandonam impedimentum dicendum est occultum 77. Quid si parochus et testes conscii erant impediementi, etc. 78. Qui fictè contraxit, an teneatur verum præstare consensum 79. An qui contraxit ex metu, aut fictè, teneatur patefacere nullitatem 80. An ablato impedimento debeat pateferi nullitas; ignorantia 81. Quomodò exigi debeat consensus ab ignorante 82.

77. — Hic prænotandum 1. matrimonium probabiliter validum, habendum esse certè validum, quia præsumitur Ecclesia certè dispensare in impedimento, quoties adest vera probabilitas de matrimonii valore, ut dictum fuit *Tom. I. Tr. I. n. 27.* Prænotandum 2. (ut dictum est hìc

(1) *Ibid. v. Requ. II.* — (2) *Lib. 6. n. 1107. v. Requ. III.* — (3) *Ibid. v. Not. hìc.* — (4) *Lambert. Notif. 87. n. 45. in fin.* — (5) *La-Croix l. 6. p. 3. n. 54. Holz. de Matr. t. 7. n. 271.*

n. 29.) ad revalidandum matrimonium nullum ex defectu occulto, sufficere consensum solum externum sponsorum, omissâ assistentiâ parochi et testium, illa enim jam adfuit. Itaque hic notandum impedimentum tunc dici occultum, juxta *Fagnanum*, cùm non est notum nisi 4. aut 5. personis loci: sed *Lambertini* (1), cum *Tiburt. Navarrus*, *Thesaur.* et *Syro*, dicit esse occultum, licèt sit cognitum 7. aut 8. personis. Cæterùm dicunt *Nav. Sanch. Azor. Avil. Salm. Reginald. Molin. Tourn. Bon. Castr. Tolet*, etc. communissimè, delictum aut factum tunc dici occultum, cùm non est notum nisi majori parti regionis, parochiæ, aut viciniæ, ubi morantur saltem 10. personæ; et mihi constat S. Pœnitentiariam dispensasse in quodam casu quo impedimentum erat cognitum 10. personis. Hoc tamen intelligi debet, quoties prudens non adsit timor, ne impedimentum fiat publicum, quia tunc non potest dispensari in impedimento ut occulto, licèt esset notum tantùm duabus personis, uti dicunt *Layman, Sporer, Croix, Hurtad.* Et idem dicit *Fagnanus* observandum, cum in clausula S. Pœnitentiariæ dicitur, *omniò occultum*, ut poni solet in impedimento *criminis*. Contrà dicunt *Sanch.* et *Lambert*, cum *Bon. de Leone, Girib. Tiburt. Navar.* et pluribus aliis, quòd aliquando factum est publicum materialiter, quia jam viciniæ cognitum est; sed formaliter est occultum, quia ignoratur tale impedimentum; et tunc potest etiam ad S. Pœnitentiariam pro dispensatione concurrere, tanquam occultum (2).

78. — His positis quæritur 1. an revalidandum sit matrimonium coram paroco et testibus, cùm tempore quo contractum fuit, conjuges erant conscii impedimenti? Affirmant *Sanchez, Ledesma*, et *Croix*, et alii probabiliter, quia tunc illi non fuerunt testes de valore matrimonii, sed potiùs nullitatis; sed probabilius negant *Coninch. Tambur. Gobat.* et alii, quia eorum assistentiâ à Tridentino non præscripta fuit ad testificandam matrimonii validitatem, sed ad ejus celebrationem, ne quis (ut exprimit Concilium) fraudulenter plura matrimonia ineat; imò hic est stylus sacræ Pœnit. (3).

79. — Quæritur 2. an qui fictè contraxit, teneatur ad revalidandum matrimonium per verum consensum? Affirmant *Castrop. Roncagl. Concina, Salmant.*, etc. dicendo quòd cùm una pars jam corpus suum tradiderit per consensum, tenetur altera pars, ut æqualitatem servet, tra-

1) *Card. Lamb. Notif. 877. n. 45. in fin.* — (2) *Lib. 6. n. 1111.* — 3) *n. 1112. Tom. II.*

dere etiam corpus suum per verum consensum; sed probabilius *Sanch. Navar. Henriq. Arag. Hurtad. Gutt. etc.* negant (modò matrimonii revalidatio non requireretur ad reparanda damna ex dolo illata); ratio est, quia deficiente consensu alterius, contractus fuit nullus, et per consequens nulla intercessit alteriùs partis traditio, adeò ut eadem pars remaneat in eo casu libera, non secus ac nunquam consensum dedisset (1).

80. — Quæritur 3. an qui fictè aut metu contraxit (quo casu matrimonium est nullum, ut diximus *numer. 64*), si velit matrimonium revalidare, verum præstando consensum, teneatur alteri parti manifestare matrimonii nullitatem? Negat sententia communior cum *Sanchez, Lessio, Navar. Laym. Tournely, Roncaglia, Bonac. Salmant.* et aliis pluribus cum *S. Antonino*, et *S. Thoma* (2), qui loquendo de matrimonio metu inito, dicit: *Ex consensu libero illius qui primò coactus est, non fit matrimonium nisi in quantum consensus præcedens in altero adhuc manet in suo vigore; undè si dissentiret, non fieret matrimonium.* Igitur si metum passus consensum præstat, jam matrimonium revalidatur. Ratio est, quia in contractu matrimoniali non est necessaria simultas physicorum consensuum, sed sufficit moralis, nempe ut una pars consensum suum præstet; dùm alterius partis consensus semel præstitus adhuc perseverat in aliquo effectu, nimirum per copulam maritalem, aut per cohabitationem. Idem tenet *P. Cuniliati* (3). cum *S. Bonaventura, Paludano, et Soto*; atque non obstare timorem quòd si requireretur pars de novo consensu, fortè non daret; nam hic dissensus interpretativus non est verus dissensus, et interim perseverat consensus semel præstitus. Id quod fortiùs urget pro hac sententia, sunt duo Canones, qui pro eo adducuntur: Primus est in *cap. Insuper 4. Qui matrim. accus., etc.* ubi in argumento sic habetur: *Invita desponsata postea spontè cognita, contra matrimonium non audiatur.* Secundus est in *cap. Ad id 21. De Sponsalib* ubi dicitur: *Quamvis ab initio invita fuisset ei tradita, tamen, quia postmodum per annum et dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire.* Itaque juxta hos textus spontanea copula, vel cohabitatio æquivalet libero consensui. Advertendum verò cum *Sanch. Navar. Tournely, etc.* ad hoc ut pars liberum ponat consensum, oportet ut sciat nullum fuisse matri-

(1) N. 1115. — (2) *S. Thom. Supplem. quæst. 47. n. 4. ad 2.* — (3) *Cuniliat. de Matrim. §. 29. num. 2. et 3.*

monium (1). Secunda autem sententia absolutè tenet, quòd ad revalidandum matrimonium manifestanda est alteri parti ejus nullitas; ita dicunt *Castropalaus*, et *Hurtadus* apud *Salmanticenses*, et præsertim *Pontius* cum *Comitolo* (2), qui refert super hoc quamdam declarationem *Clementis VIII.* qui consultus in simili casu, sic respondit. Ratio, quia consensus partis, quæ liberè eum præstitit, ab initio fuit nullus, cùm ceciderit super materiam inhabilem; undè cùm materia postmodùm habilis facta fuerit, ad matrimonium reconvalidandum novus requiritur consensus sensibilibus signis præstandus, quandoquidem primus, cùm fuerit invalidus, perseverare non potuit. *Cardinalis Lambertini* (3) sentit quòd, cùm agatur hìc de valore Sacramenti, omninò hæc secunda sententia tenenda est tanquam tutior; tantò magis quòd idem *P. Sanchez* (ut ait) qui oppositam tuetur, probabiliorem vocat. Ratio cæterùm suprà adducta videtur equidem satis fundata. Sed contrà non video, quomodò responderi possit textibus suprà relatis et præsertim secundo in *cap. Ad id 21. de Sponsal.* ubi casus fuit, quòd puella quædam, quæ priùs invita nupsit, deindè judicans matrimonium nullum ad secundas transierat nuptias; at quia per annum cohabitaverat cum primo viro, præcepit Pontifex, ut ad eum rediret, urgente præsumptione quòd suâ longâ cohabitatione jam consensum præstiterit: *Quamvis ab initio* (repeto verba textûs) *invita fuisset ei tradita, tamen, quia postmodùm per annum sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire.* Papa igitur non habuit pro vera rationem *Pontii*, quòd consensus liberè præstitus à viro eo casu per se nullus esset, tanquam cadens super materiam inhabilem; sed potiùs ut verum habuit, quòd ille mariti consensus, moraliter perseverans, et se conjungens cum consensu postmodùm præstito à muliere per suam cohabitationem, jam primum conjugium revalidaverat, et ideò præcepit, ut mulier ad ipsum redire teneretur. Quod autem ad declarationem *Clementis VIII.* in contrarium adductam respondet *Roncaglia* vel de ea non satis constare, vel Pontificem eo casu ut privatum doctorem fuisse locutum.

81. — Quæritur 4. an cùm matrimonium est nullum ob aliquod impedimentum, ut revalidetur novo consensu, sublato impedimento per dispensationem; utraque pars conscia esse debeat nullitatis? Affirmant *Pontius*, *Less.* et

(1) *Lib. 6. n. 1114.* — (2) *Ibid.* — (3) *Lambertini Notif. 87. n. 69.*

Castrop. cum Guttier. Hurt. Comit. et aliis, quia prior consensus præstitus à parte quæ ignorabat impedimentum, fuit nullus: posterior verò ejusdem partis etiam nullus est, siquidem cum ignoret nullitatem matrimonii, licet præstat consensum, errat ideò in substantiam, dum intendit consentire in conjugem jam suum. Contra *Sotus, Palud. Ledes. Rodriq. Ang. Salmant.*, etc. dicunt non esse necessariam scientiam nullitatis matrimonii, sed sufficere simplicem consensum præstitum à parte inscia, aut expressè, aut saltem signis externis; quia licet prior consensus fuerit nullus ob impedimentum ab Ecclesia appositum, attamen fuit validus lege naturæ; quare sublato impedimento, sufficit prior consensus qui jam perseverat in effectu per copulam conjugalem, aut per cohabitationem, aut per alia signa externa. Et reverà *Lambert.* (postmodum *Benedictus XIV.*) (1) refert quoddam Breve *Clementis XI.* editum die 2. April. 1701. ubi Papa revalidavit quædam matrimonia aliquarum nationum, quæ nominabantur *Procueles* et *Quartarones*, nulliter contracta, quin novum exquisierit consensum. Super hoc puncto (quidquid dictum sit in Opere morali) (2) nunc dicimus, quod stante declaratione *Benedict. XIV.* editâ die 27. Septemb. 1753. novissimè à me inspectâ in *Tom. 4. Bullar.* nuperrimè typis dato, pag. 346. (3) ubi dicitur, facto casu quòd quidam vir contraxerat nulliter matrimonium ob impedimentum consanguinitatis, sed bonâ fide, et conabatur illud roborare insciâ uxore ob scandalum quod timebatur separationis, Pontifex dispensasse, et simul etiam declarasse (*vide ibid. §. 7.*), quòd cum non agatur de impedimento orto jure divino vel naturali, ut cum datur consensus vivente altero conjuge, aut si est servus ignotus, aut erratur in persona; sed jure ecclesiastico, in eo casu posse quidem Papam matrimonium roborare dispensando à novo consensu præstando à parte ignorante impedimentum, pro valido habendo consensum quem illa in principio dedit, qui consensus lege naturæ erat validus; tunc enim Papa aufert impedimentum in radice matrimonii, retrahendo contractum, ac si in principio nullum adfuisset impedimentum: juvat hinc verba *Benedicti* adnotare: *Porrò gratia concessa importat dispensationem in radice matrimonii, quæ à romanis Pontificibus concedi consuevit, urgente magnâ causâ, et quando agitur de impedimento matrimonii ortum habente; non à*

(1) *Notif. 87. n. 80.* — (2) *Ibid. 6 n. 1115.* — (3) *Vide Const. Etsi matrimonialis. Ed. Mechl. t. 11. pag. 251. et tenorem subsequentis Decreti Cum Nuper*

jure divino, aut naturali, sed à jure ecclesiastico; et per eam non fit, ut matrimonium nulliter contractum non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi matrimonii nullitatem ante indulgentiam dispensationem, atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt. Cæterùm cùm hæc specialis Papæ dispensatio non intercedit, non est recedendum in praxi à prima sententia, potissimùm quia S. Pœnitentiaria in concedendis dispensationibus pro revalidandis matrimoniis nulliter contractis, expressè apponit clausulam: *Ut dictâ muliere (aut viro) de nullitate prioris consensûs certioratâ, uterque inter se de novo secretè contrahere valeant* Et hæc, ut probabilius ait *Lamb.* (1), est conditio positiva, non autem simplex instructio, uti contendebant *Sanch. Bonac.*, etc.; nam juxta jurisperitos ablativum absolutum importat veram conditionem, sicut habetur ex *lib. A. testatore, ff. de Condit.* etc. (2). Hoc tamen intelligitur extra casum urgentis necessitatis, quia in casu quo si, patefactâ nullitate matrimonii, timeretur periculum mortis, aut infamiæ, aut scandali ob separationem, tunc observetur quod dicitur *Tom. III. Tract. XX n. 57.* ubi dicitur in eo casu posse Episcopum dispensare, et cùm necessitas non pateretur moram, juxta id quod dicunt plures DD. potest confessarius declarare legem impedimenti tunc non obligare, adeò ut possit matrimonium contrahi, omissâ dispensatione.

82. — Quæritur §. si exigendus est consensus à parte inscia (juxta primam sententiam præcedentis quæsitæ), quomodo exigendus est? Communis est sententia cum *Sanch. Card. Holzm.* sufficere parti consciæ impedimenti, eo per dispensationem sublato, sic dicere: *Tempore quo contraxi tecum, ego verum consensum non præstiti, eum nunc præsto, vis etiam tu eum præstare?* quia consensus datus à parte inscia in hoc casu jam non penderet à primo; et rectè potest dici quòd consensus nullus, cùm contractus sit nullus, non est verus consensus. Ita pariter puto cum *Bus. Salm. Caj. Nav. et Trull.* sufficere si dicatur: *Ego dubito de valore matrimonii nostri, renovemus consensum:* quia eo casu consensus renovatus jam esset independens à primo. Admittunt etiam multi DD. dicere: *Dic mihi, si matrimonium nostrum fuisset nullum, intendis nunc denuò mecum contrahere?* Hunc modum ego non admitterem, nisi tantùm cùm pars ignara ob talem interrogationem de nullitate matrimonii in suspicionem veniret; aliter con-

(1) *Notif. 87. n. 68.* — (2) *Lib. 6. n. 1. 15. in fine.*

sensus illius dependeret à primo, et non esset sufficienter validus, juxta in superiori quæsito dicta. Alii autem admittunt, etiamsi diceret: *Si non me accepisses, acciperes nunc?* Aut: *Pro mea consolatione de novo consensum præstemus nostro matrimonio.* Sed istis modis ego penitus non assentior, dùm in ipsis consensus certò non facit, ne dependeat à priori. Et tantò minùs admittere possum quod tenent aliqui, sufficere solam copulam maritali affectu præstitam. Hoc dumtaxat admittunt *Sanch. Tourn. Bon. Sot. Cajet. Coninch. Salm Ronc. Instruct. pro Confess. tyronibus*, et alii communiter in solo casu necessitatis, nempe cùm alii modi adhiberi nequeunt sine periculo gravis damni, ut dictum est suprà num. præced. Nec obstat tunc clausula *certioratà parte* requisita à S. Pœnitentiaria, quia in tali casu necessitatis præsumitur, ut sentit *Lambertini cum Tiburt. Navar.*, loc. cit. Ecclesiam velle omitti talem conditionem uti moraliter impossibilem; cùm contrà sit valdè fundata sententia quòd sufficiat ad revalidandum matrimonium nulliter contractum sola copula, aut cohabitatio voluntaria, uti habetur ex *cap. Ad id 21. de sponsal., cap. Insuper 4. qui matrim. accus., etc.* et ex *cap. Significavit, de eo qui duxit.*: ubi dicitur quòd per cohabitationem, aut copulam conjugalem spontaneam subsequentem matrimonium nulliter contractum ob vim aut metum, roboratum esse intelligitur (1). Vide n. 80.

PUNCTUM VII.

De dispensatione super impedimentis matrimonii.

In quibus impedimentis potest Papa dispensare 85. (et in quibus Episcopus; remissivè ad Tom. III. Tract. XX. num. 54. et seq.). De causis justis ad dispensandum: an omnia impedimenta explicanda sint 84. An omnes circumstantiæ, præcipuè incestus 85, An omnes gradus 86. De clausulis S. Pœnitentiariæ 87. De formulis supplicationum 88. De formula exequendi dispensationem 89.

83. — Hic priùs sermo erit de iis qui dispensare possunt. Et 1. loquendo de iis qui super impedimentis dispensare possunt, certum est Papam posse dispensare in omnibus tam impedientibus, quàm dirimentibus, à jure ecclesiastico ortum habentibus, secùs autem in iis quæ sunt juris divini aut naturalis, ut suprà dictum est n. 81.; nam juxta sententiam probabiliorem, et communiorem

(1) *Lib. 6. n. 1117.*

Suar. Pont. Castrop. Silvest. Salas, etc., Papa licet possit dispensare in iis, in quibus jus divinum oritur à voluntate humana, ut in votis et juramentis, non autem in his quorum jus ex sola divina voluntate pendet. Et huic sententiæ favet *S. Thomas* (1), qui dicit: *In præceptis juris divini, quæ sunt à Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel is cui specialiter committeret*, Hæc autem specialis commissio, ait *Castrop*, non habetur pro data Pontifici per illa verba: *Quodcumque ligaveris*, etc. aut per illa alia: *Pasce oves meas*, quia hæc important generalem; sed non specialem commissionem. Dicimus dumtaxat cum *Suar. Sot. Nav. Coninc. Valent.* et aliis, Pontificem in aliquo particulari casu posse tanquam doctorem universalem Ecclesiæ, et supremum voluntatis divinæ interpretem declarare legem divinam tunc non obligare (2); vide dicta *Tom. I. Tract. 2. n. 56*. Quoad potestatem quam habent Episcopi ad dispensandum super impedimentis matrimonii, vide fusiùs dicenda in *Tom. III. Tract. XX. De Privilegiis n. 54. et sequentibus*.

84. — II. Loquendo de causis justis ad obtinendam dispensationem super impedimentis dirimentibus, assignantur à DD. sequentes: 1. Extinctio magnæ litis, vel odii, vel scandali inter agnatos. 2. Inæqualitas matrimonii, nisi inter consanguineos nubatur ob defectum dotis, aut alterius. 3. Conservatio facultatum in eadem cognatione. 4. Merita petentis dispensationem. 5. Ætas excedens 24. annos in muliere. 6. Subministratio pecuniæ, quæ à Papa in pietatis opera impenditur, ut communiter admittunt DD. et praxis docet; et aliæ causæ id genus (3).

85. — Notandum hic 1. ad hoc ne dispensatio sit subreptitia, in supplicatione explicanda sunt I. omnia impedimenta consanguinitatis vel affinitatis, quæ subsunt, licet sint ejusdem gradûs, ut si cognovisset duas sorores suæ sponsæ, sicut communiùs dicunt *Sanch. Pont. Anacl. Castr. Escob. Conc. Salm.* cum *Rota, Ronc.* (contra alios), quia licet talia impedimenta non sint specie diversa, tamen sunt numero distincta, ideòque reddunt dispensationem difficiliorem. Nec amplius de hoc dubitandum est, nam *Benedict. XIV. die 30. Septemb. 1755.* in quodam Brevi, cujus initium, *Etsi matrimonialis, in Bull. edit. Mechl. tom. 11. pag. 254. et est 50. in ord.*, declaravit et statuit irritum fuisse et fore quoddam matrimonium celebratum

(1) 1. 2 q. 97. a. 4. ad 5. — (2) Lib. 6. n. 1119 et 1120. — (3) Lib. 6. n. 112. et 1130.

cum impedimento duplicis gradûs consanguinitatis, licet super uno gradu, qui tantum in notitiam pervenerat, à Clemente XII. dispensatum fuisset. Et ita pariter eadem ratione quando impedimenta sunt plura, et disparata, v. g. voti, et consanguinitatis; sed sunt hujusmodi ut copulata difficiliorem reddant dispensationem, ut si quis vellet ducere consanguineam, cum cujus sorore copulam habuerit, tunc non sufficit se junctim, sed conjunctim oportet petere dispensationem; ita probabilius *Salm.* et alii cum *Salas, Rodrig.* etc. Excipiunt *Coninch.* et *Aversa*, si impedimentum contractum ob copulam cum sorore habitam est occultum, et illud patefacere esset infamiæ, quia tunc, dicunt, potest separatim obtinere dispensationes nempe illam cognationis à Dataria, et illam affinitatis ob copulam à Pœnitentiaria. Sed nos dicimus, quòd saltem in supplicatione ad Pœnitentiariam, debet exponi utrumque impedimentum (1). Si quis autem, obtentâ dispensatione in affinitate ob copulam cum sponsæ sorore habitam, iterum illam cognosceret, non indiget novâ dispensatione, licet prima jam sit executioni mandata (2), et sicut diximus n. 67.

Debent 2. in supplicatione exponi omnes circumstantiæ quæ accidunt, et quæ reddere possunt dispensationem difficiliorem, et præcipuè si intercesserit copula inter cognatos qui matrimonio jungi cupiunt. Et hoc non tantum si illa habita est ut facilius dispensatio obtineatur, uti certum est, sed etiam si hic finis non fuerit præhabitus, uti dicunt *Sanch. Laym. Coninch. Castrop.* etc. (contra *Pontium, Salmant.* etc.). Et de hoc hodie dubium omne cessat, dum declaratum est à Bened. XIV. in Bulla *Pastor bonus*, §. 41. ubi irritum pronuntiatur matrimonium inter consanguineos celebratum ex dispensatione obtenta, tacito incestu (3). Item si quis, obtentâ dispensatione super gradu prohibito antequam executioni detur, rem habet cum sponsa, indiget novâ dispensatione, ut recte dicunt *Sanch. Guttier. Gallego*, etc. contra aliquos, et ita declaravit S. C. mense Maji 1635; nam ex stylo Curia, manifestato novo incestu, Pontifex solet imponere majorem pœnitentiam, et ampliorem pecuniæ compositionem exigit (4). Secus verò si rem habet post dispensationis executionem, ut probabiliter dicunt *Lugo, Sanchez, Cajet Arm.* et *Vega*, quia tunc, executâ dispensatione, et ablatâ prohibitione

(1) Lib. 6. n. 1158. et 1159. — (2) n. 1140. — (3) n. 1154 et 1155. — (4) n. 1141.

matrimonii, cessat etiam malitia incestûs. Item si quis petit secundam dispensationem, postquam obtinuerit primam super eodem delicto, debet exprimere primam; secûs verò, si impedimentum non provenit ex aliquo crimine, vel ex crimine diverso; uti communiter *Coninch. Aver. Salm. et. Conc. (1)*.

86. — Explicandi sunt 3. omnes gradus consanguinitatis, aut affinitatis, quibus sponsi conjuncti sunt, tam gradus proximior quàm remotior: v. g. si conjuncti essent in secundo, et tertio, aut in tertio et quarto, ut communiter dicunt *Pont. Silv. Salm. Tourn. etc.*; nam etsi dispensatio tantùm requiritur pro gradu remotiore, attamen S. Pius V. in suo motu proprio *Sanctissimus* declaravit, quòd obtenta dispensatione super gradu remotiore, nullà mentione factâ proximioris, impetrandæ sunt litteræ declaratoriæ super proximiore. Hæ tamen litteræ si non expediantur, matrimonium erit utique validum, sed illicitum (uti declaravit Benedictus XIV. In Brevi allato n. 85. *Etsi matrimonialis*, cum inserto decreto, *Cùm super*, § 6. referens etiam sic decisum fuisse à S. C. 18. Martii 1722.), modò conjuncti non sint in primo et secundo consanguinitatis aut affinitatis gradu, in quo, sicut refert ibidem Benedictus, protestatus fuit S. Pius, se nolle dispensare, nisi expressus sit etiam primus gradus. Item notandum, quòd si fortè causa dispensationis cesset ante ejus expeditionem, aut executionem, cessat etiam dispensatio. Secûs autem si cessat post executionem, licèt nuptiæ adhuc celebratæ non sint, quia tunc jam sublatum est impedimentum. Ita satis probabiliter *Pont. Suar. Castr. Salm. Silv. etc.* contra *Sanch. et Dicast.* qui tamen hoc uti probabile etiam admittunt (2).

87. — Præterea notandæ sunt clausulæ quæ solent apponi in dispensatione S. Pœnitentiariæ I. *Si ita est*: in quo fides habenda est postulanti, nisi constet de opposito, ut dicunt *Sanch. et Cabass.* Sed hiè advertendum 1. Benedictum XIV. in Bulla *Ad Apostolicæ servitutis* sub die 25. Febr. 1742. declarasse expressionem et verificationem causarum ad dispensationis valorem spectare. Si autem sponsi falso exposuissent pauperes esse, et propterea dispensatio concederetur *in forma pauperum*, dispensatio etiam est valida: uti declaravit S. C. Conc. 9. Sept. 1679. apud *Monacelli (3)*. Advertendum 2. ad dispensandum super voto castitatis non sufficere simplicem tentationem, sed

(1) N. 1157. — (2) *Lib. 6. n. 1156.* — (3) *Monac. tom. 2. tit. 16. form. 2. n. 55.*

requiri vehementem incontinentiæ: etiamsi periculum sit unius lapsûs, uti rectè dicunt *Tournely*, et *Pontas* (1). II. *Auditâ prius sacramentali confessione*: juxta igitur hanc clausulam necesse est ut confessio præcedat ut dispensationi detur executio, ut dicunt *Tourn.* et *Sanch.* III. *Sublatâ occasione peccandi*: intelligitur si occasio est voluntaria, quia si esset necessaria, sufficit (ut ait *Tourn.*) ut media eligantur, quibus ex proxima fiat remota. IV. *Dummodò impedimentum sit occultum*: quando autem impedimentum putandum est esse occultum, jam dictum est n. 77. V. *Injunctâ ei gravi pœnitentiâ*: intellige juxta vires pœnitentis, ut rectè notat *Tournely*, cum *Tiburtio*, et *Nav.* qui dicit posse imponi, ut per sex menses semel jejundet, aut ter Rosarium recitet quâlibet hebdomadâ, aut frequentet confessionem (quam puto satis esse semel in mense), et hujusmodi. Quòd si unquam, addit *Tournely*. pœnitens jam debitam pro suo peccato pœnitentiam egisset, potest tunc pœnitentia moderari, modò illa non sit injuncta à Pœnitentiaria, tanquam commutatio. VI. *Præsentibus laceratis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ*. Hæ litteræ statim lacerandæ sunt, sed intellige moraliter, nempe infra tres die postquam executioni demandatæ sunt; et intellige si matrimonium jam contractum erat; secùs si adhuc contrahendum est, tunc enim dispensatio occultè asservanda est à parocho, aut saltem adnotari in aliquo libro, qui à nemine alio aspici possit, ad hoc ut, si opus erit (nempe si fortè impedimentum fieret publicum), possit de dispensatione impetrata fidem facere (2).

88. — Maximè huc refert adnotare formulas ad obtinendam dispensationem à Pœnitentiaria super præfatis impedimentis, aut votis, aut irregularitatibus.

Si petatur dispensatio super impedimentis matrimonii, intùs à parte superiori: *Eminentissime, et Reverendissime Domine*. Circa mediùm:

N. N. cum carnaliter cognovisset quamdam mulierem, dedit fidem de matrimonio contrahendo N. N. ejus sorori. Et quoniam impedimentum est occultum, et matrimonium si cum præfata sorore non contraheretur, magnum eveniret scandalum, quapropter suppliciter orat Em. V. ut ei dispensationem benigne indulgeat. Responsum dignetur mittere Neapolim (aut Neapoli Salernum) ad Rev... (hìc exprimitur nomen et cognomen) confessarium approbatum. Et id pro gratia habeat, etc. Si verò matrimonium est jam con-

(1) *Lib. 6. n. 1145.* -- (2) *Lib. 6. n. 1143. in fine.*

tractum, poterit sic scribere: *N. N. ignarus (aut conscius) impedimenti, contraxit cum muliere, matrem (sive sororem) cujus jam antea carnaliter cognoverat; sed cum impedimentum sit occultum, ideòque cum nequeat sine scandalo separari, supplicat Em. V. pro absolutione, et dispensatione. Responsum, etc.*

Circa vota castitatis aut religionis: *N. N. cum castitatis voto sit obstrictus, et cum in gravi versetur periculo incontinentiæ, suppliciter orat Em. V. ut dignetur oratori à præfato voto dispensationem indulgere, quo matrimonium contrahere possit, etc.*

Circa irregularitates: *N. N. Sacerdos incurrit irregularitatem ob homicidium (aut abortum, aut violationem censuræ) etc.; et cum ei immineat periculum infamiæ, si à celebrando se abstinet, ideò supplicat, etc.*

Foris verò in superscriptione: *Eminentissimo ac Reverendiss. Domino, Domino Colendiss.*

Domino Cardinali Pœnitentiario majori, Romam.

89. — Confessarius verò cui commissa est dispensationis executio, in dispensando, absolutione sacramentali imperitâ, hâc formulâ uti poterit: *Et insuper auctoritate apostolicâ mihi concessâ dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi et secundi) gradus proveniente ex copula illicita à te habita cum sorore mulieris, cum qua contraxisti (aut contrahere intendis), ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu, et prolem, si quam suscipies (vel suscepisti) legitimam declaro, in nomine Patris, etc.* Sed si dispensatio est à voto castitatis dicet: *Insuper votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere et illo uti, in opera quæ tibi præscripsi dispensando, commuto, in nomine, etc.* Si autem, non obstante voto castitatis, aliquis jam matrimonium contraxisset, dicet: *Item non obstante castitatis voto quod emisisti, ut in matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, auctoritate apostolicâ tecum dispenso, in nomine, etc.*

Si quis autem scire cupiat quibus facultatibus S. Pœnitentia gaudeat in dispensando ab impedimentis matrimonii, in casibus papalibus, censuris, irregularitatibus, votis, juramentis, restitutionibus incertis, vide *Tr. XIX. n. 148. de facult. S. Pœnit.*

CAPUT III.

DE DIVORTIO.

De divortio quoad vinculum 90 Quoad torum : et quot causis potest fieri divortium. I. Causa delicti. II. Morbi III. Consensus 91. IV. Timoris damni. V. Adulterii 92. Sed 1. requiritur adulterium perfectum, et certum 2. An teneatur conjux se separare 93. Casus in quibus non potest separari ab adultera 94. De jure revocandi adulterum 95. An possit propria auctoritate 96. Facto divortio quis conjugum potest religionem ingredi 97.

90. — DIVORTIUM bifarium esse potest, quoad vinculum, et quoad torum. Divortium quoad vinculum tribus tantum casibus dari potest. 1. Si alter conjugum moritur. 2. Si duorum conjugum infidelium alter ad Fidem convertitur, saltem si infidelis sine Creatoris injuria pacificè cohabitare renuit. 3. Si antequam consummetur matrimonium, intra primum bimestre ad hunc finem à lege concessum, alter ingrederetur religionem. Itaque inter infideles matrimonium licèt sit validum, non tamen est indissolubile; tunc indissolubile fit, cum uterque conjux ad Fidem convertitur, modò illud consumment post conversionem; aliter Papa in aliquo (sed urgentissimo) casu etiam illud potest dissolvere. Quòd si tantum alter convertitur, hic non potest ad alias nuptias transire, nisi in casu (ut dictum est) quo alter non conversus velit inducere eum in peccatum, et renuit cohabitare sine contumelia divini Nominis, ut exprimitur in *cap. Quanto, de Divort.* Hoc ita erat primævis temporibus, sicut scripsit apostolus 1. *Cor. 7. 13.* et seq. ex eo quia tunc temporis ob miracula quæ sæpè sæpiùs fideles operabantur, multi infideles ad Fidem veniebant; sed hodie, jam cessatis miraculis ita frequentioribus, rectè dicunt *Sanchez, Pont. Tourn. Conc. Salmant.*, etc. cum communiori, non licere ampliùs cum conjuge infideli cohabitare, ob perversionis periculum; quare hâc nostrâ tempestate, si conjux infidelis admonitus converti recusat, fidelis potest et debet eum derelinquere, et potest ad alias transire nuptias, ut habetur ex instructionibus Gregorii VIII. et sancti Pii V. (1). Loquendo autem de matrimonio inter fideles, illud certè est indissolubile, usquedùm vivunt, nisi esset quòd alter eorum ante consummationem religionem profiteretur. Ideòque conjugibus conceduntur duo menses à

(1) *Lib. 6. n. 957.*

matrimonii celebratione, in quibus non tenentur reddere debitum conjugale, ut habetur ex *cap. Si quis conj.* 25. qu. 7. et ex Trident. sess. 24. can. 6. Quod si quis in religionem se reciperet elapso bimestri, professio esset illicita, sed non invalida, ut dicunt communiter *Sanchez, Pont. Salm. Trullench.* etc., (1). Hoc tamen intelligitur, modò matrimonium non sit necessarium ad legitimandam prolem, vel ad reparandum scandalum, aut sponsæ infamiam: nam tunc non posset sponsus eam derelinquere, ne religionem quidem ingrediendo (2). Quæstio autem est, an Papa possit dispensatione suâ matrimonium ratum solvere. Duplex adest sententia. Negant *Pont. Gonet. S. Bonav. Scotus, Castrop. Sot.*, etc. dicentes matrimonium ratum ejusdem esse naturæ ac consummatum, undè lege divinâ indissolubile est; sed affirmant *Bellarm. Sanch. Cajet. Navar. Vasq. Coninch. Salm.*, etc. dicendo quod Papa tanquam Vicarius Christi potest dispensare in aliquibus, quæ sunt de jure divino, sed humanos actus concernunt, urgente tamen magnâ causâ, ut esset in casu v. g. si superveniret impotentia conjugum, aut scandalum imminens, aut bonum publicum. Addunt etiam, si adsit disparitas conditionis, morbus contagiosus, dissensiones perversæ, mutuus conjugum consensus, sed merito has quatuor causas non admittit *P. Concina*, saltem si non urgeat necessitas boni publici: nam alias istis admissis pauca matrimonia rata et firma restarent (3).

91. — Quoad divortium *tori*, et cohabitationis, firmo remanente vinculo conjugali, sex causis potest hoc divortium fieri. I. Si alter conjugum aliquod committeret delictum alteri perniciosum, ut si conaretur eum in peccatum inducere, aut si à Fide deficeretur; tunc enim innocens potest, imò debet eum derelinquere, si est in periculo perversionis; et si delictum est publicum, et si divortium factum est ex Ecclesiæ sententia, tunc potest etiam fieri Religiosus, ut habetur ex *Can. De illa, de divort.* (4). II. Si alter conjugum leprâ sit fœdatus, aut alio morbo contagioso laborat, aut si sit amens, furiosus, aut maleficus, aut obsessus; dum rectè tunc potest alter separari, si manet in gravi periculo alicujus damni (5). In casu tamen lepræ ait *S. Thomas* (6) quod sanus tenetur reddere debitum, sed non cohabitare. III. Si conjuges ex communi consensu separentur, quod cæteroquin per-

(1) *N.* 958. — (2) *Ibid.* — (3) *n.* 959. — (4) *Lib.* 6. *n.* 973. et 974. — (5) *n.* 973. v. *IV.* *Morbus.* — (6) *Sup.* 1. 64. a. 1. ad 4.

mitti non solet, si ambo non ingrediuntur religionem, aut saltem nisi, muliere religionem profitente, vir Sacris initietur. Attamen si uxor 60. annos esset nata, aut etiam 50. et castitatem voveret, dicunt *Sanch. Bonac. Barb. Viva*, etc. etiamsi ipsa in sæculo remaneret, posset vir ingredi religionem, aut sacerdotio initiari (1). Si autem conjux qui in sæculo manet, nesciebat se in tali casu teneri ad vovendam castitatem, inquit *Sanch.* et alii contra *Anacletum* apud *Ferraris* (2), quòd etiam post datum consensum, revocare potest conjugem, qui jam professus est.

92. — IV. Justa etiam causa est divortii conjugis *sævitia*, *cap. Ex transmissa, de rest. spol.* et hoc licèt conjux justâ indignatione sit arreptus, nempe ob aliquod delictum ipsius, uti habetur ex *c. de Benedicto* 33. q. 1. Dicunt etiam *Sanch. Salm.* et alii communiter, sufficere ad divortium, si conjux malum grave timeret sibi, aut filiis, aut suis propinquis ab altero conjuge, aut ab ejus conjunctis; et pro malo gravi non tantùm intelliguntur minæ mortis, aut gravis vulneris, cùm conjux solet eas exequi, sed etiam convicia crebra, et gravia pro personæ qualitate, v. gr. si est nobilis (3). Quæritur autem an sola verbera sufficiant ad divortium? Dicunt communissimè *Pont. Ronc. Sanch. Silv. Arm.*, etc. licere viro aliquando uxorem verberare, modò id frequenter non faciat, nec severè; quare dicit *Sanch.* non posse uxorem separari, cùm verbera sunt levia (excipiunt *Salmant.* si uxor sit nobilis). Addunt *Ronc. Bonac. Castr.* cum eodem *Sanch.* licèt verberationes fuissent graves, sed semel illa sic vapulavit, nec timeretur probabiliter ne replicarentur (4). Advertendum tamen cum *Sanch. Salm. Castr. Anacl.*, etc. talem separationem ob *sævitiã* non posse fieri sine judicis auctoritate, nisi esset quòd damni periculum moram non pateretur, aut nisi quia conjux timens damnum non posset litigare, aut judicem adire, aut non posset faciliter probare periculum (5). V. Si alter conjugum adulteraretur, uti habetur ex *Matth. c. 5. v. 32. et 19. 9. Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, ... mæchatur*, et ex *c. Ex litteris*, et ex *c. Significasti, de divort.*

93. — Sed super hac V. causa adulterii plura notanda hic sunt. Notandum 1. ad faciendum divortium requiri adulterium perfectum cum effusione seminis, ut dicunt pro-

(1) *Lib. 6. n. 975.* — (2) *Ferrar. Bibl. v. Conjux, n. 25.* — (3) *Lib. 6. n. 970. et 971. v. Quær. 3* — (4) *Lib. 6. n. 972.* — (5) *n. 971.*

babiliter *Sanch. Fill. Bon. Salm. Escob. Led.*, etc. contra *Sot. Silv. Conc.*, etc., quia nomine fornicationis intelligitur consummata per seminationem, quâ fit carnis divisio (1). Et non sufficit de hoc aliquam habere probabilitatem, sed requiritur, ut talis adsit præsumptio, ut fundet moralem certitudinem, sicut communiter dicunt *Sotus, Sa, Viva*, cum *S. Bonav. S. Antonin. et S. Thoma* (2), ut esset, si testes asserant vidisse *solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentem*, sicut dicitur in *c Cæteris 12. de præsumpt.* Et præfatæ circumstantiæ intelliguntur conjunctæ (dùm non sufficit, ut sit inventus *solus cum sola*), ut dicunt *Sanchez et Navar.* Nec per se sufficiunt soli tactus, amplexus, et oscula, ut dicunt *Pont. Viva. Sanch. Palud. Barb. Nav. Castrop.* Contrâ dicunt idem *Sanch. Viva, Castrop.* cum aliis sufficere pro foro conscientiæ, si unus fidei integræ testetur adulterium, aut aliquod vehemens dat indicium. Et sufficit etiam (ut dicit *Castr. cum Menoch.*) epistola uxoris in qua confitetur suum adulterium. Et ita etiam puto sufficere, si aspiciatur solus cum sola in eodem lecto (3). An autem liceat facere divortium ob sodomiam aut bestialitatem à conjuge commissam? Negant *Innoc. Abul.*, etc.; quia hæc crimina non sunt fornicationes. Affirmant verò communiter *Sanchez, Sot. Castrop. Salm. Conc.*, etc., quia, ut ajunt, jam ille fidem conjugalem lædit carnem cum alio dividendo. Cæterum rectè ait *Pontius*, quòd hæc sententia, licèt sit communis, attamen ratione non probatur, quia semper responderi potest, quòd sine copula naturali caro non dividitur. (4).

94. — Notandum 1. quòd ratione adulterii non tenetur vir separari ab adultera, dumtaxat poterit ad id teneri, ut illa corrigatur, si alius non suppeteret modus, ut dicunt *S. Thomas* (5), *S. Bonav. Cajet. Salm.*, etc., sed modò (intelligitur) ex separatione grave non esset passurus incommodum, ut communiter dicunt *S. Antonin. Pont. Castr. Sot. Sanch. Salm. Bon.*, etc. (6). Potest teneri etiam, ut vitet scandalum, nempe ne videatur ipse peccato uxoris consentire, uti dicunt *S. Th.* loco cit., *Sanch. Pont. Salm.*, etc., et exprimitur *c. Si vir, de adult.* et *c. Non solum 6. caus. 28. q. 1.* Sed hoc intelligitur 1. ut dicunt *Pont. Sanch. Salm. S. Antonin.*, etc. si adulterium est publicum .2. Ut communiter dicunt *Laym. Bonac. Tolet. Caj.*,

(1) *N. 962. Quar. III.* — (2) *Iu. 4 D. 35. q. un. a. 3. ad 4.* — (3) *Lib. 6. n. 961.* — (4) *Lib. 6. n. 962.* — (5) *Suppl. q. 62 a. 2. ad 1.* — (6) *L. 6. n. 965.*

etc. si nullus alius subest modus, quo scandalum reparetur, et modò vir justam non habeat causam ne dividatur, ùt si ipse remaneret in periculo incontinentiæ, aut alterius damni gravis, aut si putaret quòd, si illam à se dimitteret, deterior fieret; undè concludit *S. Antonin. Ergò vir cum detrimento juris sui, et periculo, non tenetur (uxorem) expellere.* Imò probabiliter subjungunt *Castropal. Laym.*, etc. cum eodem *S. Antonin.* quòd si vir jam præbuerit sufficientia indicia, quòd ipse ægrè ferat mulieris adulterium, ad nihil aliud tenetur; quia tunc scandalum aliorum esset pharisaicum (1). Ita etiam uxor tenetur diverti à viro, cum hoc esset necessarium, non ut auferatur scandalum, quia nunquam supponitur uxor consentire viri adulterio, sed ut ipse resipiscat. Cæterum difficulter, dicunt *Suar. Castr. Salm.* et alii, mulier ad hoc tenebitur; etenim difficulter uxor potest cum fructu virum corripere, et ipsa rarissimè à viro discedere potest sine gravi incommodo; et ita pariter difficulter ob correctionem tenentur uxores negare debitum viris, ita *S. Antonin. Bonac. Sanch. Fill.* (2). Si autem conjux adulter esset jam emendatus, et esset in periculo incontinentiæ, congruens esset ut innocens sibi reconciliaret jam emendatum, si commodè potest, ut dicunt *Salm.* Sed ego non auderem illam obligare ad id sub gravi (utì volunt *Bus. Conc.*, etc), dum ex una parte Dominus jam eam liberavit à cohabitatione; et ex alia videtur charitas non obligare cum tanto onere ad vivendum cum eo qui sibi fidem fregit. Nec obstat quòd dicitur in *cap. Si quis, de adult.: Debet, sed non sæpè, recipere peccatricem*; dum rectè tò debet explicat *Glossa: Debet debito honestatis, non necessitatis* (3).

95. Notandum 3. in quatuor casibus non potest fieri divortium ab altero adultero, nempe 1. Si uterque sit adulterii reus. Est probabile tamen cum *Sanch. Coninch. Bon. Salmant. Viva*, etc. quòd emendatus possit diverti ab obfirmato in adulterio, licèt sententia opposita *Pontii, Dicast. Led. Hurtad.*, etc. etiam probabilis sit (4). 2. Si alter consentit adulterio alterius, utì habetur ex *c. Discretionem, de eo qui cogn*, etc.; sed non sufficit ad præsumendum talem consensum occasio, quam præbuisset vir uxori adulterandi, eam relinquendo. aut eam duriter habendo, sicut dicit textus; nec sufficit dissimulatio ejusdem, quòd ille non potuisset sine suo gravi incommodo

impedire uxoris delictum; ita communiter *Sanch. Bon. Coninch. Peyr. Salmant*, etc. ex *S. Thoma* (1). 3. Si uxor adulterata fuisset sine sua culpa, nimirum si vi oppressa fuisset (secus verò si consensisset metu gravi, ut advertit *Sanch.*), aut si adulterium evenisset ex errore inculpabili; ita communiter DD. cum *S. Thoma* (2). Dicit tamen *Dicast.* quòd si vir crederet uxorem jam mortuam, et aliam cognosceret, non potest eum uxor respuere; sed non è converso (3). 4. Si injuria jam remissa est sive ante, sive post divortium, ut præsumitur, si innocens conscius adulterii spontè coërit cum adultero, aut manet in eadem domo, mensa, et toro, maximè si accedant amplexus, tactus, et oscula; ita *S. Thoma* (4) *Sanch. Salm. Dicast. Trull.*, etc. Advertunt tamen *Sanch. Filliuc. Salm. Aver. Villal*, etc. quòd si reverà conjux per dictos actus non intendit remittere injuriam, in conscientia potest semper separari (5).

96. — Notandum 4. quòd licèt divortium factum sit ex judicis sententia, conjux innocens semper habet jus ad se revocandi adulterum, sicut docent communiter (contra *Sotum*) *Sanch. Silv. Sa, Cast. Pont. Bon. Salm. Gutt.*, etc. cum *S. Thoma* (6) qui dicit: *Cùm divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei jus petendi debitum vel revocandi uxorem; undè uxor tenetur ei reddere, et ad eum redire, si fuerit revocata.* Et ad hoc non opus est (ut rectè dicit *Sanch.*) novà judicis sententià. Cæterum scitè animadvertit *Castrop.* cum *Guttier*, quòd difficulter mulier adultera poterit obligari ad redeundum ad virum, quia semper potest rationabiliter timere periculum mortis aut ne crudeliter tractetur, nisi adsint argumenta probabilia in contrarium (7). Sed fit 4. dubium an, quando conjux innocens etiam ipse in adulterium laberetur, sed facto jam divortio per sententiam, teneatur redire ad adulteram quæ eum ad se revocat? Affirmant *Pont. S. Antonin. S. Bon. Conc. Sot.*, etc.; sed probabiliùs negant *Sanchez, Bon. Fill. Salm. Regin.* et alii cum *S. Thoma* (8). Ratio est, quia primus adulter ex sententia jam omninò spoliatus fuit omni jure super innocentem. In eo casu tamen dicit *S. Thomas* cum aliis communiter, quòd potest judex cogere secundum adulterum, ut iterum uniatur, ad hoc ut ita consulatur tum illius animæ, cum etiam scandalo

1) *Suppl. q. 62. a. 1.* — (2) *Ibid.* — (3) *Lib. 6. n. 966. v. Tertius.* — (4) *Suppl. qu. 62. a. 1.* — (5) *Lib. 6. cit. n. 966. Quartus.* — (6) *Suppl. q. 62. art. 6. ad 5.* — (7) *Lib. 6. n. 967.* — (8) *Suppl. qu. 62. art. 6. ad 4.*

aliorum (1). Fit 2. dubium an possit fieri divortium propria auctoritate innocentis? Tres adsunt sententiæ probabiles. *Prima* cum *Bellar. Aver. et Conc. cum S. Thoma* absolute negat. *Secunda* cum *Layman. Pont. S. Antonin. Salm*; etc. distinguit: affirmant si adulterium est notorium; sed negat si est occultum, quia tunc injustè patefieret infamia adulteri. *Tertia* cum *Sanch. Sot. Abb. Bon. Sa, Fill. Led. Reg.*, etc., absolute affirmat, sive adulterium sit publicum, sive occultum. Si est publicum probatur ex *cap. Ex parte 9. de spons.* ubi dicitur: *Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere.* Ergò licèt, si fornicatio est manifesta. Si autem est occultum, probatur ex *cap. Dicit Dominus 32. q. 1.* ubi hæc habentur: *ubicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio* (intelligitur suspicio illa vehemens quæ fundat certitudinem moralem, ut dictum est *n. 93. liberè dimittitur uxor.* Dicitur *liberè*, ergò non requiritur nec sententia, nec licentia; nam Dominus absolute concessit conjugi ab adultero diverti. Et hanc sententiam puto probabiliorem, saltem quando adulterium est ex parte uxoris; nam valde durum esset viro in iudicium adducere mulieris infidelitatem, quod esset sibi perpetuo probro. Quòd si fortè iudex eum obligaret ad cohabitandum, scitè ait *Bonac.* quòd tunc ille teneretur tantùm ad cohabitandum, sed non ad reddendum debitum (2).

67. — Denique notandum quòd factà separatione per sententiam, conjux innocens potest religionem ingredi, ut ex *cap. Agatosa 27. q. 2.* et potest etiam Sacris initiari, ut dicunt communiter DD.; contra adulter nequit fieri nec Religiosus nec sacerdos, nisi de alterius licentia, aut nisi alter jam statum ir retractabilem assumpsisset. Aliàs etiam religionem professus potest revocari ab innocente et teneretur redire. Dictum est, *nisi de licentia alterius*, sed sufficit etiam tacita, v. gr. si alter cognoscens adulterum vellet statum mutare, ipse, cum commodè possit, id facere illum non impedit. Et sufficit etiam, ut dicunt *Sanch. Coninch. Bon. Salm.* et alii ex *cap. Gaudemus, de convers. conjug* si alter requisitus, pro reconciliatione, negat; imò addunt *Pont. Sanch. Castrop.*, etc. sufficere, si adulter per biennium non sit revocatus, ut disponitur in *Auth. Sed hodie, c. ad 1. Jul. de adult.* (3). Notandum hìc tandem quòd facto iuridicè divortio, filii educandi sunt apud conjugem innocentem; et in quantum ad expensas,

(1) *Ltò. 6. n. 967.* Dubit. 2. — (2) *n. 968.* — (3) *n. 969.*

si divortium evenit patris culpâ, ejus expensis filii alendi sunt, ut exprimitur in *Auth. Si Pater, c. Divort. facto, etc.* Et idem currit si divortium factum sit matris culpâ, ut dicunt communiter *Laym. Castrop. Sanch. Silv. Pal.*, etc. contra pauciores. Advertit tamen *Sanh.* cum communi quod ut ad has expensas teneatur, requiritur judicis sententia (1).

TRACTATUS XIX.

DE CENSURIS, ET IRREGULARITATIBUS.

CAPUT I.

DE CENSURIS IN GENERE.

PUNCTUM I.

De censurarum emanatione.

Quid et quotuplex sit censura 1. *Quando dicitur latae, et quando ferendae sententiae* 2. *Quis potest ferre censuras? De censura metu inflictâ* 3. *Quid requiritur ut subditus censurâ feriatur, etc. An Episcopi, aut reges, etc. An communitas, etc.* 4. *An Prælati possit extra diœcesim existens censuras ferre in subditos, et quid si subditus fuerit extra diœcesim* 5. *An possit censurari peregrinus* 6. *Quale peccatum requiritur ut imponatur censura. De mandante, consulente, etc.* 7. *An excuset ignorantia et metus; et an censura potest imponi pro delictis præteritis* 8. *De solemnitate ad censurarum promulgationem requisita* 9. *Quid si causa est falsa aut dubia* 10.

1. — CENSURA definitur: *Est pœna spiritualis et medicinalis, quâ delinquenti et contumaci aufertur usus quorundam spiritualium bonorum.* Censura trifariam dividitur. I. In excommunicationem, suspensionem, et interdictum. II In inflictam à jure, nempe à lege generali permanente, et in eam quæ est ab homine, nempe à prælato per sententiam generalem (sive statutum) in eos qui aliquod committunt delictum. Sententia generalis, sive statutum respicit locum et peccata futura; quare si subditus extra lo-

cum illum delinquit, non incurrit censuram *cap. Ut animarum 2. de Constit. in 6.* ubi sic dicitur: *Statuto Episcopi... subditi qui furtum extra ipsius diœcesim committunt, minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.* Sententia autem particularis emanari solet ob præterita delicta, et in personas determinatas; ideòque hæc, cum afficiat personam, bene potest ferri in subditum etiam exemptum, citando eum per Edictum. III. In eam quæ dicitur *latæ sententiæ*, quæ statim incurritur; et *ferendæ sententiæ*, quæ non incurritur, nisi post sententiam (1).

2. — Ad dignoscendum quandenam censura est *latæ*, et quando *ferendæ sententiæ*, dicunt DD. quòd, cum verba includunt actionem ab altero faciendam, sunt *ferendæ*: quando aliter, sunt *latæ*; undè dicunt esse *latæ sententiæ*, quando dicitur: *Ipsò jure. ipso facto, aut sine alia sententia*; aut si verba sint præteriti aut præsentis temporis, v. gr. *excommunicamus, excommunicatus est, excommunicantur, jubemus esse excommunicatum, etc.* Contrà sunt *ferendæ sententiæ*, si verba sunt de tempore futuro, *excommunicabitur*, aut si sunt comminativæ, *sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis* (modò ex contextu aliorum verborum oppositum non arguatur): item si dicitur: *volumus excommunicari, aut excommunicetur*; hoc tamen intelligi debet, quando à jure imponitur Episcopo præceptum excommunicandi; sed quando absolutè dicitur, *excommunicetur, suspendatur, etc.*, intelligitur *latæ sententiæ*; ut communiter dicunt *Bonac. Silvest. Suar. Vasq. etc.* (2). Cum autem dicitur *excommunicatus, aut anathema sit*, volunt *Suar. et Tournely* esse *latæ sententiæ*; sed *Sanch. Laym. Dicast.* volunt esse *ferendæ*, modò non sit adversus aliquem errorem hæresis; utraque sententia est probabilis (3). Si autem dicatur: *maneant excommunicatus, aut suspensus*, volunt *Nav. Silv. Henriq., etc.* neutram incurri censuram; sed *Sayrus, Bon. Salm. Con., etc.* tenent tunc dari optionem reo ad eligendam quam malit (4).

3. — Quæritur I. quis ferre potest censuras? Resp. Papa, Episcopi, et etiam eorum Vicarii, ut rectè dicunt *Busemb. Fagnan. Suar. Sanch. Tournely, etc.* contra *Sayrum, etc.* Vicarii capitulares, Concilia provincialia, Prælati regulares, et eorum capitula, et cæteri omnes quibus concessa est facultas, sed non parochi, et tantò minùs laïci, et

(1) *Lib. 7. a. n. 1. ad 6. — (2) n. 7. et 8. — (3) n. 8. in fin. — (4) n. 62.*

mulieres, licèt sint Abbatissæ; nam illæ non sunt capaces jurisdictionis ecclesiasticæ (1). Quare qui censuram ferre potest, saltem sit tonsuratus, et habeat jurisdictionem expeditam, quoad usum; adeòque Episcopus excommunicatus, suspensus, hæreticus, aut schismaticus non potest ligare aliquem censurâ, *c. Exceptionem, de except.*; nec ejus Vicarius, *c. 1. de Offic. Vicar. in 6.*; sed excommunicatus, aut hæreticus occultus validè (licèt illicitè) censuras fert, ut communiter *Suar. Sot. Salm., etc.*; imò id ipsum dicunt *Bonac. Dian. Avil., etc.* de publico excommunicato, si nominatim non est denunciatus (2). Hic notandum censuram ex coactione, sive metu gravi esse validam; ita *Suar. Bon. Castr. Tour. Salm., etc.* contra alios; sicut contrà invalida est absolutio metu injusto extorta, *ex cap. Verbum, de Pœnitent.* (3).

4. — Quæritur 2. quid requiritur ut quis censurâ ligari possit? Requiritur 1. ut sit baptizatus 2. Ut usu rationis polleat: advertendum tamen hic censuras latas à jure, aut ab homine sententiâ generali non incurri ab impuberibus, nisi expressum sit in lege, ut est expressum de pueris, qui monasteria Monialium ingrediuntur, *Trid. sess. 25. c. 5.* aut qui percutiunt Clericos *c. Pueris fin. de sent. excom.* (4). 3. Ut sit subditus, undè probabiliùs cum *Lugo*, et aliis, ut dictum est *Tract. XVI. n. 138.* Episcopus non potest ferre censuras in peregrinos, si ille iterùm post monitionem non deliquerit. Item notandum Episcopos non incurrere censuras, nisi sint speciatim nominati; *c. Quia periculosum, de sent. excom. in 6.*; sed hoc communiter dicunt intelligi de suspensione, et interdicto, quia de ipsis tantum fit mentio in textu (5). Reges et reginæ tantùm à Papa possunt censurari, ut etiam communiter *DD.* (6) 4. Ut feratur in personam determinatam; hoc intelligitur tantùm de excommunicatione, quia tota communitas potest quidem suspensioni, aut interdicto subjici; non autem excommunicationi, ut communiter *Castr. Bon. Salm., etc.* cum *S. Thoma* (7); imò neque excommunicari potest per modum sententiæ aliquis incertus alicujus communitatis, loquendo de delicto jam patrato, *Ronc. Salm., etc.*; sed si prohibetur aliquod delictum in futurum sub pœna excommunicationis, certum est omnes delinquentes illam incurrere (8). Advertendum hic, quòd si Papa reperiret omnes communitatis reos,

(1) *Lib. 7. n. 9. 10. et 11.* — (2) *n. 12. et v. Requirit. V.* — (3) *Ibid. Requirit. VI.* — (4) *n. 15. ad 15.* — (5) *n. 15.* — (6) *n. 16.* — (7) *Suppl. q. 22. art. 5. ad 2.* — (8) *Lib. 7. n. 18.*

utique posset illos excommunicare; sed si hoc faceret Prælati, esset illicitum; *c. Romana, de sent. excom. in 6.*, sed non invalidum, ut dicunt *Avila, Ledesma, Salm.*, etc. Et *Hostiens. Jo. Monac. Archid. et Franciscus Philippus Probus, Felin. cum Ricc. et Rota* (apud *Fagn. in 2. part. V. lib. Decretal. c. Responso, de sent. excom. ex n. 93. et seqq.*) dicunt etiam hoc esse irritum, dum in cit. *c. Romana* dicitur: *Omninò prohibemus*, ac si dixisset auferimus potestatem ita excommunicandi: et *Fagn.* ipse, qui priori sententiæ adhæret, dicit ideò primam sequendam esse, quia cum hæc sit probabilis, tenenda est uti tutior. Quare Episcopus debet quemlibet reum nominatim excommunicare (1).

5. — Prælati regularis potest censurâ ligare suos subditos ubicumque isti reperiantur. *Suar. Avila, Tourn. Croix, Salm.*, etc. commun.; sed Episcopus non potest censuram ferre, dum extra diœcesim moratur, ex *Clement. Quamvis, de foro comp.* Excepto si subditi contumacia sit adeò manifesta, ut non indigeat cognitione causæ, *can. Manifesta 2. q. 1.* Excipitur etiam, si censura lata sit per modum præcepti, aut statuti, ad evitanda delicta communia (2). Contrâ Episcopus in diœcesi existens rectè potest per sententiam subditum alibi morantem censurâ ligare, ut dicunt communiter *Bon. Coninch. Tourn. Conc. Dian. Salm.*, etc. contra *Pontium*, etc.; et tunc pro citatione satis erit (ut dicunt *Salm.*) si citetur aut domi, aut in loco publico proprii territorii per *Edictum*, ut s'atuit *Trid.*; sed hoc intelligitur tantum pro delictis in proprio territorio, non autem extra illud, patris, ut dicunt *Suar. Bonac. Salm.* etc. (contra *Sayr.*, etc.) ex *c. 2. de Const. in 6.* (3). Quòd si ab Episcopo lata censura fuerit in aliquem per præceptum particulare, v. g. si tale crimen committet, probabilius est eam incurrere delinquentem, licet extra diœcesim deliquerit, quia præceptum afficit personam, ideòque eam ligat ubicumque reperiat, ad differentiam statuti, quòd afficit locum; ita probabiliter *Suar. Laym. Bonac. Croix, Spor.* contra *Tourn. Ronc. Avil. Holzm.*, etc. quorum sententiâ etiam est probabilis (4).

6. — Episcopus utique potest ligare censurâ peregrinum in diœcesi sua delinquentem, *cap. fin. de foro comp.*; semper tamen hoc intelligitur, modò reus sit factus contumax, ut dictum fuit *Tract. XVI. n. 138. in fin.*, et modò Episcopus citaverit reum antequam hic profectus sit ab

ejus territorio (1). Peregrinus modò alicubi moretur animo per majorem anni partem ibi morandi, incurrit censuram per modum statuti generalis latam pro futuris criminibus, v. g. adversùs furantes in ecclesia; secùs verò, si peregrè ibi moratur, aut si censura est per modum præcepti in casu particulari, putà adversùs non revelantes latrones: ita *Suar. Silv. Sayr. Salm. etc.* (2).

7. — Quæritur 3. quænam requiruntur ad incurrendam censuram gravem, putà excommunicationem majorem, aut suspensionem ab omni usu, et ad longum tempus? Requiritur 1. peccatum grave, nempe quòd materia importet culpam gravem (3). Sed in dubio gravitatis materiæ obligat præceptum Superioris, quia in dubio possidet potestas ejus, ut rectè dicunt *Salm. et Cornejo* (4) Et cum præceptum est impositum sub censura *late sententiæ* jam obligat sub gravi, licèt materia non esset ex se gravis, sed esset talis, ut valdè conduceret ad finem intentum. Secùs autem si materia non esset de se gravis, et censura esset *ferendæ sententiæ*; ita *Sot Avil. Ronc. Salm., etc.* (5). 2. Requiritur actus externus, qui posset ab aliis externè cognosci; unde si quis diceret, *ita est*, intelligendo ita hæresim confirmare, non incurrit excommunicationem, ut comm. dicunt *Suar. Tourn. Conin. Sayr. Salm.* Et debet item esse graviter externus, proinde non est excommunicatus, qui leviter percutit clericum, licèt illi sit animus eum occidendi: ita iidem AA. (6). 3. Requiritur actus peccati consummatus, nisi aliter lex exprimat: ita etiam communiter *Sanch Suar. Castr. Bonac. Salm. Bon. Bus, etc.* (7). Sed hic quæritur 1. an censura imposita mandantibus aut consilium dantibus aliquod crimen committi, incurritur ab ipsis, quando crimen non est in effectum perductum? Resp. quòd si censura principaliter sit lata in eos, utique incurritur quoties mandatum, aut consilium est jam ab ipsis præstitum; secùs si censura est imposita ob delictum quod principaliter est vetitum, licèt à mandato sit proveniens; quare non incurrit mandans percussionem clerici, si illa non evenit, *Bonac. Bus. Salm. Croix, etc.*, et ita pariter excusant *Nav. Salm. Croix, etc.* eum qui dedit mandatum aut consilium ei, qui jam paratus erat delicto patrando (8). Quæritur 2. an incurrat censuram qui dubitat an suum mandatum aut consilium influxum dederit? Negant *Salm.* et alii, quia pœna non in-

1. N. 26 — 2 n. 27. — 3 n. 29. ad 51. — 4 n. 52. — 5 n. 53 — 6 Lib. 7. n. 54. — 7 n. 56. — 8 n. 57. et 58.

curritur, nisi constet de delicto, et de effectu secuto: sed affirmant *Sanch. Croix, Dicast.*, etc., quia in dubio possidet delictum. Utraque sententia est probabilis, juxta dicta *Tom. I. Tr. X. n. 45.* (1). Quæritur 3. an incurrat censuram consilium dans, cum consilium revocat, antequam executioni detur? Affirmant *Navar. Bonac.*, etc. cum *P. Concina*, qui cæteroquin oppositum docuit circa restitutionem, uti vidimus in dicto *Tom. I. Tr. X. n. 48.* ubi nos dissensimus à *P. Concina*; sed hîc etiam ab eo dissentimus cum *Suar. Castr. Laym. Avil. Salm. Viva*, et aliis communius, quia Ecclesia non potest ligare censuris, nisi contumaces usque ad criminis executionem (2), ut in simili dicemus de irregularitate, an incurrat qui propinat venenum clerico.

8. — Requiritur 4. ad incurrendam censuram contumacia, quæ importat contemptum censuræ. Et ex hoc 1. infertur quòd ad incurrendas censuras non sufficit scientia legis ecclesiasticæ (et etiamsi delictum sit prohibitum lege divinâ), sed requiritur ampliùs scientia ipsius censuræ; quare communiter dicunt *Suar. Cajet. Castr. Fill. Bonac.* et alii, excusare à censura ignorantiam, non solùm antecedentem, sed etiam concomitantem: *concomitans* esset si quis occideret clericum ignorans esse clericum; sed eo animo paratus, quòd si scivisset etiam occidisset (3). Excusat etiam ignorantia crassa, cum censura est lata in *audentes*, aut *præsumentes*, aut *consultò*, aut *temerè peccantes*; ita *Sanchez, Escob.*, etc. Imò tunc admittunt *Bon. Roncag. Sanch. Salm. Silv.*, etc. (contra sententiam *Suar. Castr. Tourn Conc.*, etc. quæ cæteroquin est communior) quòd excuset etiam ignorantia affectata: et reapse id nequit dici improbable, quia in ipsa (loquendo in rigore) non adest dolus formalis, qui inducit verum contemptum censuræ (4). Infertur 2. valdè probabiliter cum *Suar. Castr. Bon. Salm. Coninc.*, etc. quòd metus gravis etiam excuset a censura, licèt crimen super quòd inflictum est, sit vetitum lege divinâ (modò non peccetur in contemptum legis): nam metus excusat à lege humana, uti humana accepta. Infertur 3. quòd censura, licèt possit ferri ob crimina futura, ut communiter et valdè probabiliter dicunt *Laym. Coninc. Abbas, Spor. Viva*, etc. (adversus *Tourn.*) et uti jam practicatur ad ea vitanda; nihilominus non potest imponi ob peccata merè præterita, et quæ non habent tractum successivum, ubi non præcesserit rei

admonitio : quia aliàs deest contumacia. Hoc tamen intelligitur tantùm pro excommunicatione, dùm suspensio et interdictum possunt infligi pro delictis præteritis per modum puræ pœnæ, ut dicunt *Castr. Bon. Salm. Coninch.*, etc. (1). 4. Infertur necessariam esse monitionem canonicam, cum intervallo sex dierum, ad minùs, nisi adsit justa causa tempus abbreviandi. Hoc intelligitur pro licitudine, quia pro validitate censuræ sufficit ut intercesserit monitio; ideòque aliquando sufficit una. Item intelligitur pro censuris ab homine per sententiam particularem, nam pro aliis a jure latæ sententiæ eadem lex est ac illa quæ monet, sicut probabiliùs dicunt *Bon. Sanch. Filliuc. Boss. Avil.* (contra *Suar. Castr. Laym. et Salm.*); et idem valet pro censuris ferendæ sententiæ, quia in illis jam habetur monitio, et contumacia; modò reus sit citatus ante censuræ declarationem quando delictum non est omninò notorium, ut rectè advertunt *Tol. Bon.* et alii (2).

9. — Ad hoc autem, ut licitè feratur censura, debet iudex eam scripto ferre, adnotatis ibi distinctè personâ, censurâ, et causâ in specie, exhibitâ copiâ censurando, si fortè ille eam exquisiverit. Dictum est *licitè*, quia si feratur, posthabitis solemnitatibus, censura erit valida, sed iudex peccati gravis fiet reus, ac erit per mensem suspensus à Divinis, et ab ingressu ecclesiæ, *c. Cùm medicinalis 1. de sent. excom. in 6.* Hoc tamen intelligitur de censuris latis per modum sententiæ præviâ citatione, et causâ cognitâ; secùs autem de aliis, quæ feruntur per leges naturales, aut etiam per præceptum particulare, minando alicui, v. g. si aliquid tale agat. Item non comprehenduntur in hoc iudices illi qui, aliquâ urgente causâ, et dilationem non patiente, præfatas solemnitates omitterent, aut si id facerent ex ignorantia licèt culpabili; dùm in textu dicitur: *Si quis temerarius*, temeritas scientiam supponit (3). Item sententia censuræ non est ferenda die festo, nisi contumacia esset adeò evidens, ut cognitione causæ opus non esset, *cap. Evidentia, de accusat* (4).

10. — Notandum denique quòd si quis reapsè esset innocens, sed contrà ex probatis justè esset censuratus, hic licèt in conscientia non ligaretur censurâ, nec fieret irregularis administrando in *Sacris*, attamen in externo se gerere debet tamquam censuratum, ad evitandum scandalum; ita communiter *Suar. Castr. Coninch. Salm. et Croix.* Et idem est, cùm certè est censura contracta, et dubitatur

(1) N. 51. et seqq. — (2) Lib. 7. n. 55. et 56. — (3) n. 59. ad 61. — (4) n. 65.

de justitia illius, aut de absoluteione ab illa, quia tunc possidet potestas judicis, undè reus se tenere debet uti censuratum, ut commun. *Castr. Croix, Suar. Salm. Sanch.*, etc. (1); secùs autem, cùm dubitatur an incurrerit nec ne censuram, sive dubium sit *facti*, v. g. utrùm percussio fuerit nec ne graviter injuriosa clerico; sive *juris*, v. g. utrùm censura sit *latee* aut *ferendæ* sententiæ; ita pariter commun. *Sanch. Bon. Holzm. Ronc. Salmant. ex S. Thoma* (2). Sed si judex decerneret, v. g. aliquam solutionem sub pœna censuræ, reus licèt pro se haberet probabilem opinionem se non teneri, tenetur tamen intra tempus à judice præscriptum (aut prorogatum à creditore, qui alioquin, juxta quod probabiliùs docent *Suar. Castr. Tourn. Coninch.*, etc. (3), potest semper prorogare terminum). At si postea certus fieret de sua justitia, tunc non tenetur nec ad solutionem, nec ad observandam censuram, ut dicunt *Avila*, et *Salm.*; peccaret tamen (ut dictum est) in publico, non remoto scandalo, si censuræ non pateret (4).

PUNCTUM II.

De absoluteione à censuris.

Qui potest absolvere à censuris 11. De [censuris per sententiam generalem. An Episcopus existens extrà, etc. Alia notabilia 12. An requiratur formula, et an præsentia censurati, etc. De absoluteione conditionata, et an extra confessionem, etc. 13. De requisitis ad absoluteionem 14.

II. — Si censura lata est per modum sententiæ particularis, plerùmque ille tantùm potest absolvere, qui eam tulit, aut ejus Superior, aut successor, aut delegatus. Sed si imposita est à jure communi, tunc ab illa potest absolvere quilibet confessarius, uti commun. *Tournely, Sot. Coninch. Castr. Conc. Ronc. Salm.*, etc. cum *S. Thom.* (5). Et hoc habetur ex *c. Nuper* 39. de *sent. excomm.* ubi, cùm sermo fiat de excommunicatione non reservata (et idem intelligitur comm. a DD. de suspensione, et interdicto personali, *Castrop. Sot. Vasq. et Salm.* cum *S. Thoma*), dicitur à suo Episcopo, vel à proprio sacerdote poterit absoluteionis beneficium obtineri. Sub nomine à proprio sacerdote venit quivis confessarius approbatus, juxta sententiam communem (6), et uti ostensum est *Tract. XVI. n. 86. et 96. in fin.* Dictum est *approbatus*, quia simplices sa-

(1) N. 66. — (2) n. 67. — (3) *Lib. 7. n. 64.* — (4) n. 68. — (5) *Suppl. q. 24. art. 1.* — (6) *Lib. n. 69. et 70.*

cerdotes ne possunt quidem ab excommunicatione minorⁱ absolvere, quicquid aliqui dicant (1). Sed hìc notanda sunt multa.

12. — Notandum I. hujusmodi absolutionem valere pro foro tam interno, quam externo, undè dicunt *Roncaglia*, *Conin. Castrop. Suar. Spor. Salm.*, etc. posse dari absolutionem etiam extra confessionem (2). Notandum 2. quemlibet confessarium posse pariter absolvere ab omnibus censuris latis ab homine per sententiam, non jam particularem, sed generalem: quia illæ æquiparantur censuris latis à jure, ut probabilius dicunt *Castrop. Ronc. Laym. Conc. Salm. Holzm. Coninc. Bon. Croix*, etc. communissimè contra *Suar.* et *Filliuc.* (3). Notandum 3. Episcopum, extra dioccesim licèt moretur, posse absolvere subditum à censuris, cum causæ cognitione opus non est; *Silv. Salm. Avil.* etc., secùs; si quis extra dioccesim delinquit, et per sententiam particularem excommunicatus est ab Episcopo illius loci; tunc enim non potest à proprio Episcopo absolvi, nisi de Episcopi licentia; *Coninch. Turrian. Diana, Salm.* etc. (4). Notandum 4. quòd qui facultatem habet absolvendi à casibus papalibus, non ideò potest absolvere à casibus *Bullæ Cænæ*; *Bon. Dian. Buss.* (5). Ita pariter qui potest absolvere à censuris *Bullæ Cænæ*, non ideò potest absolvere ab hæresi, ut declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, data 25. Nov. 1749. n. LIII. (6); ita pariter facultas data ab Episcopo pro reservatis non intelligitur pro illis quibus annexa est censura reservata, ut ait *Tamb.*; secùs autem si concessio est facta à Papa, dum casus papales plerùmque sunt reservati cum censura et propter censuram; *La-Croix*, etc. Et ita pariter facultas concessa in jubilæo absolvendi ab omnibus censuris reservatis, intelliguntur ex communi usu etiam reservatæ ab Episcopis (7).

13. — Notandum 5. ad absolvendum à censura in foro interno non requiri verborum determinatam formulam, sed sufficere quodlibet externum signum (cum cæteroquin satis non sit sola voluntas); *Suar. Castrop. Salm.* etc. (8). Non requiritur præsentia censurati, quia certè etiam absens absolvi potest, ut habetur ex *c. De manifesta 2. q. 1.*; Sed notant *Sanch. Salm.*, etc., hoc non esse faciendum, nisi ex urgente causa; et si absolutio obtinetur per procuratorem, hic speciale debet habere censurati mandatum ad absolutionem obtinendam. Potest absolvi etiam invi-

(1) *Ibid.* et 71 — (2) *Cit. n. 70. in fn.* — (3) *Lib. 7. n. 72.* — (4) *Ibid. ad. 1. et Notand. II. — 5) n. 110. — 6) n. 115 — 7) n. 111. — 8) n. 116.*

tus, sed communiter hoc non licèt (1). Notandum 6. absolutionem metu gravi, et injusto extortam irritam esse, et metum incutientem novâ excommunicatione ligari, *c. un. de His quæ vi, etc.* (2). Notandum 7. absolutionem datam, non satisfactâ parte, si ab Ordinario concessa est, esse validam, licèt certè illicitam, ùt dictum fuit *Tract. XVI. n. 71.*; sed si est data à delegato, ùt probabilius dicunt *Suar. Spor. Vasq., etc.*, est etiam invalida, si in delegatione apposita est clausula *satisfactâ parte*; licèt opinio opposita *Sanch. Castrop. Bonac. Ronc. Salm.* etiam sit probabilis, quoties in concessione non exprimitur clausula irritans absolutionem (3). Notandum 8. valere absolutionem conditionatam de futuro, sed illicitam justâ causâ non existente; *Suar. Coninch. Salmant. Ronc., etc.*, et tunc, conditione verificatâ, censura aufertur (4). Contrâ licèt datur absolutio cum *reincidentia*, nempe quòd si absolutus intra tempus præfixum suæ obligationi non satisfaciat, in eandem censuram reincidentat, sed tunc juxta probabiliorē sententiam *Laym. Coninc. Castr. Ronc. Tourn. Salm., etc.*, contra *Suarez, Bon., etc.* requiritur nova culpa, quâ deficiente, non potest renasci illa censura quæ semel sublata est, nam non possunt censuræ sine Pontificis auctoritate suspendi. Et idem dicunt *Laym. Coninc. Salmant., etc.* tenendum esse quando Papa absolvit *ad omnem effectum*, licèt cum *reincidentia* (5). Notandum 9. probabile esse cum *Sanch. Coninc. Salmant. Ugolin. Buss. etc.*, contra *Suar. et Navarr.* quòd qui facultatem habet absolvendi à censuris in foro conscientiæ, potest absolvere etiam extra confessionem (6). Sed excipiendi sunt casus papales occulti qui ab Episcopis non possunt absolvi, nisi in confessione, juxta Declarationem Gregorii XIII. ùt dicitur *Tom. III. Tract. XX. n. 32.*

14. — Notanda denique sunt requisita ad absolutionem. Hæc sunt I. satisfactio præcedens parti offensæ, nisi illa remiserit, aut justam recusaret satisfactionem, aut nisi reus esset impotens; quòd si tunc sine gravi incommodo satisfacere nequiret, sufficet cautionem præstare si potest, aut saltem juramentum satisfaciendi, *cap. Odoardus, de Solut. et cap. 23. de verb. sign.* modò, intelligitur, creditor idem incommodum non paleretur; *Navar. Coninc. Salm. etc.* (7) II. Juramentum de non reincidento in idem crimen, *cap. De cætero, et c. Ex tenore, de sent. excomm.*; sed

(1) *Lib. 7. n. 117.* — (2) *n. 119.* — (3) *n. 120. et 121.* — (4) *n. 125.* — (5) *n. 125.* — (6) — *n. 126.* 7) *Lib. 7. n. 127. et 128.*

hoc intelligitur quando delictum est enorme, ut percussio clerici, usura publicè exercita; ita communiter *Suar Cast. Conin. etc.* (1). III. Petitio absolutionis, *c. Per tuas, de sent. excomm.*; licèt dicat *S. Thomas* (2), quem secuti sunt *Castrop. Coninch. Salm. etc.*, quòd si reus jam emendatus fuisset, confessarius potest eum adsolvere, etiam licèt invitum, cùm privilegium est concessum confessario non pœnitenti, cùm textus non dicit *non potest*, sed tantum *non debet*. An si pœnitens, contingente casu quòd confitetur habenti facultatem, obliviscatur se accusare de reservato, remanet ab eò absolutus? communissima est sententia affirmativa; nihilominus mihi probabilior videtur opposita, ut diximus *Tract. 16. num. 140. (3)*. Quòd si absolutio data fuisset ex causa falsa, tunc videndum est an talis causa sit principalis, quia si esset principalis, irrita esset, modò judex non esset certè conscius falsitatis; ita communiter *Suar. Bon. Tournel. Castrop. Sayr. Salmant. Avila, etc.* (4).

CAPUT II.

DE CENSURIS IN SPECIE.

PUNCTUM I.

De excommunicatione majore.

De communicatione cum toleratis, et vitandis 15. Cum percussoribus clericorum 16. De effectibus excom. maj. I. Privat usu passivo Sacramentorum 17. II. De suffragiis, etc., et an possit orari, etc. III. De usu activo Sacramentorum. IV. De usu divinatorum officiorum, de Sacramentalibus, etc. 18. V. De beneficiis, de dignitatibus, et pensionibus 19. VI. De communicatione jorensi. VII. De jurisdictione. VIII. De sepultura IX. De communicatione civili (de qua in puncto sequenti) 20.

15. — EXCOMMUNICATIO, generaliter loquendo, definitur: *Censura quâ quis privatur communionem Ecclesiæ.* Sed hîc distinguere oportet excommunicationem minorem à majore; minor (de qua loquemur in puncto II.) privat tantum communionem passivam, sive susceptionem Sacramentorum; major (de qua hîc est sermo, et de qua intelligitur cùm absolutè fit mentio excommunicationis) privat etiam activam, et omni genere communicationis, spiritua-

(1) N. 129. — (2) *Suppl. qu. 24. art. 2.* — (3) *Lib. 7. n. 130. et 131.* — (4) n. 152.

lis et temporalis. Excommunicati autem excommunicatione majori alii dicuntur *tolerati*, alii *vitandi*; sciendum tamen est, quòd antiquitus omnes excommunicati erant vitandi, sed Concilium Constant. declaravit nominatim excommunicatos et denunciatos, et publicos percussores clericorum aut Regularium vitandos dumtaxat habendos esse, non verò alios (1). Igitur non adest obligatio vitandi excommunicatos etiam notorios, licèt hæreticos, nisi isti sint nominatim excommunicati, expressis nomine et circumstantiis personæ, atque ampliùs nisi sint publicè denunciati, nempe declarati excommunicati, in loco publico, aut scripto aut voce. Sed advertendum est quòd Concilium declaravit hâc ratione velle prospicere tantùm bono fidelium, non autem excommunicatorum; undè isti semper peccant cùm communicant cum aliis, tam in *divinis*, quàm in *civilibus*. Alii autem non peccant communicando cum toleratis etiam in *divinis*. Et licèt aliqui dicant peccatum esse communicare cum toleratis sine causa, saltem quia (ut dicunt aliqui) inducitur tunc excommunicatus ad actum illicitum; alii tamen comuniùs cum *Sanch. Bon. Castrop. Sot. Sayr. Cornejo, Hurtad. Salmant.* etc., et valdè probabiliùs dicunt licere communicare cum illis incifferenter: quia cùm toleratus est requisitus à fidelibus ad communicandum, v. gr. ad ministranda eis Sacramenta, nec ille quidem peccat: nam si peccaret, esset inutilis, aut saltem non esset generalis illa licentia data fidelibus, ut possint cum ipsis communicare, dùm saltem indirectè ratione charitatis esset aliis vetita illa communicatio. Undè fit quòd Concilium dando universè facultatem fidelibus communicandi cum toleratis, indirectè concedit etiam toleratis potestatem communicandi cum aliis, cùm ab ipsis requisiti sunt (2). Et quod dicitur de excommunicatis, idem dicitur à comuni DD. de suspensis, et interdictis non vitandis, cùm Concilium loquitur de omni censura. Et idem dicit *Avila* etiam de irregularibus, qui si denunciati non sunt, non sunt vitandi (3).

16. — Percussores autem clericorum ut sint vitandi, debent esse publici, et notorii, adeò ut, dicit Concil. Constant... *sententiam latam à Canone adeò notoriè constiterit* (eos) *incurrisse, quòd factum non possit aliquâ tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari* (4). Itaque requiritur notorietas facti, nempe quòd percussio sit nota ma-

(1) *Lib. 7. n. 153. et 155.* — (2) *Lib. 7. n. 159.* — (3) *n. 140.* — (4) *n. 155.*

jori parti regionis vel viciniæ, aut monasterii, ubi factum accidit, aut magno numero personarum, si regio est magna; cùm cæteroquin ad hoc sufficiat, ut dicunt *Castr. Bonac. Salm. Sayr.* etc., fama communis quæ ortum habuit à personis fide dignis; modò (ut advertunt *Viva, Avila, et Dicastillus*) fama non sit tantùm de percussione, sed de percussione publicè patrata. Adeò ut, cùm delictum est occultum, non tenetur ad vitandum percussorem qui scientiâ privatâ id cognoscit. Quæritur autem, an præter notorietatem facti requiratur etiam notorietas juris? Et est probabile eam requiri cum *Pignatel. Covar. Avil. Ronc. Salmantic. Viva,* etc., dùm Concilium dicit, ad vitandum percussorem omninò requiri certitudinem, non tantùm quòd ille clericum percussit, sed etiam quòd excommunicationem incurrit, ita ut *factum non possit aliquâ tergiversatione celari*: et insuper, *nec aliquo suffragio excusari*. Hinc fit quòd cùm reus non est confessus in judicio, aut non est condemnatus, aut saltem crimen non est probatum, rarò accidet quòd sit vitandus; quia communiter loquendo quasi semper ille se defendere potest non incurrisse censuram, asserendo v. gr. aut se ad suî defensionem percussisse, aut tunc suî compotem non fuisse, etc.; ita ut possit aliquo suffragio excusari (1). Si quis autem est publicus percussor, aut excommunicatus denunciatus alicubi, non est vitandus alibi, ubi est occultus (modò eò notitia brevì non perventura sit), ut probabiliùs dicunt *Castrop. Sanch. et Salm.* contra alios; quia reverà factum publicum in una regione, in alia, ubi non est notum, scandalo non est, quod præcipuè voluit Concilium vitari (2).

17. — Effectus excommunicationis majoris, alii sunt remoti et alii proximi. Remoti sunt duo: 1. irregularitas, quam incurrit excommunicatus si actum Ordinis sacri exercet: 2. est quòd si excommunicatus per annum pertinaciter in excommunicatione, aut alia censura perdurat, fit suspectus de hæresi, et ut talis debet privari beneficiis: ita communiter doctores ex Trident. *sess. 25. cap. 3. de reform.* (3). Effectus autem proximi sunt novem, et 1. excommunicatio privat usu passivo, nempe potentiâ Sacramenta suscipiendi: modò non excuset timor gravis damni, et non sit in contemptum censuræ, communiter *Bonac. Laym. Fill. Salm.,* etc. (4). Communissima autem est sententiâ, et est verior cum *Cajet. Castrop. Bon. Coninc.*

(1) *Lib. 7. n. 144. ad 144.* — (2) *n. 145.* — (3) *n. 157.* — (4) *n. 158.*

Salm. Croix, etc. contra aliquos, validè posse absolvi sacramentaliter antequam absolvatur à censura, cum omnia requisita concurrunt (1). Hic notandum quòd minister conferens Sacramentum excommunicato tolerato, peccaret contra jus divinum, ministrando Sacramentum indigno, non autem contra Ecclesiæ præceptum juxta dicta *num.* 15, cum per se licitum sit communicare cum toleratis etiam in Divinis. Ex quo probabiliter infertur licere ministrare Sacramentum excommunicato, quando iste esset in bona fide. Idem dicunt *Suar. Navar. Castr. Bon. Salm. Croix, Coninch.*, etc. quòd in dubio an quis nec ne sit absolutus ab excommunicatione, potes illi Sacramentum ministrari si petat; maximè si affirmat se fuisse absolutum, quia in dubio nemo præsumitur mendax (2).

18. — II. Privat posse lucrari indulgentias, participatione suffragiorum communium, et orationum publicarum Ecclesiæ, sed non privatarum: hinc potest orari privatim pro excommunicato, etiam à sacerdote in Missa, modò iste oret, non tanquam Ecclesiæ minister, sed ut persona privata; *S. Thomas* et alii communiter (3). Quæritur an possit orari nomine Ecclesiæ pro toleratis? Negant *Bellarm. Suar.*, etc.; sed affirmant *Nav. Castrop. Salmant. Conc.*, etc. ex concessione facta à Concil. Constant. ut indistinctè communicari possit cum toleratis. Utraque sententia est probabilis (4). Contrà non puto probabilem opinionem aliquorum quòd possit publicè orari pro vitandis qui sunt in statu gratiæ, cum per ipsos non stet, quominùs absolvantur (5). III. Privat usu activo Sacramentorum, sive administratione eorum. Hoc intelligitur de administratione licita, nam de valida certum est excommunicatum validè administrare Sacramenta, ac assistere matrimonio, sicut diximus *Tract. XVIII. n. 71.* præter Sacramentum Pœnitentiæ, quia excommunicatus vitandus omni jurisdictione privatur, *cap. Omnis, de pœnit. et rem.*; et hoc etiam in morte, ut diximus *Tract. XVI. n. 92.* Dico vitandus, quia toleratus non privatur jurisdictione; *Salmant. Croix*, cum aliis communiter (6). Quoad autem administrationem licitam, toleratus quoties est requisitus, licitè Sacramenta ministrat: hinc probabiliter dicit *Castr.* quòd occurrente die festivo, si alter desit sacerdos, potest toleratus celebrare, modò absit scanda-

(1) *Lib. 7. n. 158. v. Dixi, et n. 159.* — (2) *n. 160.* — (3) *n. 162.* — (4) *n. 164.* — (5) *n. 165.* — (6) *n. 165. ad 168.*

lum; dùm jure merito tunc præsumitur populus petere ab eo Missam (1). Excommunicatus contra qui illicitè administrat Sacramenta fit irregularis, *cap. ult. de Cler. excomm. ministr.* Et idem currit, si benedicit nuptias, aut solemniter baptizat; secùs verò si privatim. Dubium fit inter DD. an vitandus administrando Sacramentum Pœnitentiæ fiat irregularis? Alii negant; sed nos affirmamus cum sententia communissima; ex *can. Si quis 7. caus. 11. q. 3.* (2). Similiter fit irregularis sacerdos excommunicatus, qui coram se celebrare alium facit, ex *cap. Tanta, de excess. Præl.* (3). Qui recipit Sacramentum à vitando peccat graviter, et incurrit excommunicationem minorem, et qui recipit Ordinem, incurrit etiam suspensionem ab Ordine recepto, *cap. Cum illorum, §. fin. de sent. excomm. IV.* Privat usu divinorum officiorum, ideòque excommunicatus non solùm privatur fructu illorum, sed nec potest quidem illis interesse sine peccato gravi; et dicit S. Thomas (4), quòd si fortè incepisset Sacrum, et non adhuc consecrasset, tenetur illud deserere; modò non excusaretur à necessitate evitandi scandalum, aut ab alia justa causa, ut addunt *Suar. Bonac., etc.* (5). Cæterùm excommunicato non vetatur usus Sacramentalium, non jam ut ab illis fructum capiat, sed ut illa veneretur. Potest etiam dum recitantur divina officia ecclesiam ingredi ex aliqua justa causa, verb. gr. ut satellitum aufugiat manus, et tunc potest, privatim tamen, orare, sicut probabiliter dicunt *Caj. Palud. Turr. Coninch. Salm. et Bonac.,* quia orando privatim, jam non dicitur communicare cum aliis, et tunc non tenentur sacerdotes cessare à Divinis, nec eum foràs expellere (6). Excommunicatus tamen si omninò vellet interesse Sacro, aut aliis publicis functionibus, proculdubiò peccat graviter, et si monitus nolit exire, incurrit excommunicationem papalem, *cap. Eos, de sent. exc.* Et idem valet de interdicto, et de omnibus iis qui impediunt excommunicatum aut interdictum ne discedant: *Castr. Bon. et Salm. ex cap. Gravis, eod. tit.* (7). Idem advertendum, quòd si excommunicatus tenetur ad Horas canonicas, licèt ex solo titulo beneficii, et ob excommunicationem nequit exigere fructus, non excusatur ab illis, quia hoc culpâ suâ evenit; *Suar. Castr. Nav. Laym. Croix, et Salm.* qui notant unà cum *Avila, et Covarr.* quòd si ille omninò sit privatus beneficio, tunc non te-

(1) *Lib. 7. n. 169.* — (2) *n. 171.* — (3) *n. 175. in fin.* — (4) *3. p. q. 83. a. 6. ad 2.* — (5) *Lib. 6. n. 173.* — (6) *n. 174.* — (7) *n. 175.*

netur ad Horas canonicas, et excommunicatus recitando officium, non potest dicere, *Dominus vobiscum*, sed dicere debet, *Domine; exaudi orationem meam*, secus peccaret, licet nonnisi venialiter, uti communiter volunt *Bonac. Salm. Tournel. Gonet. Cornejo*, etc. Imo *Avila* et *Nav.* excusant ab omni culpa, si illud recitaret sine socio (1).

19. — V. Irritat omnem collationem et electionem excommunicati ad beneficia, *c. Postulastis, de Cler. exc. min.* Et hic notandum 1. quod non solum peccat graviter qui beneficium recipit, sed etiam ille qui ei illud confert, et hic præter excommunicationem minorem, incurrit suspensionem à collatione, ex *cap. cit.* Notandum 2. hoc intelligi cum tempore præsentationis, aut electionis beneficii electus erat jam excommunicatus; aliàs validè acceptat beneficium, et possessionem capit, licet tempore acceptationis reperiatur excommunicatus, quia acceptatio et possessio non sunt actus jurisdictionis; ita *Castr. Av. Bonac. Covar. Salm.* (contra *Suar.*). Contrà collatio facta excommunicato est irrita, licet tempore acceptationis reperiatur absolutus ex sententia communi, undè tunc requiritur nova collatio, aut saltem (ut dicunt *Less. Nav. Salm.*, etc.) ut collator perseveret in prima intentione. Notandum 3. excommunicatum teneri ad restituendos omnes fructus præceptos ex beneficio, licet postea absolutus sit, et iterum obtineat idem beneficium, quod prius suscepit in mala fide. Si tamen jam satisfecisset per se aut per alium officio illi adnexo, dicunt *Coninc. Salm. Bon.*, etc. posse sibi retinere fructus perceptos tanquam vacantes, et debitos successorì in beneficium, sed hoc intelligitur pro locis ubi non viget lex *spolii*. Notandum 4. quod quæ dicta sunt de beneficio, intelliguntur etiam de dignitatibus ecclesiasticis, Episcopatibus, Prioratibus, et similibus; *Suar. Castr. Bon. et Salm.* An autem idem currat pro dignitatibus sæcularibus? Affirmant *Bon. Salm.*, etc.; sed probabiliter etiam negant *Cast. Fill. Henr. et Coninch.* quia reverà non adest lex quâ declarentur invalidæ pensiones ecclesiasticæ, quæ dantur ob aliquod officium ecclesiasticum, v. gr. Vicario, aut coadjutori Episcopi: *Suar. Castr. Salm.* communiter (2). Notandum 5. non solum vitandos, sed etiam toleratos esse inhabiles ad beneficia, dignitates, et pensiones juxta allata superiùs, sicut rectè dicunt *Suar. Tourn. Av. Castr. Coninch. Salm.*, etc. contra *Nav. Less. Giball. Hurt.* etc.;

(1) *Lib. 7. n. 178.* — (2) *Lib. 7. n. 180.*

dùm verum est quòd per Concil. Constant. est concessum aliis communicare cum excommunicatis toleratis, sed ipsi excommunicati semper sunt incapaces, non enim per se possunt suo muneri satisfacere. Ego exciperem casum dumtaxat si illud munus esset exercendum in commodum collatoris; undè rectè animadvertunt *Salm.*, quòd per ipsummet Concilium sublata sit suspensio imposita ex cit. *cap. Postulastis*, conferenti beneficium tolerato (1). Notandum 6. irritam esse collationem factam excommunicato, licèt ille invincibiliter ignorasset excommunicationem, quà innodatus erat, aut crederet jam esse absolutum; *Sanch. Less. Suar.*, etc.; probabiliter tamen tenent *Cabass. Fab. Salm.*, etc. validam esse collationem hujusmodi excommunicati factam à Superiore cum absolutione ad cautelam *ad effectum præsentis collationis.* (2). Notandum denique quòd ille, qui excommunicatus fuit post collationem, non tenetur ad restituendos fructus beneficii ante judicis sententiam, quoties ipse per se, aut per alios adimplevit onera: ita probabilius *Sanch. Tourn. Laym. Bon. Castr. Coninch. Salm. Av.*, etc. contra *Suar. Concin.*, etc. ex generali ratione, quòd pœnæ quæ requirunt actionem aliquam rei, indigent semper sententiâ, saltem declaratoriâ; vide dicta *Tom I. Tr. II. n. 25.* et dicendâ in *Appendice III. de Exam.*, etc., n. 64. Contrà certum est, quòd post sententiam tenetur ad fructuum restitutionem donec absolvatur, modò paupertate non laboraret, et eos applicasset sibi; hoc potèst sibi prodesse dumtaxat in casu quo per se non staret, quominùs absolvatur; *Laym. Sylvest. Castr. Salm. Av.*, etc.

20 — VI. Privat communicatione forensi. Quare excommunicatus nequit esse judex, scriba, testis, advocatus, procurator, nec potest agere in judicio, et licèt toleratus etiam possit repelli, attamen hic validè agit, *cap. Pia, de sent. exc. in 6.* Cæterùm etiam vitandus semper potèst defendi ex se ipso, et etiam actorem convenire in jus. Imò, ut dicunt *Avila, Sastr.* et *Salm.* toleratus potest defendere etiam alios. Sententia judicis vitandi non tantùm est illicita, sed etiam invalida. Testificatio tamen vitandi non est irrita, sed potest repelli. Excommunicatus nec potest esse tutor, curator, nec executor testamentarius (si repellitur), nec licèt potest inire contractus, nec testari, licèt contractus et testamentum sint valida (3). VII. Privat jurisdictione: quare excommunicatus (intellige

(1) N. 181. — (2) n. 182. et 185. — (3) Lib. 7. n. 181.

vitandus) non potest nec legem ferre, nec sententiam, nec præsentationem, aut electionem ad beneficia; quia hæc sunt omninò irrita. Dico *vitandus*, quia actus tolerati sunt validi, sed illiciti; nisi eos excuset necessitas (1). VIII. Privat sepulturâ ecclesiasticâ, adeò ut cadavera excommunicatorum dehumanda sint à sepulturis (quoties certò secerni possunt); et ubi sepultum est cadaver vitandi (non autem tolerati, licèt hæretici, sed non nominatim denunciati) non potest celebrari, nisi priùs reconcilietur ecclesia, *cap. Sacris, de sepult.* Quòd si excommunicatus non toleratus decessisset cum signis pœnitentiæ, ejus cadaver absolvendum est à censura, et sepulturæ postea mandandum; *Castr. Salm. et Cornejo.* Qui sepelit excommunicatum incurrit excommunicationem majorem, ex *Clem. 1. de Sepult.* Illi verò qui funus associantur, aut canunt preces, et probabiliter etiam illi qui curant sepe-liendum, ùt dicunt *Cajet. Bon. Av. Salm.*, etc. peccant quidem graviter, sed non incurrunt censuram (2). IX. Privat denique excommunicatio etiam communicatione civili cum fidelibus, sed de hac loquemur puncto sequenti.

PUNCTUM II.

De excommunicatione minori, et ejus effectibus.

Actus, quibus incurritur excommunicatio minor, sunt: I. Os. II. Orare De expellendis vitandis, III. Vale. De resalutatione, et rescriptione IV. Communio. V. Mensa 21. Quale peccatum sit communicare cum vitando, et quando est grave 22. Pro quibus causis potest quis communicare cum vitando I. Causa utilitatis II. Matrimonii 23. III. Subjectionis 24. IV. Ignorantiæ 25. V. Causa necessitatis 26. De effectibus excommunicationis minoris; et an vetet Sacramenta ministrare, et beneficia recipere 27.

21. — EXCOMMUNICATIO minor ob unicam causam incurritur, nempe ob communicationem cum excommunicato vitando in actibus comprehensis in versu sequenti, declaratis jam in *Canon. Excommunicato 11. quæst. 3.*

I. Os, II. Orare, III. Vale, IV. Communio, V. Mensa negatur.

I. Os: intelligitur omne colloquium, aut per litteras communicatio, et quodlibet aliud benevolentiae signum, ùt est dona mittere, aut recipere, etc. ita DD. (3). II. Orare: intelligitur quæcumque communicatio in *Divinis*, ùt est

(1) N. 185. — (2) n. 186. — (3) Lib. 7. n. 189.

assistere publicis functionibus Missarum, processionum, benedictionum, Horarum canonicarum, etc. Hinc est quòd clerici in eo casu, cùm celebrantur divina officia, aut functiones publicæ fiunt, tenentur illum expellere, si possunt; sin minùs, debent cessare à Divinis, et sacerdos Missam interrumpere, nisi incœperit canonem; sed si illum incœpisset, probabile est quòd possit prosequi, sicut dicunt *Suarez, Henriq. et Busemb.* licèt posset Missam interrumpere, sicut volunt *Bonac. et Cornejo*: quòd si jam consecrasset, certum est debere sacerdotem Missam prosequi, sed tantùm usque ad Communionem. Aliàs præfati Ecclesiastici incurrunt excommunicationem minorem, et peccant graviter (1). Recitare tamen officium cum excommunicato vitando privatim, probabiliter *Suarez, Bonac. Coninch. Busemb. Salm.*, etc. excusant à mortali. An autem seculares, qui intersunt Missæ cui assistit excommunicatus vitandus, peccent graviter; affirmant *Bon. Salm. Avila, et Dian.* et excusant tantùm ob parvitatem materiæ, si v. gr. assistentia esset usque ad Evangelium; sed universaliter eos excusant à gravi *Suar. Castr. Salm. Filliuc. Sayr. Henriq.* etc. dicendo talem communicationem esse remotam, et accidentalem; modò ipsi non sint causa cur excommunicatus ibi assistat. Nemo tamen eos excusat à veniali, et ab excommunicatione minori (2). Contrà communiter *Bon. Fill. Henriq. Suar. Coninch.*, etc. excusant ab omni culpa eum qui oraret in ecclesia in loco separato; aut alii assisteret Sacro ab illo cui assistit excommunicatus (3). III. *Vale*: intelligitur quælibet salutatio, aut honoris significatio; sed communissimè *S. Antonin Nav. Maj. Fill. Sot. Avila, Sayr. Bonac. Castrop. Salm. Escob.*, etc. admittunt probabile esse licere certa signa urbanitatis exhibere erga excommunicatum; quia hujusmodi actus non exhibentur, ut ei honor præstetur, sed ut inurbanitatis, et contumeliæ nota vitetur; maximè si excommunicatus est Superior, aut persona publica, putà Episcopus, Prætor, etc. (4). An autem liceat rescribere, aut resalutare excommunicatum; affirmant *Fill. Henriq. Bus. Castr.* etc., quia hi actus (utì dicunt) sunt potiùs debiti solutio, quàm honoris significatio; sed saltem quoad rescriptionem videntur probabiliùs negare *Avila; Bonac. Holzm. et Salm.*, quia excommunicato non ampliùs debentur hi convenientiæ actus in pœnam sui criminis. Dixi

(1) *Lib. 7. u. 176. et n. 177.* — (2) *n. 173. et 176.* — (3) *Ibid. et 176. in fine.*
— (4) *n. 192.*

saltem quoad rescriptionem, quia quoad resalutationem non auderem damnare contrariam uti improbabilem, dùm resalutatio illa non videtur propriè actus honoris, et contrà negatio illius videtur actus inurbanitatis et contemptûs: rescribere verò videtur vera communicatio (1). IV. *Communio* comprehendit omnem contractum, societatem, et cohabitationem; sed cohabitatio intelligitur per modum societatis; quia sub eodem tecto dormire, et etiam in eodem lecto, tantùm ad quiescendum, non est vera communicatio, nec vetitum, ut probabiliter dicunt *Suar. Bonac. Castrop. et Salm.* (2). V. *Mensa*; intelligitur, cùm invitatus ad mensam ab excommunicato, ejus domum adit, licèt in diverso cubiculo accumbat; *Suar. Bonac. Salm.*; secùs verò si casu in hospitio, domo aut itinere accideret, ut cum excommunicato accumberet, etiam in eadem mensa, uti probabiliter dicunt *Suar. Layman, Sayr. Spor. Castrop. Holzman., e'c.*

22. — Quæritur 1. quäle peccatum committit, et qualem excommunicationem incurrit qui communicat cum excommunicato vitando? Respondetur generaliter loquendo, quoad peccatum, peccat tantùm venialiter. Sed hic notandum quòd sufficit peccatum veniale ad incurrendam excommunicationem minorem; sed quando veniale non est plenè deliberatum, illa non incurritur; nam nulla pœna incurritur propter illos actus, qui non sunt perfecti in genere suo (4). Item notandum quòd licèt in confessione possit omitti veniale, attamen non potest omitti illud ob quod incursa est excommunicatio, quia cum illa non potest Sacramentum suscipi (5). Tribus casibus autem cum excommunicato communicans peccat graviter, ut dicit *S. Thomas* (6) cum aliis communiter. I. Si communicat in contemptum prohibitionis Ecclesiæ. 2. Si communicat in *Divinis* in materia gravi, ut diximus *num. 21.* ad verbum II. *Orare*. 3. Si communicat in *crimine criminoso*; nempe si communicat cum excommunicato in eodem crimine ob quod fuit ille excommunicatus; undè peccat graviter concubina quæ denudò rem habet cum illo qui fuit excommunicatus ob concubinatum; aut consilium, vel favorem ei præbet, ne ab illa se removeat, ita communiter *Bonac. Suar. Salm.* etc. ex *cap. Nuper, de sent. exc.* An autem peccet graviter qui communicaret cum excommunicato frequenter in civilibus; probabiliter negant *Nav. Castrop. Sayr, Avila, etc.*, quia

(1) N. 193. — (2) *Lib. 7. n. 194.* — (3) n. 195. — (4) n. 153. — (5) n. 154. — (6) *Suppl. q. 23. a. 3.*

communicatio in civilibus est tantum veniale, et venialia quantumvis multiplicentur, ad mortale non attingunt; sed probabilius affirmant *Suar. Bonac. Holzm. Filliuc. Coninc. Spor. Salmantic.* etc., quia etiam frequens communicatio in civilibus non judicanda est res levis, dum in *cap. 7. de Except.* dicitur, quod qui communicat in civilibus cum excommunicato, *in periculum animæ suæ communicat.* Animadvertunt tamen præfati AA. cum *Tournely*, quod ad peccandum graviter in hoc, non sufficit ut aliquis frequenter, etiam per longum tempus, se junctim communicet cum excommunicato; sed amplius requiritur ut habeat propositum virtuale saltem sæpius communicandi cum eo (1). Ita etiam quoad excommunicationem, generaliter loquendo, qui communicat cum vitando incurrit solam excommunicationem minorem. Sed tribus in casibus incurrit majorem: 1. Si Clericus scienter communicat in *Divinis* cum excommunicato nominatim à Papa, et denunciato, *c. Significavit, de sent. excomm.* 2. Quando excommunicatio est imposita alicui, et unà simul in participantes, quia tunc qui communicat cum illo, post monitionem incurrit excommunicationem majorem; *S. Thomas. Castrop. Salm. Avila,* etc. communiter. 3. Si communicat *in crimine criminoso*, ut paulò antè explicatum est, et in hujusmodi casibus, non potest absolvi, nisi ab illo à quo absolvendus est principalis (2).

23. — Quæritur 2. Quibus de causis liceat in civilibus communicare cum vitando? Resp. ob 5. causas contentas in sequenti versu:

1. *Utile*, II. *Lex*, III. *Humile*, IV. *Res ignocrata*, V. *Nesesse*.

Et 1. *Utile*: intelligitur utilitas aut ipsius excommunicati, ut resipiscat, aut ut aliud spirituale subsidium recipiat (quâ ratione licet præmittere alia verba aut signa benevolentiae, ideòque licet sine dubio prædicare, eo præsentem); aut utilitas aliorum, ut ab excommunicato recipiant aliquod utile spirituale, aut temporale; quare licet audire ab eo concionem, aut exposcere consilium (si alius idoneus non extat), aut eleemosynam, aut medicinam, et ita etiam cum eo societatem antea initam continuare, non verò novos cum illo instituire contractus; *Suar. Castrop. Av. Bonac. Salm. Con.* etc. (3). II. *Lex*: intelligitur matrimonialis propter quam conjuges (sed non sponsi) possunt ad invicem communicare, adhuc quoad petendum, aut

(1) *Lib. 7. n. 198.* — (2) *n. 199.* — (3) *n. 201.*

reddendum debitum; S. Thom. et alii communiter ex *cap. Inter alia 31, de sent. excomm.* Sed hìc notandum quòd non licet communicare cum conjuge excommunicato, si factum sit divortium, et si excommunicatio est lata ob hæresim, aut ob dubium de matrimonii valore; ita commun. DD. (1). Præterea non licet communicare in *Divinis*, dùm *Innoc. III. in cit. cap. 31*, declarando textum Greg. VII. in *c. Quoniam 11. q. 3.* ubi dispositum erat quòd uxores, filii et servi possint communicare in iis, in quibus solebant communicare, dixit hoc intelligi dumtaxat, in quantum hoc necessarium est ad præstandum obsequium ei debitum; sed communicare in *Divinis*, non est obsequium debitum; ita rectè *Cajetan. Bon. Arm. et Concin.* contra *Sanch. Salm. etc.* (2). Dubitatur autem an conjux qui scienter nupsit cum excommunicato, possit postea communicare? negant probabiliter *Castrop. Tourn. Salmantic. Conc.* cum *S. Thoma.* (3) ex præfato *cap. 31. de sent. excomm.* ubi dicitur, quòd personæ subjectæ possunt communicare cum excommunicato eodem modo ac priùs, ergò non possunt, si subjectio contrahitur post excommunicationem. Nec obstat textus Innocentii; nam *Innoc.* tantùm respondit ad id quod ab eo quæsitum fuit, nempe, an tenerentur communicare, vel an tantùm possint, si velint; Pontifex respondit quòd tenebantur, sicut tenebantur ante excommunicationem; nihil autem locutus fuit de iis qui tempore excommunicationis in servitium ingressi sunt. At pro his facit textus Gregorii, qui concedit subditis communicationem, propter debitam subjectionem, undè nihil refert, an ista contracta sit ante vel post excommunicationem (4).

24. — III. *Humile*: intelligitur subjectio debita à filiis, licèt emancipatis, ùt probabiliter dicunt *Suar. Bon. Castrop. Salm. etc.* contra *Sotum.* Et idem dicunt de nepotibus, et pronepotibus, et etiam de affinibus in eodem genere, ùt sunt nurus, privignus, etc. Idem currit de Religiosis cum Prælato in iis rebus, quorum nequeunt evitare communicationem. Idem de militibus cum suo duce, et de servis cum suo domino; ita communiter DD. Sed hìc notandum 1. peccare servos qui malâ fide in excommunicati famulatum se ingerunt, nisi excuset necessitas; *Suar. Castrop. Salmant. etc.* 2. Quòd ipsi communicare nequeunt in iis quæ ad debitum famulatum non conducunt; quare peccant, si communicant in *Divinis*, modò ad hoc non te-

(1) *Lib. 7. n. 202.* — (2) *Ibid. Dubit. 1.* — (3) *Suppl. q. 23. a. 1.* — (4) *n. 202. r. Dubit. 2.*

neantur ob debitum ipsius famulatûs, prout eos comitari ad ecclesiam; aut ex pacto speciali, v. gr. inserviendi Sacro, coadjuvandi eos in officii recitatione, etc.; ita *Suar. et Salm.* 3. Notandum quod servi excommunicati ejusdem domini non possunt ad invicem communicare, nisi in quantum necesse est ad communem cobabitationem; et hoc in solo casu quod non possent commodè invenire alium dominum; *Nav. Suar. et Conc.* 4. Notandum quod sicut filii, uxores, servi, etc. possunt communicare cum excommunicato; ita parentes, viri, et domini possunt communicare cum subditis excommunicatis; *Sotus, Castr. et alii cum S. Thoma* (1).

25. — IV. *Res ignorata*: intelligitur ignorantia, sive inadvertentia, vel legis, vel facti; *can. Quoniam* 11. q. 3. An autem excuset ignorantia crassa, negant *Bonacina et Salm.*; sed probabiliter, et communiùs affirmant *Suar. Conin. Hurt. et Holzm.*: primò, cum excusentur ignorantes à citato textu, intelliguntur etiam culpabiles; dum qui inculpabiliter ignorant procul dubio excusantur ex se. Secundò quia in textu cum dicantur excusari ignorantes: *Quoniam multos pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, etc.*; ergò Papa intendit excusare etiam culpabiles, quia qui ignorant inculpabiliter, nec peccant, nec perire possunt. (2).

26. — V. *Necesse*: intelligitur quaecumque necessitas gravis, sive spiritualis, sive temporalis, tam communicantis, quam excommunicati, aut aliorum; *Avila, Sayr. Lez. Bon. Castr. Salm. etc.* communiter ex *cit. can. Quoniam, et ex cap. Si verè* 34. *de sent. excomm.* Et ita pariter (ut rectè subjungunt *Salm.*) excusat necessitas per coactionem metûs gravis injustè incussi (3), juxta dicta *Tom. I. Tr. II. n. 44.* Denique hìc animadvertendum, non esse obligationem vitandi excommunicatos, nisi constet eos esse vitandos saltem ob publicam famam, aut per duos testes fide dignos; *Sanch. Nav. Bonac. Castrop. Salm. etc.* cum *Tourn.*, qui contrà scitè animadvertit, quod in dubio an confessarius sit nec ne vitandus, non licet apud illum confiteri, ob periculum, ne invalidè absolvatur. Cæterùm dicunt AA. citati, quod licitè possumus communicare cum eo qui excommunicatus fuit, quoties adsit unus testis fide dignus; imò si ipsemet excommunicatus (si cæteroquin est fide dignus) asserat se fuisse absolutum (4).

(1) *Lib. 7. n. 203. et 204.* — (2) *n. 205.* — (3) *n. 206.* — (4) *Lib. 7. n. 207.*

27. — Loquendo tandem de effectibus excommunicationis minoris, hi duo sunt: alter directus, indirectus alter: *directus* est privare sub gravi usu passivo, nempe receptione Sacramentorum. Sed hinc adnotare oportet, quòd licet (ut à principio dictum est) excommunicatio minor jure dumtaxat incurratur ob communicationem cum excommunicato vitando, nihilominus hoc non impedit (ait *Layman*) quominus Episcopus ob alias justas causas interdicit alicui usum Sacramentorum. Quæritur autem an peccet qui cum excommunicatione minore confert Sacramenta? Commune est non esse mortale. Dubium fit an sit veniale? Affirmant *Sayr. Coninch. Castrop.*, etc. ex cap. *Si celebrat, de cler. excom.*, etc. ubi dicitur: *Peccat autem conferendo Sacramenta*; sed probabiliter negant *Suar. Vill. Navar. Bonac. Salm. Busemb.* et alii multi, dum in eodem textu alibi dicitur: *Cùm non videatur à collatione, sed à perceptione Sacramentorum remotus.* Et verba antecedentia, *peccat, etc.*, ut concilietur textus, dicunt DD. intelligi, quando minister ad conferendum aliquod Sacramentum, ante illud debet aliud Sacramentum suscipere, prout Episcopo, si confert Ordines, aut sacerdoti, si in Missa Eucharistiam ministrat, opus est prius celebrare, aut Eucharistiam suscipere, tantò magis quòd de hoc casu loquitur textus (1). Alter effectus indirectus, est privari, etiam sub gravi, posse beneficia recipere, uti habetur ex eodem textu, *c. Si celebrat.* Et licet textus tantum loquatur de receptione per electionem, nihilominus communiter DD. intelligunt etiam de ea quæ fit per collationem, et præsentationem; *Laym. Castr. Suar. Bonac. Salm. Croix*, etc. Sed notandum talem electionem non esse ex se irritam, sed tantum irritandam, modò scienter eligatur excommunicatus, ut ibi dicitur: *Si scienter excommunicatus electus fuerit, ejus electio est irritanda.* Sed ex qua parte requiritur hæc scientia? Alii volunt ex parte electoris, alii ex parte utriusque; alii tamen, ut *Laym. Castrop.* et *Croix*, fortè probabilius tenent requiri ex parte electi, nempe quòd cum ei confertur beneficium, ille recordatur se esse excommunicatum, quia illud *scienter* verosimilius refertur ad tò *electus* potiùs, quàm ad tò *excommunicatus* (2). Notandum hinc denique, quòd excommunicatio minor potest absolvi à quovis confessario, sed non à sacerdote simplici (3).

(1) N. 148. et 149. — (2) Lib. 7. n. 150. — (3) n. 155.

PUNCTUM III.

De excommunicationibus non reservatis.

1. De excommunicationibus non reservatis 28. De excommunicat. in cogentes puellas ingredi monasteria, etc. 29. II. De excommunicationibus reservatis Papæ 30. De censuris circa questionem Conceptionis B. Virginis 31. et 32. De excommunicat. in frangentes clausuram Monialium. In ingredientes ad malum finem, prætextu facultatum 33. An licentia debeat esse in scriptis; et an specialis 34. A quo petenda est 35. Ob quam causam 36. De confessario 37. De medico, et aliis 38. Si statim non egreditur. Et qui ingreditur ad malum finem, sed cum licentia 39. De prohibitione colloquendi cum Monialibus, præsertim regularibus 40. De casu reservato; de parva materia; de conjunctis, et impuberibus 41. An cum Abbatissa, etc. 42. An Regulares incurrant censuram ab Episcopo 43. An peregrini, etc. 44. An Episcopi, etc. 45. De Monialibus frangentibus clausuram 46. De clausura Regularium 47. In percussores clericorum 48. De mandantibus, ratihabentibus, aut non impredientibus percussorem 49. Qui veniat nomine clerici, aut monachi 50. Ob quas actiones incurratur 51. Ob quas non incurratur 52. III. De excommunicationibus Bullæ Cœnæ. In hæreticos 53. In fautores 54. In legentes, aut retinentes libros, etc. 55. Requisita ad incurrendam istam censuram librorum, etc. I. Ut scienter, etc. II. Ut auctor sit hæreticus 56. III. Ut liber agat de religione, et contineat hæresim 57. IV. Materia gravis 58. Qui audit legere, aut qui legit litteras aut manuscriptum. 59. De libris prohibitis in indice 60. et 61. Qui retinet libros, etc. 62. De cæteris casibus Bullæ 65.

1. De excommunicationibus non reservatis.

28. — NOTANDÆ hîc aliquæ excommunicationes magis usitatæ. 1. In extorquentes vi absolutionem à censuris. 2. In sepelientes publicos usurarios. 3. In contrahentes intra gradus prohibitos. 4. In imprimentes libros sine Superiorum permissu; et juxta Tridentinum (*sess. 4. in Decr. de Edit. lib., etc.*) in imprimentes, aut imprimere facientes aut vendentes, aut retinentes libros de rebus sacris agentes sine nomine auctoris, nisi habeat licentiam ab Ordinario. 5. In profitentes aliquam scientiam, qui Fidei professionem non emittunt. 6. In potestatem usuris faventem. 7. In occupantes bona Ecclesiæ vacantis. 8. In mandantes occisionem alicujus Christifidelis. 9. In impredientes sequestrum ab Episcopo præceptum. 10. In non denuntiantes Episcopos hæreticos, confessarios sollicitantes. 11. In eos qui servare faciunt statuta contra libertatem ecclesiasticam. 12. In clericos in dignitate constitutos, aut sacerdotes qui docent legem aut medicinam. 13. In sacerdotes qui præfectu-

ras laicales suscipiunt. 14. In clericos qui locant domos usurariis. 15. Aut bona Ecclesiæ alienant, aut ultra triennium ea locant. 16. In concionatores qui impugnant montes pietatis. 17. In eos qui fictè renuntiant aut permutant beneficia. 18. In præsumentes absolvere à casibus Bullæ Cœnæ. 19. In eos qui in aliquod officium se ingerunt sine licentia Episcopi. 20. In raptores mulierum, et in coöperantes in raptu. 21. In ingredienties monasteria (cujuscumque sexûs sint) Monialium sine licentia Superioris; sed de hac loquemur n. 33. et seq. Aliæ excommunicationes minùs usitatæ sunt in Opere adnotatæ (1).

29. — Insuper in Trident. sess. 25. cap. 18. sunt excommunicati *quicumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam (præterquam in casibus in jure expressis) ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem.* Hic fit dubium 1. an incurrat excommunicationem qui cogit mulierem ad ingrediendum monasterium tantùm, ut ibi benè educatur? Negat *Sanch.* dicendo quòd Concilium solùm damnat eos qui cogunt ad ingrediendum, ut ibi professionem emittant, aut ut habitum suscipiant. Sed nos oppositum tenemus cum *Suar. Nav. Bon. et Fill.* dùm Concilium apertè postea explicat, etiam incurrere eum qui tantùm cogit ingredi, licèt adsit finis efficiendi ut profiteatur, aut habitum suscipiat; nam subjungit censuram etiam incurrere eos, qui *scientes eam non spontè ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere... consensum, vel auctoritatem interposuerint.* Igitur si excommunicantur, qui tantùm consenserint ut puella ingrediatur invita, tantò magis principales qui eam ingredi fecerint. Cæterùm, cùm Concilium excipiat casus expressos *in jure*, probabiliter dicunt *Suar. Fill. et Bon.* posse compelli ad ingrediendum illam puellam, quæ à recta morum via errat, ne in similes errores cadat, et ut cautior ad majores fiat (2). Imò tenent *Sanch. et Bon.* quòd licèt potest cogi ad ingrediendum ob cautelam suæ pudicitiae; sed hoc intelligendum cùm adsit prudens suspicio quòd illa in sæculo manens pravis imbuatur moribus, ut cùm videretur nimis procliva ad conversandum cum maribus, aut si domi essent quæ eam pervertere possent; quia tunc videtur cessare finis Concilii, non tantùm adæquatè, sed etiam contrariè (3), juxta dicta *Tom. I.*

(1) *Lib. 7. n. 209. ad 212.* — (2) *Lib. 7. n. 212. v. Quoad.* — (3) *Ibid. v. Dubit. 2.*

Tr. II. n. 69. Dubitatur 2. an incurrant excommunicationem parentes qui inducunt filias ad ingrediendum ob metum reverentialem, manifestando eis suam voluntatem? Affirmat P. de Alexandro; sed communiùs et probabiliùs negant Rodriq. Barb. Tamb. Portella, etc. cum quadam decisione, et hoc etiamsi adjunctæ sunt preces, ut dicunt Barb. et Rodr. modò hæ non sint vehementes, et sæpiùs repetitæ (1). Advertendum præfatam excommunicationem dumtaxat afficere cogentes ingredi fœminas, non verò mares, ut commun. dicunt Suar. Barb. Sanch. Bon. Navar. Bus., etc. licèt ceteroquin hi non excusarentur à mortali (2). Præterea à Trid. in eodem cap. 18. excommunicantur, *qui sanctam... mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedi- rint*. Nomine *veli* intelligitur professio quæ editur velum suscipiendo. Nomine *voti* intelligitur professio, sed sine velo; ita comm. DD. *Impedire* autem intelligitur quando fit dolo, sed non solis precibus; Sanch. Bon. et Salmant. Denique dubitatur, an incurrat excommunicationem qui impedit mulierem ingredi monasterium? Negant Sanch. Buss. et Castropal.; sed probabiliùs affirmant Suar. Bon. et Fill. dùm qui impedit ingredi, impediat pariter profiteri (3).

2. De excommunicationibus Papæ reservatis
extra Bullam Cœnæ.

30. — De excommunicationibus reservatis Episcopo loquimur Tr. XX. de privilegiis Tom. III. n. 46. Nunc tantùm loquamur de excommunicationibus reservatis Papæ extra Bullam Cœnæ, et loquendo de magis consuetis, hæ sunt: 1. In incendiarios, modo sint excommunicati ab *homine*, et denunciati. 2. In frangentes et expoliantes ecclesias. 3. In communicantes in eodem crimine cum excommunicato à Papa. 4. In vexantes eos qui ferunt censuras. 5. In dantes, aut recipientes, ut admittatur aliquis in religionem. 6. In committentes simoniam realem, aut confidentialem circa Ordinem, aut beneficia. 7. In dantes, aut recipientes aliquid, ut obtineatur aliqua gratia, aut justitia apud Sedem apostolicam. 8. In duellum committentes, et in eorum paternos, consultores, et fautores et etiam in spectatores *datâ operâ*, qui suâ assistentiâ incitant eos ad pugnam (vide dicta Tom. I. Tr. VIII. n. 28.) 9. In usurpantes, aut occupantes bona ecclesiarum aut aliorum locorum

(1) *Ibidem*. — (2) *Ibid.* Dubit. 3. — (3) *Lib.* 7. n. 212. v. Insuper.

piorum. 10. In exigentes tributa ab Ecclesiasticis. 11. In violantes interdictum. 12. In publicantes falsas indulgentias. 13. In retinentes fructus beneficii vacantis, aut impediens possessionem ei qui non præstat *dulciaria*. 14. In docentes, aut sustinentes opiniones damnatas. 15. In concionantes de tempore iudicii novissimi contra sensum Patrum. 16. In parochos qui non observant juramentum residentie. 17. In Regulares qui sine privilegio particulari præsumunt ministrare laicis Viaticum, et Extremam-Uctionem. 18. In Regulares qui prætextu privilegiorum absolvunt à casibus reservatis ab Episcopis. 19. In defendentes praxim de interrogando de nomine complicitis in confessione (juxta Bullam, *Ubi primum*, editam 3. junii 1746. Benedicti XIV. de qua locuti sumus *Tr. XVI. n. 41.*) 20. In confessarios qui absolvunt complices peccati turpis contra sextum præceptum, juxta aliam bullam *Sacramentum*, ejusdem Pontificis, de qua in eodem *Tr. XVI. n. 95.* Cæteræ excommunicationes papales quæ adsunt, videri possunt in Opere (1). Sed oportet hîc seorsim loqui de tribus aliis censuris quæ speciali indigent animadversione, nempe I. In eos qui alterutram damnant opinionem circa immaculatam Conceptionem B. Virginis. II. In violantes clausuram Regularium monasterium. III. In percussorem Clericorum.

31. -- Et I. loquendo de Conceptione divinæ Matris, juvat hîc meminisse quinque Bullas circa hoc punctum emanatas: 1. Sixtus IV. in *Extrav. Grave nimis, de Rel. et ven. SS.* anno 1480. imposuit ipso facto excommunicationem reservatam in eum qui damnat hæresis, aut peccati mortalis alterutram sententiam, quæ asserit, aut negat B. Virginem conceptam fuisse sine culpa originali: et etiam in eum qui pro veris habet, aut ut veros legit libros, qui affirmant SS. Virginem in peccato conceptam fuisse: et contra præcepit ut in festo Conceptionis B. V. recitaretur Officium Nativitatis suæ, mutato verbo *Nativitatis* in *Conceptionis* 2. S. Pius V. in Bulla 114. *Super speculam* ann. 1570. prohibuit disputare palàm, ubi adsunt viri et mulieres, aut scribere vernaculâ linguâ de tali quæstione, sub pœna suspensionis a *Divinis*, reservatæ, *ipso jure, etc.* Dumtaxat permisit doctis disputare in academiis, quin uti erroneam alterutram damnarent sententiam. 3. Paulus V. in Bulla 97. ann. 1616. prohibuit sub iisdem pœnis à S. Pio latis, affirmare in aliquo publico actu beatam Virginem

(1) *Lib. 7. n. 218.*

fuisse in peccato conceptam. Contrà sub iisdem censuris et pœnis prohibuit defendentibus sententiam piam impugnare, et tractare de opposita opinione, dicendo: *aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent.* 4. Gregorius XV. in Bulla 20. ann. 1622. prohibuit quominus tam publicè, quàm privatim assereretur Conceptio B. Mariæ fuisse facta in peccato; concessit tantùm DD. ordinis Prædicatorum, ut privatim colloquia inter se habere possent, de tali materia disserendo. 5. Denique Alexander VII. an. 1661. in Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, primo declarat piam sententiam de Conceptione sine labe à primo instanti B. Mariæ, latè longèque promulgatam fuisse, *ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur*; deindè sub iisdem censuris et pœnis renovat decreta prædecessorum, et præcipit ut illa observentur in favorem festi, et cultûs Conceptionis B. Virginis juxta piam sententiam. Et præter pœnas latas à Sixto IV. privat facultate concionandi, docendi, voce activâ, et passivâ, qui in dubium revocaret, aut in alio sensu interpretaretur, sive voce, sive in scriptis (declarando damnatos esse omnes eorum libros ubi de hoc actum fuisset) favorem piæ sententiæ, et cultui concessum, asserendo aliquid adversus piam sententiam, aut afferendo argumenta contra ipsam, et relinquendo insoluta (1).

32. — Ex his omnibus infertur 1. cum *Bonac.* (qui distinctè agit de hac materia) quòd incurrit pœnas 1. qui diceret posse defendi sententiam oppositam immaculatæ Conceptioni B. Mariæ, aut qui adduceret rationes illius, modò id non ageret, nisi ut eas oppugnaret. 2. Qui asserit festum Conceptionis celebrari, quia B. V. sanctificata fuit in utero matris, dùm ita apertè se piæ sententiæ refragantem præberet. 3. Qui transcribit sententiam oppositam, adeò ut videretur eam amplecti (2). 4. Transgressores ipso facto suspenduntur à *Divinis*; et probabiliùs, ut tenet *Bonac.* etiam incurrunt inhabilitatem ad officia; sed quoad privationem vocis, et dignitatum, etc. requiritur sententia. 5. Præfatæ pœnæ incurruntur tam ab Ecclesiasticis, quàm à laïcis, sicut habetur ex Bulla Pauli V. et Greg. XV. 6. Ab ipsis pœnis solus Papa absolvere potest, aut Episcopus, cum peccatum est occultum: quoad autem fautores sententiæ piæ, certè his vetitum est sub pœna excommunicationis asserere hoc esse dogma irrefragabile Fidei, op-

(1) *Lib. 7. n. 244.* — (2) *n. 245. ad 247.*

positam censurâ aliquâ notando, non autem eam rationibus, et auctoritate defendere; quia quamvis in Bulla Pauli V. vetitum sit publicè eam oppugnare, et etiam de illa tractare quæstione: nihilominus aliqui dicunt, præfatam Bullam in tali puncto non esse usu receptam, aut intelligi de iis qui piam defendunt sententiam, ut Fidei dogma, sicut reapse loquitur Bulla S. Pii; sed responsio certior et clarior est, quòd præfata Bulla fuit moderata à novissima Alex. VII. ubi conceditur apertè refellere argumenta oppositæ sententiæ, dùm ibi damnatur prædicare, loqui, aut tractare adversùs piam sententiam, *contra eam argumenta afferendo, et insoluta relinquendo*. Ergò concedit Papa evidenter adducere argumenta opposita, et ea confutare; ergò concedit tractare de sententia pia, et eam defendere (1). In Opere autem (2) adest defensio piæ sententiæ; et etiam sententiæ quòd liceat vitam effundere pro tali pia sententia, cùm talis cultus erga S. Mariam sit actus religionis; nam dicit S. Thomas (3) quòd potest acceptari martyrium pro defendenda qualibet virtute: et Bened. XIV. (4) dicit, ab Ecclesia pro martyre haberi illum, qui vitam fundit pro defendenda aliqua pia sententia, aut ne omittat aliquem virtutis actum.

33. — II. Loquendo de clausura monasteriorum, et primò Monialium; notandum 1. quamcumque personam cujuscumque sexûs quæ ingreditur in monasterium Monialium sine licentia in *scriptis* Episcopi, aut Superioris, incurrere excommunicationem ipso facto ex Trid. sess. 25. c. 5. Multi DD. ut *Suarez, Azor. Bonac. Barb.*, etc. dixerunt licere ingredi facere infantem, nam prohibitio principaliter afficit ingredientes; undè infantes non ligantur præcepto, nec illo ligantur Moniales; sed S. C. pluries declaravit oppositum. Tantò magis debet ingressus prohiberi amentibus, à quibus majus scandalum timeri potest (5), Ex Bulla Greg. XIII. *Dubiis*, edita 23. Dec. 1581. vetitum est Episcopis, extra casum necessitatis, sub pœna suspensionis à *Divinis* pro secunda vice, et excommunicationis pro tertia; et Prælati regularibus sub pœna privationis cujuscumque officii, et etiam excommunicationis pro prima vice, ut vult *Sanch.*; sed *Bon.* et *Lamas* volunt pariter pro tertia. In casu autem necessitatis, aut visitationis possunt ingredi prædicti Prælati; sed Prælati regulares non possunt ingredi nisi semel quolibet anno causâ visi-

(1) *Lib. 7. n. 248.* — (2) *n. 249. et 263.* — (3) *2. 2. q. 134. a. 5.* — (4) *de Canoniz. SS. lib. 1. cap. 14. n. 13.* — (5) *Lib. 7. n. 221.*

tationis, et sine assistentia Episcopi, aut alterius personæ ecclesiasticæ ab ipso designatæ, juxta Bullam 156. *Felici*, Alex. VII. Episcopi verò debent ingredi sociati, sed à *pau- cis, iisque senioribus ac religiosis personis*, ut loquitur Bulla Gregorii: *pauci* intelliguntur quatuor, aut quinque, ut dicunt *Victorelli*, et *Tamb.* ac *de Alexand.*, secùs incurrunt pro prima vice interdictum ab ingressu ecclesiæ, in secunda suspensionem à *Divinis* et pontificalibus, in tertia excommunicationem ipso facto, ut habetur ex citata Bulla Gregorii XIII. Probat id et *Fagnan.* in 2 *part. V. lib. Decretal. c. Nuper. 29. de sentent. excom. n. 39.* Quoad autem Prælatos regulares, si ingreditur Generalis, potest secum conducere duos sui ordinis probatæ vitæ, et ætatis maturæ; si alius Prælatum inferior, tantum unum (1). Notandum 2. præfatas excommunicationes non esse reservatas, sed adest excommunicatio reservata imposita ex mandato Clementis VIII. ann. 1602. in eos qui ingrediuntur monasteria ad malum finem. *Malus finis* censetur à *Mazzotta* quivis finis pravus; sed meliùs *Pelliz.* intelligit finem turpem, dum hic est finis clausuræ, nempe custodire castitatem virginum (2); ideòque prohibetur accessus, et collocutio, quæ etiam pertinent ad clausuram, ut mox dicemus *n. 40.* Notandum 3. adesse aliam excommunicationem reservatam à Gregor. XIII. in Bulla *Ubi gratia*, an. 1577. in quoscumque, etiam mulieres, qui ingrediuntur clausuram Monialium (et in mulieres quæ ingrediuntur clausuram Religiosorum); sed hoc intelligitur tantum de iis qui ingrediuntur prætextu facultatum, sicut dicunt *com. Sanchez, Suar. Fagnanus, Bon., etc.* contra *Navar.* et *Azor.* dum in præfata Bulla expressè dicitur, *prætextu facultatum* (3). Et tunc incurrunt eam excommunicationem omnes Superiores *quocumque nomine vocentur*; intelliguntur, ut dicunt *Sanch. Manuel. Diana* et alii (4), Piores, Guardiani, correctores, etc. qui alicui permittunt ingredi, aut morari, qui ita ingressus est, juxta Bullam Pauli V. *Monialium.* Sed advertendum quòd in ipsis duabus Bullis non comprehenduntur Prælati, qui ingrediuntur sine causa (5).

34. — Quæritur 4. an licentia ingrediendi in monasteria Monialium necesse sit ut sit in *scriptis*? Affirmant *Sanch. Suar. et Castr.*; sed negant *Inn. Abb. Felin. Homob.* etc., dicentes scripturam solùm valere pro foro ex-

(1) *Lib. 7. n. 221.* — (2) *Ibid. v. Excom.* — (3) *n. 222.* — (4) *Ibid. Dubit. 2.* — (5) *n. 221. v. Adest.*

terno, juxta dicta *Tom. I. Tr. VII. n. 20.* Saltem dicunt *Barb. Vill. Rodrig.*, etc. non requiri licentiam in scriptis in casibus ordinariis, ut cum ingressuri sunt medicus, confessarius, aut operarii, quorum operâ jugiter opus habent Moniales (1). Non est autem dubitandum quin præfata licentia ingrediendi monasteria Monialium debeat esse specialis pro persona designata, cum dicatur in *cap. Periculoso, de stat. Regul. in 6. Nisi speciali licentiâ, etc.* (2). Cæterum rectè potest Prælatas committere Abbatissæ, aut alii personæ prudenti concedere præfatam licentiam; *Nav. Bon. Graff. Barb.*, etc. contra *Suar.* (3).

35. Quæritur 2. quis debeat concedere licentiam? Respondetur: Episcopus pro monasteriis sibi subjectis, et etiam pro subjectis Sedi apostolicæ, dando eam tunc tamquam delegatus Sedis apostolicæ; *Trid. sess. 25. c. 5.* Possunt eam præbere etiam Vicarii capitulares, et etiam (juxta quod dicunt *Sanch. Bonac.*, etc.) Prælati qui gaudent jurisdictione quasi episcopali; et probabiliter etiam Vicarii generales Episcoporum, quoad monasteria Episcopis subjecta; ita *Sanch. Navar.* et *Lamas*, dum in motu proprio S. Pii V. *Decori* dicitur, *Episcopum, aut alium loci Ordinarium*, et sub nomine Ordinarii (ut probat *Sanch.*) comprehenditur etiam Vicarius Episcopi; tantò magis, ut probat *Fagnanus* (4), Vicarius potest totum id quod potest Episcopus in iis quæ sunt ordinariæ jurisdictionis (5). In monasteriis autem subjectis Regularibus licentia danda est à Prælato regulari; *Bonac. Barbos. Castr.* et *Fagnan.* cum *Decr. S. C.*, dum *Trid.* dicit: *Sine Episcopi, vel Superioris licentiâ.* Et *Sanch.* affert hoc fuisse declaratum à S. Pio V. Sed hoc non intelligitur pro diœcesibus ubi contraria viget consuetudo, juxta declarationem S. C. approbatam ab Urbano VIII. (6).

36 — Quæritur 3. quænam causa requiritur ut detur præfata licentia? Resp. quòd juxta *Trid. sess. 25. c. 5.* requiritur necessitas, cum dicatur ibi: *Dare autem licentiam... debet in casibus necessariis.* Et hæc necessitas debet esse ex parte monasterii; quare non sufficit ut sit ex parte exterorum, nisi esset quòd lex naturalis suaderet oppositum; ita *Bon.* et *de Alexand.* cum communi, et cum *Decis. S. C.* Ideòque non licet in monasterio collocare uxorem, ut à furore viri liberetur, aut ne iterum illi rumpat

(1) *Lib. 7. n. 225.* — (2) *Ibid.* *Dubit. 4.* — (3) *n. 224. v. Abbat.* — (4) *Lib. 1. cap. Quoniam, de offic. deleg.* — (5) *Lib. 7. n. 224. v. An autem.* — (6) *Ibid. v. Major.*

fidem, sicut pluries decrevit S. C. Potest tamen (ut dicit S. C.) Episcopus ibi collocare puellam de qua controversia est, donec sis finiatur (1). Loquendo autem de præfata necessitate ex parte monasterii, debet intelligi moraliter, cum sufficiat, ut dicunt *Sanchez, Bonac. Barb. de Alex. Miranda*, etc. si adsit causa probabiliter justa; minor causa autem requiritur, ut dicit *Barbosa*, ad ingrediendas mulieres, quam mares: ad ingressum diurnum, quam nocturnum: ad primas ædes, quam ad intimas. Quando autem accidit necessitasurgens incendii, mortis, violentiæ, et hujusmodi, tunc non requiritur licentia, quia in hujusmodi periculis lex humana non obligat; *Sanch. Navar. Graff. de Alexi*, etc. comm.; undè in casu mortis subitanæ quilibet sacerdos potest ingredi ad dandam absolutionem, et etiam Viaticum, et Extrem.-Unctionem, ut dicunt plures DD. (2).

37. — Cæterùm confessarius ordinarius potest ingredi (sed cum licentia) non solum ad præstanda ultima Sacramenta, sed etiam ad præbendam solitam Communionem Moniali decumbenti; *Bon. Barb. Sanch. Rodrig.*, etc. cum communi, et cum Declar. S. C. Insuper ait *de Alexand.* (3) quòd confessarius, postquam audivit confessionem Monialis decumbentis, potest benedicere novum aliquod ædificium monasterii recenter extractum, et etiam afferre alteri Moniali infirmæ aliquam reliquiam, erga quam illa devotione afficitur; et id simile; sic quoque ex justa causa potest in monasterio manere ad breve tempus videnti officinas, aut loquendi causâ de aliquo temporali negotio. Dicunt probabiliter etiam plures DD. quòd confessarius extraordinarius, qui ingreditur cum licentia pro una vice, si causâ infirmitatis non potest confessionem excipere, potest iterùm ingredi sine licentia: et ita pariter, si infirma revocat confessarium statim ac egressus est, ut ei exponat aliquod peccatum oblitum. Confessarius autem ingredi debet indutus cottâ, et stolâ: et ingredi debet quin ad alias monasterii partes divertat, ne causâ quidem invisendi infirmam, quæ Sacramento muniri non indiget; *Barbos. et de Alexandr.* Confessarius sæcularis ingredi debet solus, ut declaravit S. C.; sed regularis sociatus ab aliquo maturæ ætatis, et probatæ vitæ, ut dicit Bulla Alexandri VIII. Dùm autem confessarius audit confessionem, comitatrices ad januam assistere debent, adeò ut eum videre possint. Potest etiam confessarius per-

(1) *Lib. 7. n. 225.* — (2) *Ibid. v. Talis.* — (3) *De Alexandr. de Monial. cap. 7. §. 6. quæst. 9.*

noctare in monasterio, si Monialis laboret in extremis. Potest etiam ingredi ad benedicendum monasterium à spiritibus infestatum; ut declaravit S. C. Sed si Monialis est obsessa, vetavit S. C. ingredi posse sacerdotem, ut ipsam exorcizet, et dixit potiùs impetrandam esse ab ipsa Sacr. Congr. licentiam, ut exorcizetur in ecclesia exteriori monasterii (1).

38. — Quoad medicum autem, loquendo de ordinario, hic debet licentiam renovare quolibet trimestri, juxta Decr. Sacr. Congr. 17. Martii 1588. debet associari à duabus Monialibus ex senioribus; et debet ingredi solus, nisi infirmitas expostularet etiam alios. Medicus autem extraordinarius tantùm potest ingredi in defectu ordinarii, et quando collegium tenendum est. Potest etiam ingredi chirurgus ad secandam venam, et etiam pharmacopola ad docendum, si opus est, quomodò paranda sit medicina. Possunt etiam ingredi factores, notarii, et hujusmodi, aut ad judicandum de ruina imminente, aut ad invenendam scripturam necessariam in archivio, aut ad conficiendum testamentum alicujus puellæ. Ita etiam possunt ingredi cum licentia fabri, hortulani, cœmentarii, pistores, bajuli, et alii id genus. Sed hìc advertendum cum *Sanch.* et *de Alex.* quòd si licentia est data pro uno bajulo determinato, eo deficiente, non potest suffici alius. Rectè dicunt *Bon.* et *Castropal.* (contra *Sanch.*) non licere sartori ingredi ad benè aptandas vestes. Si autem licentia data esset discipulo comitari cum magistro, dicit *de Alex.* cum aliis probabile esse, posse ingredi discipulum, aut ibi sistere sine magistro (2).

39. — Quæritur 4. an ingressus cum licentia incurrat excommunicationem, aut peccet, cùm functus jam est suo munere, si statim non egreditur. Resp. quòd in quantum ad censuram eam non incurrit, licèt diutiùs ibi moretur; quia tunc tantùm violatur clausura, quando quis ingreditur sine licentia; ita *Sanch. Bon. Zerola, Bord.* etc. Qui verò ingrederetur cum licentia, sed ibi sisteret ad malum finem, dicit *Sanch.* ne illum quidem incurrere censuram; sed animadvertit *Bonac.* quòd licèt iste non incurreret excommunicationem latam à Concilio, incurrit tamen illam latam à Clemente VIII. in eos qui violant clausuram ad malum finem. Sed posset aliquis huic opponere quòd censura Clementis, cùm sit pœna, debet strictè intelligi, sicut intelligitur Concilium (3) Cæterùm hâc ratione dicunt pro-

babiliter *Rodrig. Zerolo*, et *de Alex.* quòd non incurrant præfatam excommunicationem qui ingrediuntur ad malum finem, sed cum licentia; et probabilem eam vocant *Bon.* et *Sanch.* (1). Hoc quoad censuram; quoad peccatum verò dicimus, quòd quando quis ingreditur cum licentia, et immoratur, si mora est longa, peccat mortaliter; si brevis, venialiter; ita *Bon. Barb.* et alii communiter. Imò dicunt *Sanch. Rodr. Mol.* et *Mirand.* quòd quando mora est valdè brevis, excusetur etiam à veniali, dùm hoc usu etiam piorum receptum est. Putant autem *Villal.* et *Diana* spatium horæ quadrantis esse modicam moram (2).

40.— Ad hanc materiam clausuræ spectat etiam prohibitio colloquendi cum Monialibus. In hoc oportet scire quòd in *cap. Monasteria, de vita et honestate cler.* imposita fuit excommunicatio (sed ferendæ sententiæ ab Episcopo) in laicos, et suspensio in clericos, qui præsumunt frequentare monasteria Monialium. Doctores autem censent tunc constitui hanc frequentiam; cùm per tres vices tribus diebus continuis, aut semel singulis mensibus anni, aut quater in una hebdomada adeant monasterium (3). Hæc prohibitio postea rigorosiùs injuncta fuit Religiosis, tam in *c. Definimus. 21. caus. 28. q. 2.* quàm in Decreto edito ex mandato Sixti V. ubi fuit eis vetitum non solùm ne colloquerentur cum Monialibus, sed etiam cum qualibet muliere in monasterio moram faciente. Dumtaxat concessum fuit Ordinariis per Decretum S. C. Concilii, editum de mandato Urbani VIII. 10. Nov. 1623. posse dare licentiam Regularibus colloquendi cum Monialibus in primo, aut secundo gradu, ad summum quater in anno: exceptis diebus festis, Adventûs, Quadragesimæ, feriâ VI. et sabbato, et vigiliis; sed cum conditione quòd licentia debeat dari in scriptis, et debeat adnotari in curia ab Episcopo, et postea tradenda monasterii confessario, qui debeat eam asservare: ac eos associare cum auscultatricibus, et non aliis, dùm Religiosus colloquitur cum Moniali; declarando ampliùs quòd si Episcopi aliter agant, Pontificis intentionis sunt transgressores; et quòd Regulares incurrunt easdem pœnas impositas à Sixto V. nempe privationem *ipso facto* officii, et vocis activæ et passivæ (4). Verumtamen apud *Bened. XIV. (de Synod. l. 9. c. 15. n. 7.)* et apud *Monacelli (tom. 1. in App. pag. 436.)* reperiò Sacram Congr. die 26. Nov. cùm ab ea quæsitum fuisset: *An Regulares accedentes ad colloquen-*

(1) *Ibid.* Dubit. 8. — (2) n. 226. Resp. 2. — (3) n. 252. — (4) *Lib. 7. n. 352.*
v. Circa autem.

dum cum Monialibus sine licentia Episcopi, peccent mortaliter : respondisse affirmativè, etiam ex rationabili causa, quando non adest licentia. Idem Bened. XIV. refert in Bulla Gravissimo, edita die 31. Octobris 1749. per S. C. statutum esse non licere Regularibus injussu Episcopi liberè adire sibi addicta Monialium claustra. Ex quibus inferri perspicuè videtur quòd, accedente licentiâ Episcopi, Regulares, qui S. C. adeant, possint colloqui cum Monialibus. Hic etiam adnotandum aliud Decretum ejusdem S. C. die 21. Maji, apud Bened. (sub 12. apud Monac. fortè errore postpositionis numeri) 1678. quòd declaratum fuit iisdem pœnis affici Regulares, qui habitâ ad Moniales concione, cum iisdem sine licentia Episcopi etiam de rebus spiritualibus colloquuntur. Et ex alio consimili Decreto dicit auctor, qui apponit additiones in *Biblioth. P. Ferraris tom. 5. verb. Moniales*, post n. 59. ibi q. 1. cum *P. Gaudentio de Visit.* hanc sententiam hodie amplectendam esse, attentâ hodiernâ praxi, *nam ubique (ait) ferè locorum Ordinarii licentias hasce alloquendi Moniales concedunt Regularibus.* Et ipse *P. Ferrar.* idem sentit *verb. Moniales, art. 4. n. 15. et 19.*

41. — Hæc sunt lege communi statuta ; sed ferè in omnibus diœcesibus, et præcipuè in illa Neapoli, adest casus reservatus cum excommunicatione in viros, qui non petitiâ licentiâ colloquuntur cum quavis muliere, quæ versatur in monasteriis, aut in conservatoriis, exceptis conjunctis in primo vel secundo gradu ; declarando quòd qui facultatem obtinuit, *non potest datâ operâ, et ex professo,* colloqui cum aliis. Hic plura notanda sunt. Notandum 1. quòd ex sententia probabiliori *P. de Alex. de Januariis,* et *Jordan.* intelligitur prohibitus, non solus accessus, ut volunt *Sanch. et Bonac.,* sed accessus formalis, nempe cum effectu collocationis, sicut deducitur ex cit. text. *Definimus,* ubi prohibetur aditus ad collocationem ; et in Decretis præfatis semper fit mentio accessûs cum collocatione. Ex quo probabiliter etiam dicunt *Lezana, Tamb. de Alex. Bon. Graff. etc.* quòd prohibitio (ex se loquendo) non comprehendit eum, qui cum Moniali colloqueretur ex domo contigua, quia tunc deest accessus ; nec qui scribit, aut loquitur per nuntium, ut dicunt etiam *Bon. Barb. Mazz. etc.* Dictum est, *ex se loquendo,* quia in casu Neapolitano comprehenduntur expressè illi, qui *de rebus obscœnis agerent per litteras, vel internuntium.* Notandum 2. quòd juxta casum reservatum peccat mortaliter etiam qui loquitur cum Moniali semel tantum, modò non excuset

parvitas materiæ: parvitatem materiæ in hoc alii putant esse spatium unius *Miserere*, ut *Diana*, et *Mazzotta*; alii horæ quadrantem, ut *Quarti*, et *Vericell*. Sed in quodam Decreto approbato à Clemente IX. die 1. Martii 1699. prohibitum fuit Regularibus, sub pœna peccati mortalis, et excommunicationis colloqui cum Monialibus *per quodcumque modicum temporis spatium*. Hoc non obstante dicit *Ciera* non esse per tale Decretum reprobata opinionem *Quarti*, quòd horæ quadrans sit parva materia, cùm in Decreto non damnetur nisi opinio sesquiquadrantis horæ: *Prætendentes non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horæ cum dimidio*. Quare contendunt isti propositionem esse damnatam copulativè. De hac opinione doctis committo judicandum, sed ego non audeo eam probare, propter alia verba quæ adjunguntur illi prohibitioni, *per quodcumque modicum temporis spatium*. Advertendum, quòd si quis loqueretur per multos dies cum Moniali, licèt per spatium non notabile, etiam posset peccare mortaliter; quia hujusmodi colloquia si non uniuntur physicè, saltem uniuntur moraliter (1). Notandum 3. quòd nulla de causa etiam spiritali licet colloqui cum Moniali sine licentia, ut rectè tenet *Ciera* contra *Lezana*, *Peyr. Bord.* etc., quia in hoc nunquam cessat finis adæquatus prohibitionis, nempe periculum animi adhæsiōnis, ne consuetudo ex spiritali fiat carnalis; qua de re declaravit S. C. quòd ex nulla causa etiam honesta, et rationabili permittitur Regularibus colloqui cum Monialibus, vide *præc. n. 40.* in fin. (2). Notandum 4. quòd excipiuntur à prohibitione 1. conjuncti in primo et secundo gradu consanguinitatis. Eximit *Ciera* etiam conjunctos in secundo et tertio, quia cùm petitur dispensatio ad contrahendum inter propinquos in secundo et tertio, debet exprimi etiam secundus, et major impensa requiritur; ergò signum est quòd hic gradus mixtus non potest dici in rigore tertius, sed participans de utroque, ac propterea dicitur secundus et tertius, proindèque tali gradu conjunctus gaudere debet tali privilegio; et cùm in odiosis leges sint restringendæ, sequitur quòd nisi Religiosus sit conjunctus Moniali in tertio simpliciter, non intelligitur comprehendi in prohibitione; sed oppositum ego sentio, cùm conjuncti in secundo et tertio, non possunt dici quòd reverà sint in secundo. 2. Qui colloquuntur cum Monialibus gravi metu incussi, quia hoc currit juxta regulam

(1) *Lib. 7. n. 236.* — (2) *n. 237.*

legum positivarum. 3. Mendicantes publici, ratione usûs, aut tacitæ licentiæ, quæ adest; ita pariter servi, qui afferunt dona, et citò se expediunt; *Pelliz. de Alex. et Mazzotta* (1). Notandum 5. quòd impuberes, licèt excusati non sint à culpa gravi, si colloquuntur cum Monialibus, attamen non incurrunt excommunicationem, ùt rectè dicunt *Bon. de Alex. Dian. et alii* (contra de *Graffis*) ex *c. Pueris, de delict. puer.*, ubi dicitur quod pueri non sunt puniendi sicut puberes; et in diœcesi Neapolitana expressè eximuntur à reservatione pueri, qui 14. annos non sunt nati (2).

42. — Quæritur 1. an liceat loqui cum abbatissa sine licentia? Negant *Ciera, Megalla, de Alex. Graff.* etc. dicendo quòd in Decr. Sixti V. prohibitum est loqui non solùm cum Monialibus, sed etiam cum quacumque persona monasterii; et item Alexander VII. in Constit. *Sacrosancti*, prohibuit colloqui etiam cum Abbatissis; sed affirmant *Lezan. Pelliz. Tamb. Januar. Mazz. Diana, et Potestas*, quia sub nomine Monialium in odiosis non comprehenditur Abbatissa, juxta *Panormit. Glossam*, etc., et ad Bullam Alexand. respondet *Potestas*, quòd illa edita fuit pro urbe Roma.

43. — Quæritur 2. an Regulares loquendo cum Monialibus incurrant excommunicationem reservatam ab Episcopo latam? Quidquid dicant alii, affirmamus cum sententia communissima *Sanch. Barb. Bon. Fagnan. et de Alexand.* cum Decr. S. C. Idque valet etiam respectu Regularium habentium speciale privilegium, ne Episcopus possit eos excommunicare, ùt fertur habere Mendicantes, ac Jesuitæ à Paulo III. (3). Nam Episcopi in monasteriis etiam subjectis Regularibus, sunt delegati Sedis apostolicæ, ùt dicitur in Bulla *Inscrutabilis* Greg. XV. quæ fuit declarativa Trid. ùt refert Benedictus XIV. lib. 9. de Synod. c. 15. n. 6. et juxta dicenda *Tom. III. Tr. XX. de Privil. n. 80. ad. 5.*

44. — Quæritur 3. an peregrini qui alicubi morantur per aliquod tempus, colloquendo cum Monialibus incurrant excommunicationem ibi reservatam ab Ordinario? Tres adsunt sententiæ 1. negat cum *Pelliz. Diana*, etc. dicendo ex una parte, quòd peregrini non tenentur legibus loci: ex alia parte dicunt quòd Episcopi sunt destinati à Concilio delegati apostolici, sed tantùm circa rstitutionem, et conservationem clausuræ, ad quod non

spectat collocutio. Sed hæc sententia non est satis probabilis, nam ut rectè dicunt *Fagnanus*, et *de Januar.* collocutio ex communi sensu DD. utique spectat ad clausuræ conservationem; etenim in *cap. Periculoso, de statu Reg.* dicitur: *Nullique ingressus, vel accessus pateat ad easdem* (Moniales), *ut sic à mundanis aspectibus separatae, omninò servire Deo valeant.* Igitur prohibitio tam ingressus, quàm accessus ad clausuræ spectant finem, qui est ut Moniales ab humanis distractionibus alienæ conserventur. 2. Sententia dicit (generaliter loquendo), quòd peregrini, licèt per tempus breve alibi morentur. incurrunt excommunicationem. 3. Sententia *Donati*, et *de Januar.* distinguit: incurrunt, si monasterium est exemptum, quia ibi Episcopus (ut dictum est) procedit tanquam delegatus apostolicus, undè ille jurisdictionem habet etiam in peregrinos; secùs verò si monasterium est subjectum Episcopo ordinariâ jurisdictione, cui non subduntur peregrini per breve tempus ibi commorantes, juxta probabiliorem sententiam allatam *Tom. I. Tr. II, n. 41. (1).* Sed videtur dicendum eos talem excommunicationem non incurrere, etiamsi cum exemptis loquantur, propter id quod num. seq. referemus. Nam *Bened. XIV.* in referenda Bulla *Gravissimo*, §. 3. postquam asseruerit Episcopus jure ordinario in sibi subjectis, delegato in exemptis procedere, §. 5. declarat Episcopus, et alios exteros non incurrere pœnas ex eo, quia non subsunt jurisdictioni ordinariæ Episcopi. Et licèt Episcopi in exemptis procedant jure delegato à Sede apostolica, jurisdictio tamen, quâ procedunt, est ipsis ordinaria, utpotè episcopali officio perpetuò annexa à Canone.

45. — Quæritur 4. an Episcopi colloquendo cum monialibus alterius diœcesis peccent, et incurrant excommunicationem ab Ordinario latam? Quoad peccatum, videntur non posse excusari, dùm in præfato *c. Periculoso*, prohibitio est generalis, et afficit omnes, *Nullique ingressus, vel accessus pateat.* Nec locus reperitur in quo legatur, quòd Episcopi eximantur à legibus communibus, ut dicit *Bon.* cum *Rot. Rom.* Quoad censuram verò, tenent *Mazzot. Dian. et Graff.* non incurrere ex *c. Cùm inferior, de Major. et obed.*, ex quo videtur deduci, quòd æqualis non possit ligare æqualem. Sed affirmat *P. de Alex.* dicendo ex *Panormit. et Hostiens.* quòd Episcopus in aliena diœcesi censendus est ut privata persona (2). Sed his non

(1) *Lib. 7. n. 242.* — (2) *n. 242. Dubit. 11. et 245.*

obstantibus, nunc pro certo dicendum hujusmodi Episcopos peccare quidem, sed non incurrere excommunicationem. Nam Bened. XIV. in Bulla *Gravissimo*, edita die 31. Octob. 1749. §. 2. refert per S. C. statutum esse, ne gubernatores, vel præsules, vel Episcopi, aut in civitates, aut oppida alterius Episcopi juri subjecta venientes, aut inibi commorantes, adeant Monialium monasteria, §. 5. hæc habet: *Jam dictum est hosce homines directivæ Episcoporum auctoritati, eorumque Constitutionibus subjacere* (nempe quoad peccatum), *quæ omninò vetant accessum ad Monialium claustra sine debita facultate. Cùm verò iidem ordinariæ Episcoporum jurisdictioni minimè subsint, ideòque sunt immunes à vi coactiva, id est à pœnis in transgressores statutis, uti patet ex cap. A nobis 21. de sent., etc.*

46. — Præterea adest excommunicatio papalis in easdem Moniales, quæ à clausura egrediuntur ex Bulla S. Pii V. *Decori*, 1569. Et excommunicatio incurritur etiamsi Monialis egrediatur à monasterio unius tantum pedis spatio, ut probabilius dicunt *Sanch. et Bonac. cum Graff. et Croix*; modò exeat tota persona. Eandem incurreret excommunicationem qui permetteret Monialem egredi, aut ei comitetur, aut eam recipiat postquam egressa est. Excusatur tantum egressus causâ *magni incendii, vel lepræ, aut epidemiæ*. Notandum 1. hoc intelligi cum non vacat tempus petendi licentiam, saltem ab Episcopo, vel à prælato regulari. 2. Sub nomine *incendii* venit etiam inundatio fluminis, militum incursio, domus ruina, et omne aliud simile periculum, ut dicunt *Sanchez, Bon. Nav. Barbos.*, etc. 3. Sub nomine *epidemiæ* S. C. declaravit intelligendum de vera peste, contra *Nav. Sanch. Bon. Holzmann.*, etc. qui dicunt intelligi de quocumque morbo ita contagioso, ut infirma nequeat curari in monasterio, nisi cum periculo inficiendi alias, et inferunt ex eodem *c. Periculoso*, ubi prohibetur Monialibus exire, modò aliqua illarum *non possit cum aliis sine gravi periculo, seu scandalo commorari*. Contrà rectè dicunt *Bon. Barb.* et alii (contra *Suar. Nav.*, etc.) non sufficere ad egrediendum quamcumque infirmitatem gravem, sed non afferentem periculum inficiendi alias. Notandum 4. cum *Sanch. et Bon.* quòd monialis quæ egressa est, statim ubi convaluit, debet reingredi: hoc statim intelligitur moraliter, nempe elapso uno vel altero die (1).

47. — Hactenùs de censuris circa Monialium clausuram.

(1) *Lib. 7. n. 229.*

De alia censura occurrit loqui lata in muliere quæ violentiam clausuram monasteriorum Religiosorum; ex Bulla *Regularium* S. Pii V. 1566. et altera *Ubi gratia*, Greg. XIII. 1575. Et hanc excommunicationem incurrunt non tantum mulieres quæ monasteria virorum ingrediuntur, aut monasteria mulierum sub prætextu facultatum, ut dictum fuit n. 33, sed etiam illæ quæ ingrediuntur sine tali prætextu, ut declaravit idem S. Pius V. in alia Bulla *Romanum*, sicut id intelligunt communissimè *Castr. Suar. Bon. Sanch.* et *Salm.* quidquid dicant alii (1). Ex hujusmodi prohibitione tamen excipitur casus, quo mulier ingrederetur clausuram ad evitandam mortem imminentem. Item excipiuntur reginæ, electricæ, et hujusmodi, ut communiter dicunt *Suar. Sanch. Bon.*, etc. Excipiunt etiam DD. fundatrices, et mulieres familiares fundatorum. Sed Bened. XIV. in sua Bulla *Regularis discipline*, 3. Jan. 1742. declaravit has non posse ingredi sine speciali Indulto apostolico; item vetavit præcipuè, ne mulieres sub quocumque prætextu etiam pietatis ingrederentur septa Religiosorum, ex quo revocatum est, quòd à S. Pio V. in Bulla *Decet*, permittebatur mulieribus, nempe posse ingredi ad associandam processionem, aut ad audiendum Sacrum, aut ad concionem (2). Dicunt *Bonac. Barb.*, etc. quòd sacrarium Regularium etiam est clausura; sed *P. Ferrar.* (3) asserit praxim fertè ubique gentium esse contrariam.

48. — III. Loquemur de excommunicatione in percussores clericorum. Hæc habetur in *can. 17. q. 4.* ubi dicitur: *Si quis suadente diabolo, in clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subiaceat; et nullus Episcoporum præsumat illum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandata recipiat.* Explicabimus textum. Dicitur 1. *Si quis*, intelligitur quæcumque persona cujusvis sexûs, aut ætatis, modò sit rationis compos, ut habetur ex *c. Pueris, de sent. excom.* (4).

49. — Incurrunt etiam præfatam excommunicationem omnes efficaciter mandantes, aut consentientes in percussione, uti habetur ex *c. Quantæ*, et *ex c. Mulieres, de sent. excom.* Dicitur *efficaciter*, dum ad hoc ut hi incurrant excommunicationem, requiritur, ut percussio fiat causâ eorum, et ut influxus eorum sit gravis; ita *Suar. Nav. Bon. Silv. Salm.*, etc. cum comm. Dicunt etiam com-

(1) *Lib. 7. n. 250.* — (2) *n. 251.* — (3) *Ferrar. Bibl. v. Conventus, art. 5. n. 14.* — (4) *Lib. 7. n. 264. et 265.*

muniter *Coñinch. Av. Diana, Salm. Croix*, etc. ex c. ultimo de *Homic. in 6.* quòd si quis diceret: *Cupio vindictam sumere in talem clericum*; prævidendo quòd alii jam ejus locutione moverentur ad vindictam, hic jam incurreret excommunicationem, si percussio eveniret (1). Incurrunt etiam illi, qui *ratihabent* percussione factam, uti habetur ex *cap. Cùm quis, de sent. excomm.* Sed in hoc requiritur 1. ut percussio facta sit nomine, aut in gratiam illius. 2. Ut *ratihabitio* patefiat aliis externè. 3. Ut cùm accidit percussio, ille fuerit aptus mandato, aut consilio, saltem habitualiter, v. g. si fuerit ebrius, vel dormiens, secùs si fuerit amens; *Suar. Sayr. Bon. Castr. Conc. Salm. Croix*, etc. (2). Incurrunt etiam illi qui non impediunt percussione, et impedire tenentur ex justitia, ut principes, Prælati, judices, parentes, tutores, domini, magistri, parochi, etc. uti habetur ex *cap. Quantæ*, ubi dicitur: *Eos delinquentibus favere, qui, cùm possint, facinori desinunt obviare.* Secùs verò illi qui tenentur impedire tantùm ex charitate, licèt omitterent impedire ex odio; ita *Nav. Bon. Laym. Conc. Castr. Mol. Salm.*, etc. cum *Glossa* in dicto *cap. 5. Interpretamus* (contra *Suar. et Caj.*); et meritò, nam illi tantùm censentur favere percussioni, qui suâ auctoritate eam impedire possunt, et non impediunt, adeòque non impediendo, videntur quòd ipsi ob taciturnitatem concurrant ad eam approbandam (3).

50. — Dicitur *Clericum*, vel *Monachum*. Nomine *clerici* intelligitur etiam tonsuratus, licèt excommunicatus, suspensus, aut interdictus; excepto si iste dimiserit habitum, et post tres admonitiones nec reassumpsisset, ut habetur in *cap. Contingit 45. de sent. excomm.* et juxta communem DD. (4). Nomine *Monachi* intelligitur quilibet Religiosus, sive conversus, aut novitius, utriusque sexûs, et etiam Tertiarii S. Francisci, aut S. Dominici, qui gestant habitum, et vivunt in communitate sub obedientia Prælati; *Suar. Nav. Bonac.*, etc. communiter. Idem dicit *Fagnanus* currere pro mulieribus quæ vivunt in conservatoriis, licèt non approbatis à Papa. Idem dicit *Renzi* currere pro seminaristis, et pueris collegiorum, ut sunt Neapoli pueri Pietatis, S. Honuphrii, etc. Idem dicunt *Suar. Fagn. Tourn. et Roncag.* de eremitis qui voto, aut pacto se adscribunt servitio alicujus loci sacri sub Episcopi subjectione, aut (ut dicit *Castrop*) qui vivunt sub aliqua regula cum voto obedientiæ. Cæterùm communiter

(1) *Lib. 7. n. 266.* — (2) *n. 267.* — (3) *n. 268. et 269.* — (4) *n. 270.*

DD. dicunt eremitas vagos non gaudere tali privilegio, licèt ex Episcopi licentia alicui ecclesiæ deservirent (1).

51. — Dicitur III. *Manus injecerit*. Intelligitur quælibet percussio realis, et externè gravis cum peccato mortali facta, sive manibus, sive baculo, etc. Sed rectè animadvertunt *Suar. Castr. Bon.*, etc. quòd quoties injuria censetur gravis ratione reverentiæ clerico debitæ, sufficit qualiscumque percussio etiam levis ad incurrendam censuram, cùm in hoc Canone debeat interpretatio largè sumi, ut favorabilis statui ecclesiastico (2). Quapropter dicunt DD. incurrere hanc censuram, 1. eum qui expuit in faciem clerici, aut eum coinquinat luto, aut aquam in eum infundit, aut vestem scindit, capillos evellit, aut aliquid aliud de persona illius, ut pileum, pallium, etc. 2. Qui eum in carcerem conjicit, aut in alium locum, undè egredi nequit sine dedecore. 3. Qui eum insequitur ut in foveam cadat, aut excutiat ab equo; imò probabile est etiam incurrere eum, qui illum insequitur etiam sine ullo fine, si accidit ut clericus cadat dùm fugit; licèt alii etiam probabiliter id negant. 4. Qui violenter ferit, aut percutit equum, cui clericus insidet, aut habenis eum retinet; *Suar. Castr. Bon. Laym. Salm.*, etc. communiter. 5. Qui aliquâ injuriosâ actione clericum afficit, etiam eo consentiente; *Suar. Bon. Coninch. et Salm. ex cap. Contingit, de sent. excom.* Sed advertunt *Bon. et Croix*, quòd tunc censura non esset *latæ sententiæ*, sed *ferendæ*, dùm in eodem textu dicitur, loquendo de tali casu, *excommunicetur*. Et item dicunt *Coninch. et Salm.* quòd non currit quando consensûs clerici auferret ab actione esse injuriosam. An autem sit excommunicatus clericus, qui seipsum percutit ita percussus; affirmant *Laym. Navar. Suar.*; sed probabiliter negant *Castr. Tol. Barbosa, Croix, Tourn.*, quia reverà Canon videtur loqui tantùm de diversa persona, quæ clericum lædit (3).

52. — Non incurritur autem excommunicatio, si percussio gravem non irrogat injuriam; hinc non incurrit, 1. fur qui furatur clam crumenam, aut vestem clerico; secus si vi hoc faciat, ut dicunt DD. cum communi. 2. Non incurrit qui percutit joco, aut sine culpa gravi; *nec clerici* (excommunicantur), *si sint plene ætatis, et non ex odio, vel invidia, vel indignatione, sed levitate jocosa, se ad invicem percutere contingat*. Idem dicunt *Bon. Fill. Laym. Mol. Salm. Castr.*, etc. currere de pueris Tonsurâ,

(1) Lib. 7. n. 271. — (2) n. 272. et 273. — (3) n. 274.

aut minoribus ordinibus initiatis, qui se invicem pugnis percutiant, licet sanguis è naribus emanet; quia tales percussiones non reputantur graviter injuriosæ, licet (addit *Sotus*) percussio esset gravis; sed hoc intelligendum, modò illa non fuerit deliberata. Idem valet si esset casualis, aut ob propriam defensionem, aut proximè conjunctorum, aut bonorum. 3. Non incurrit excommunicationem, qui in percutiendo non peccat graviter defectu advertentiæ, aut consensûs, ob iram subitanæ, ut communiter dicunt *Suar. Bon. Laym. Castr. Con. et Salm.* Sed hic quæritur an incurrat qui percutit ignorans percussum esse clericum, sed animo paratus eum percutiendi etiamsi cognovisset? Alii affirmant; sed communissimè et rectè negant *Suarez, Vasq. Bon.* et alii; quia ad incurrendam censuram non sufficit voluntas interpretativa, sed requiritur actualis. Secùs verò si percussor jam dubitaret quòd ille sit clericus, aut si eum percuteret animo afficiendi eum injuriâ, sive sit clericus, sive laïcus. Si verò ignorantia est crassa, dicimus cum *Sanch. Covar. Croix*, etc. non excusari percutientem; tò enim *suadente diabolo*, non requirit jam dolum, uti volunt *Silv. Felin.*, etc., sed importat tantùm ut adsit peccatum mortale. Incurrit etiam qui percutit clericum, quem putaret esse alium clericum quem lædere intendit; quia jam irrogat injuriam statui clericali (1), ut diximus *Tom. I. Tr. X. n. 85.* Non incurrit 4. Prælati, magister, aut pater qui percutit (sed moderatè) clericum qui minoribus ordinibus initiatus est; et idem dicunt rationabiliter *Salm.* de fratre majore ætate, cui curæ esset clericus, ut infertur ex *cap. Cum voluntate 54. §. Si quis, de sent. excomm.* ubi conceditur id omnibus, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum... duxerint corrigendos. Ita etiam permittunt DD. Prælati et magistris ecclesiasticis corripere etiam clericos in *Sacris*, modò correptio sit moderata. Sed fit dubium, an ita possint etiam parentes? Negant *Laym. Mol. Castr.*, etc.; sed probabiliùs affirmant *Suar. Tourn. Conc. Val. Avil. Bonac. Salm. Con.*, etc. dùm in *cap. 1. de sent. excom.* excusatur jam magister, si scholarem jam clericum (quavis sit plenæ ætatis, ut priùs ibi dicitur) intuitu disciplinæ, vel correctionis percusserit. Igitur si potest magister percutere clericum perfectæ ætatis, qua de re intelligitur etiam clericus in *Sacris*, non solùm intuitu disciplinæ, sed etiam correctionis, tantò magis poterit pater, cujus principaliter

(1) *Lib. 7. n. 275.*

est filios corripere (1). §. Excusatur, ut dicitur *c. Si-verò*, 3. de sent. exc. Qui in clericum, cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter (agentem) inventum manus injecerit violentas; secùs si persona non est ita ei conjuncta; notant tamen *Nav. Tourn. Conin. Croix*, etc. quòd hujusmodi percussor tunc tantùm excusatur à censura, cùm perculit eodem actu, aut paulò pòst. Præterea rectè dicunt *Laym.* et *Nav.* non excusari virum qui ex proposito etiam expectat clericum, et postea eum in adulterio deprehensum percutit: nam tunc non verificatur quòd deprehendit eum in delicto, dùm eum expectat ad delictum. Contrà rationabiliter *Suar. Sayr. Sylv. Salmant.*, etc. excusant mulierem quæ percutit clericum qui eam sollicitat, cùm illa non potest aliâ viâ se liberare, etiamsi ille eam tentasset solis pravis verbis; sed hoc intelligendum est, quando mulier pro tali sollicitatione reperiretur in periculo labendi (2). Circa verò absolutionem à tali excommunicatione quando possit concedi ab Episcopo, et quando à Papa, vide dicenda in *Tract. XX. de Privil. Tom. III. n. 46. 47. et 48.*

III. De excommunicationibus reservatis Papæ in Bulla Cænæ.

§3. — Principalis excommunicatio in hac Bulla est in hæreticos, in eorum fautores, in eorum libros legentes. Primo igitur loco incurrunt præfatam excommunicationem hæretici; sed ad eam incurrendam 1. requiritur ut hæresis sit formalis; nempe ex errore intellectûs, et cum pertinacia, ita ut quis velit eam amplecti opinionem, non obstante quòd sciat illam esse oppositam Ecclesiæ doctrinæ, ut docet *S. Thomas* (3) cum communi. Dictum est, *non obstante quòd sciat*, quia ignorantia licèt supina excusat ab hac censura; quia tunc deest hæc pertinacia, quæ hæresim formalem constituit. Imò, ut dicunt probabiliter *Suarez, Azor. Castropal. Salm. Bann. Sayr.*; etc. excusat etiam affectata; dùm non contradicit Ecclesiæ, qui nescit se Ecclesiæ contradicere, quâcumque ignorantia id nesciat (4). Si quis autem dubitat de rebus Fidei positivè judicando dubium esse aliquod dogma, certè hic incurrit censuram tanquam hæreticus; prout communiter dicunt *Sanch. Vasq. Bon. Salm.* etc. ex *c. 1. De hæret.* Qui autem dubitaret negativè, non jam judicando, sed suspendendo

(1) *Lib. 7. n. 275. v. V. Si Prælatu.* — (2) *Ibid. v. VI. Si percutiatur.* — (3) *1. part. quæst. 52. art. 4.* — (4) *Lib. 7. n. 301.*

judicium, peccaret quidem, sed non incurreret censuram, quia tunc non adest electio pertinax contra id quod sentit Ecclesia; ita *Canus*, *San. Becanus*, *Salm. Tanner*, etc. (1). Requiritur 2. ut error sit externatus verbis aut signis, per se aut per circumstantias hæresim manifestantibus; undè dicunt *Laym.* et *Salm.* non incurrere censuram, qui diceret: *Non est Deus*, tacendo tò *Jesus Christus* (2). Requiritur 3. ut manifestatio sit per se peccaminosa, undè non incurrit qui manifestat errorem suum consilium exposcendi fine. Requiritur 4. ut ipse manifestet suam hæresim animo eam profitendi; secùs tam in hoc quàm in aliis casibus, in quibus non incurritur censura, potest absolvi hæresis à quolibet confessario (3). Cæterùm ad incurrendam excommunicationem, sufficit errorem esse externè manifestatum, licèt aliis non fiat notus; *Azorius*, *Avil. Corn.*, etc. cum comm. (4). Et constat ex praxi aliquarum facultatum quas Pontifex solet concedere Missionariis; nam solet concedere facultatem absolvendi ab hæresi, modò complicem non habeat, quæ utique aliàs non est hæresis externata et nemini nota.

54. — Secundo loco incurrunt hanc excommunicationem, ut exprimitur in Bulla, *credentes, fautores, receptatores, et defensores*. Illi dicuntur *credentes* qui externè ostendunt se consentire erroribus, dicendo v. g. *Ego credo quod credit Calvinus*; aut *Calvinus fuit vir sanctus*. *Fautores* sunt qui laudant hæreticum, aut ei auxilium præstant ad fugiendum; aut cum possint eum capere, aut punire omittunt, cum teneantur id facere ex officio. *Receptatores* sunt qui domi excipiunt, aut occultant hæreticum, ne puniatur. *Defensores*, qui impediunt judicem, quominùs capiat, aut puniat hæreticum, aut qui defendunt eorum errores, licèt internè aliud sentiant, et credant (5). Dicunt autem *Tolet. Castr.*, etc. hujusmodi fautores incurrere excommunicationem, licèt id non agant animo favendi hæresi, sed ut opitulentur conjuncto, aut amico; sed probabiliter id negant *Sot. Azor. Laym. Salmant. Ariag. et Sanch.* cum *S. Bonav.*, quia Ecclesia ideò damnat præfatos *fautores* in quantum favent hæretico, uti hæretico, non autem ut propinquo, aut amico (6). Quòd si fautor jam cum affectu opitularetur hæretico, ut eum à judicis manibus subtrahat, licèt ille postea capiatur, non excusatur à censura, ut rectè dicunt *Sayr. Graff. Castrop.*

(1) N. 502. — (2) n. 503. — (3) n. 504. — (4) Lib. 7. n. 505. — (5) n. 506. — (6) n. 507.

et alii (contra *Sanch.* et *Suar.*), quia jam verificatur quod cum affectu faveat hæresi (1).

55. — Tertio loco incurrunt excommunicationem, uti dicitur in Bulla, *scienter retinentes, legentes, imprimentes, et defendentes libros hæreticorum de religione tractantes, vel hæresim continentes, ex quavis causa publica vel occulta, quovis ingenio, vel colore.* Et idem dicunt *Salm.* currere (juxta Decreta pontificia) de iis qui vendunt, emunt, aut transferunt dictos libros, aut impediunt quominus tradantur Episcopo (2). Hic quæritur an Episcopi legere possint libros prohibitos? Videbatur posse, cum omnes Episcopi, ubi non adest formale tribunal S. Officii, sunt inquisitores nati, qui procedere valent viâ ordinariâ adversus delinquentes in materia Fidei; sed negandum cum *Sylvio Barb.* et *Bonac.* (3) ex bullis Julii III. *Cum meditatio*, Pauli IV. *Quia in futurorum*, et Pii IV. *Cum pro munere*, relatis ab auctoribus præfatis, ubi inhibetur tam Episcopis, quam inquisitoribus lectio librorum vetitorum. *Præterquam* (excipitur) *senioribus, et commissariis hæreticæ pravitatis.* Tò *commissariis* intelligitur de iis inquisitoribus, quibus, cum committitur aliqua particularis causa, legere indulgetur libros ad illam materiam concernentes, sed tantum pro eo tempore quo permanet commissio, ut *Bonacina* loco citato explicat, dicens: *Exceptis inquisitoribus, commissariisque pro tempore deputatis, durante illâ deputatione.* Et hic transeunter advertatur, quòd in laudata Bulla, *Cum pro munere*, Pii IV. præscribitur libros prohibitos non tantum retineri non posse, sed nec etiam lacerari ab aliquo, aut comburi, sed deferendos esse ad inquisitores vel Episcopos, ubi tribunal S. officii non manet.

56. — Ad incurrendam tamen hanc censuram, quatuor requiruntur conditiones: I. ut scienter legantur aut retineantur illi libri: undè excusat ignorantia etiam crassa, et affectata, ut dictum est *n.* 8. Sed non excusatur ille qui legeret, etc. librum, sciens famâ, aut dicto unius festis fide digni, quòd liber sit prohibitus, ut dicunt communiter *Lug. Sanch. Bonac. Croix*, etc. (4). II. Requiritur ut auctor sit hæreticus, undè non sufficit quòd sit infidelis, *Suar. Sanch. Castr. Salm.*, etc. Libri tamen *Thalmud*, et alii Hebræorum sunt prohibiti per Bullas S. Pii V. et Clementis VIII. Dicit autem rectè *Holzman*, inter hæreti-

(1) *N.* 508.—(2) *n.* 281. et 285.—(3) *Sylvius tom.* 5. q. XI. a. 3. quæst. IV. concl. 2. in fin. *Barbosa de Pot. Episc.* p. 3. Alleg. 90. n. 8. *Bonac. t.* 3. Disp. 1. qu. 2. p. 4. n. 10. — (4) *Lib.* 7. n. 296.

cos habendos esse etiam illos, qui ex professo agunt de hæresi, licèt tacito nomine circumferantur; nam eorum auctor supponendus est certè hæreticus (1).

57. — III. Requiritur ut liber hæretici, aut tractet de religione, aut contineat aliquam hæresim: adeòque ut ille sit prohibitus, sufficit ut contineat unum tantum errorem adversus Fidem, licèt non tractet de religione, ut rectè dicunt *Sanch. Castr. Salm. et Bonac.* (quicquid dicat *Busemb.* cum aliis) (2), aut tractet ex professo de religione, aut de dogmatibus, aut de Canonibus, aut ritibus, aut de materia spirituali. Dicit autem *Croix* cum *Pignat.* excusari qui raderet errorem à libro, et legeret reliquum; quia liber non ampliùs contineret hæresim. Sed huic se opponunt *Suar. Bon. et Sanch.* dicentes, quòd illa abrasio particularis non tollit communem prohibitionem libri. In hoc mihi arridet distinctio *P. Sporer*: Si liber tractat ex professo de religione, abrasione non obstante, etiam prohibitus remanet liber, juxta *Bullam*, quæ prohibet omnes libros hæreticorum de religione tractantes. Secùs verò si liber ageret de rebus indifferentibus, prout de philosophia, aut de historia, acceptâ historiâ Centuriatorum, aut hujusmodi, quæ in substantia agit etiam de religione. Communissimè ceteroquin dicunt *Suar. Tol. Castr. Croix*, etc. quod incurrit censuram qui legit sine licentia tales libros prohibitos, etiam ad confutandos errores, et licèt sine periculo perversionis, dùm in Bulla vetantur legi *ex quavis causa, vel colore*; excipiunt tamen *Laym. Dicast. Holzm. Elbel*, etc. si quis doctus legeret, ut convinceret, aut converteret aliquem hæreticum particularem, et necessitas non pateretur moram, cùm tempus non suppetat quo possit obtineri licentia (3). Hæc licentia obtinenda est aut à Papa, aut à S. C. Indicis, aut Concilii; dumtaxat in casu magnæ necessitatis, ait *P. Viva*, potest eam concedere Episcopus (4).

58. — IV. Requiritur ut lectio sit in materia notabili, nam communiter in hoc admittunt DD. parvitatem materiæ. Hanc parvitatem autem dicunt *Sanch. Vivald. Sa*, etc. esse etiam unam paginam; sed hæc opinio est nimis laxa. Alii contrà, ut *Graff. et Reginald.* dicunt esse tres aut quatuor versus. Alii denique, ut *Marchant. Holzman. Spor. Elb. Croix*, meliùs distinguunt, habitâ ratione finis prohibitionis, et dicunt quòd si in aperiendo libro occurrit

(1) N. 282. — (2) Lib. 7. n. 285. — (3) *Ibid. in fine.* — (4) n. 299. v. Facultatem.

hæresis, potest incurri censura etiam legendo paucos versus, cum possit ibi adesse periculum perversionis: secus autem, si ibi agitur de alia materia sine ullo errore (1). Cæterum potest incurri censura in legendo solo præmio, aut indice, aut præfatione, cum legitur in quantitate notabili; *Laym. Bonac. et Busemb.* (2).

59. — Quæritur hic 1. an incurrat censuram qui audit alium legentem suo jussu? Affirmant *Azor. Silv. Pignat.*, etc.: sed probabiliter id negant *Navar. Coninch. Sanch. Castr. Filliuc. Croix et Viva*; et *Sporer, Sousa et Stephanus* excusant etiam à peccato, si illi qui audit non adest periculum perversionis (3). Quæritur 2. an incurrat qui legit epistolam aut concionem seorsim impressam? Affirmat *Suar.*; sed communiùs et probabiliùs negant *Laym. Sanch. Busemb. Holzm. Marchant. Salm. Bon. Castr. et Lugo*, nam talis scriptura non potest dici liber; et cum agatur de re odiosa, nempe de pœna, strictè interpretandum (4). Quæritur 3. an incurrat excommunicationem qui legit manuscripta hæreticorum? Negant *Azor. Viva, Spor.*, etc. cum *Sylvio*, qui refert etiam Declarationem S. C.; sed constanter affirmant *Suar. Pign. Sanch. Croix, Holzm. Dicast.* et alii, dicentes quòd manuscripta etiam veniunt sub nomine librorum, prout ante inventionem artis typographicæ libri dicebantur, et nunc libri, ubi adnotantur baptizati, confirmati, etc. à Rituali libri dicuntur, sicut etiam appellantur libri acceptorum, et datorum, libri regestorum, etc. Et respondetur ad Decr. S. C. non satis constare, sicut dicunt *Croix et Salm.*; cæteroquin advertit in expurgatorio Romano prohiberi generaliter sub pœna excommunicationis omnes scripturas hæreticorum, usquedum approbentur ab Episcopis (5). Advertendum tamen quòd Bened. XIV. quotquot libros prohibuit, etiam manuscripta comprehendit, ut videre est in suis Bullariis. Item cum edita esset quædam dissertatio manuscripta adversus Bullam ab eodem editam super Bullam *Unigenitus*, ipse etiam illam prohibuit. Item declaravit quòd, prohibito libro in uno idiomate, intelligitur ille prohibitus, in quocumque alio sit translatus.

60. — Contra non sunt prohibiti 1. libri Catholicorum qui referunt verba alicujus hæretici, ad eum confutandum; *Suar. Laym. Nav. Azor. Sanch.*, etc. communiter (6). 2. Libri Catholicorum, ubi adsunt notæ alicujus hæretici;

(1) *N.* 284. — (2) *Lib.* 7. n. 292. — (3) *Ibid.* — (4) n. 295. — (5) *Ibid.* — (6) n. 286.

modò (rectè limitant *P. Suar. Pignat.*, etc.) tales adnotationes, sive scholia non essent adeò copiosa, ut potiùs ex iis constaret liber, quàm ex auctoris scripto (1). 3. Libri hæreticorum philosophici, aut alterius materiæ, sed ab erroribus immunes, nam (ut diximus *n. 57.*) etiamsi sit ibi scriptus aliquis error incidenter, jam ille prohibitus est, quicquid dicat *Bus.* cum aliis.

61. — Refert hic aliquam dare notitiam de Indice librorum prohibitorum ex mandato Pauli IV. edito, et approbato etiam à Clemente VIII. Hic index tres librorum classes constituit. Prima constat ex libris hæreticorum, qui continent (ut dictum est) hæresim, aut tractant de religione. Secunda ex libris catholicis, sed continentibus aliquem errorem aut contra Fidem, aut contra bonos mores; sed hi non sunt prohibiti, donec adnotentur in indice, ut dicit doctissimus *Lupo*: modò non sint illi qui generaliter sunt prohibiti ab indice. Tertia ex libris, qui circumferuntur tacito auctore, et hi, ait idem *Lupo*, nec prohibiti sunt, nisi aliquam contineant doctrinam pravam: et tantò minùs si produntur cum approbatione Ordinarii, ut hodie communiter videtur adolevisse usus. Præterea sunt prohibiti omnes libri Hæresiarcharum, licèt non tractent de religione: item libri hæreticorum (ut superiùs innuimus) donec permittantur ab Episcopis: Biblia vulgaris, et libri qui in lingua vernacula loquuntur de quæstionibus cum hæreticis: libri magici, et obscœni ex *professo*, et etiam de astrologia judiciaria, in quam Sixtus V. inflixit excommunicationem reservatam. Et item prohibita sunt in indice omnia scripta damnata tamquam suspecta de hæresi, aut de falso dogmate, sub excommunicatione, sed non reservata, ut dicunt *Pignat.* et *Suar.* (2). Licèt referant *Salm. S. Pium V.* talem excommunicationem sibi reservasse.

62. — In Bullæ vigore incurrit excommunicationem non tantùm qui legit, sed etiam qui retinet præfatos libros hæreticorum. Qui fortè eos haberet, tenetur ad eos consignandos aut Episcopo, aut inquisitoribus, juxta præceptum Julii III. et Pii IV. Et loquendo de locis ubi inquisitio erecta est, dicit *P. Suar.* cum aliis, quòd incurreret censuram qui eos igni daret; sed eum excusant *Sanch. Pignat. Salm. Croix*, dicendo quòd qui librum cremat, non potest dici quòd librum teneat (3). Et reverà *Bened. XIV.* cum damnasset aliquos libros, præcepit aut consignandos,

1) *Lib. 7. n. 286.* — 2) *n. 288. et 289.* — 3) *Lib. 7. n. 299.*

aut cremandos. Cæterùm non excusatur qui retinet librum alterius nomine, sive pignori, sive commodato, sive deposito; aut qui eum apud alium teneret; quia cùm ipse retineat dominium, etiam dicitur quòd ipse retineat, cùm possit prohibitu eum repetere; *Suarez, Sanch.* et alii communiter. Et hic notetur propositio 45. ex damnatis ab Alex. VII. quæ dicebat: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, etc.*; dicit tamen *Croix* cum aliis quòd excusaretur qui librum reponeret in loco sequestrato, qui in quolibet monasterio assignari solet. Et qui consignaret librum alicui habenti licentiam, cum pacto non ampliùs eum repetendi, nisi post expurgationem, aut post licentiam obtentam, ego nescirem eum damnare; et tantò minùs si librum ei donaret cum pacto repetendi tantùm cùm licentiam obtinuerit (1). Excusaretur etiam qui librum paulùm temporis retinet, v. gr. per unum vel alterum diem; ita *Laym. Sanch. Sayr. Bon.* et alii communiter. Et admittunt hoc *Cast.* et *Viva*, in quantum ad excusandum eum à censura, licèt ille in illo modico tempore animum haberet illum semper retinendi; dùm, ut dicunt, deest tunc materia gravis facti. Præterea, *Laym. Pignat. Sayr. Sanch. Graff.*, etc. etiam excusant eum, si diutiùs librum retineat, expectans tempus opportunum quo tradat Superiori vel alteri habenti licentiam (2).

63. — Multi alii autem (ultra præfatum casum hæresis) sunt casus Bullæ Cœnæ, quibus annexa est excommunicatio. Expediit hinc principaliores adnotare. Et sunt in eos qui surripiunt bona Christifidelium naufragantium, licèt in littore inventa, modò non habeantur ut derelicta. In dominos qui in terris suis sine privilegio imponunt tributa: tale privilegium habent reges, republicæ, et etiam universitates, cùm id ad subveniendum civium necessitatibus expediens est; ita *Vasq. Dic. Salm. Viva*, etc. In piratas deprædantes Christianos in mari ecclesiastico. In falsificatores litterarum apostolicarum. Qui à iudicibus ecclesiasticis avocant causas spirituales, aut trahunt clericum ad tribunal laicale. In usurpantes jurisdictionem, aut fructus beneficiales. In vexantes Romipetas, aut eum qui illinc regreditur ob negotia ad Sedem apostolicam spectantia. Alii casus minùs usuales videri possunt in Opere (3); sed hinc tandem notandum quòd Clemens VIII. imposuit excommunicationem reservatam in absolventes à casibus Bullæ Cœnæ sine facultate (4).

(1) N. 298. — (2) n. 295. — (3) Lib. 7. n. 309. ad 311. — (4) n. 311. in fine.

PUNCTUM IV.

De suspensione, degradatione sive depositione, de
interdicto, et cessatione à Divinis.

I. De suspensione 64. 65. et 66. II. De depositione, et degradatione
67. III. De interdicto 68. 69. et 70. IV. De cessatione à Divinis 71.

64. — ET I. de suspensione. Suspendio est *censura quâ clericus functiones aliquas ecclesiasticas exercere prohibetur*. Certum est peccare graviter clericum exercentem functionem aliquam sibi ob suspensionem vetitam, nisi excusetur, aut quia exercet Ordinem non sacrum, aut sacrum, sed non solemniter, ut docent *S. Anton. Habert. Tourn. Salm.* etc. contra *Suar.* et *Navar.*, aut quia exercet illum ex ignorantia aut metu gravi, aut in parva materia; *Bonac. Tourn. Salm.* etc. (1) Hic quæritur 1. an incurrat irregularitatem clericus exercens actum à quo suspensus est? Multæ adsunt sententiæ, sed illa quæ mihi magis arridet cum *Ronc.* et aliis, sic distinguit: Si suspensio imposita est per modum statuti, aut præcepti ob delictum futurum, aut etiam præteritum, sed habens tractum successivum, tunc reus incurrit, juxta *cap. I. de Sent. et re jud. in 6.*; secus autem si suspensio lata est per sententiam in punitionem delicti omninò præteriti, quia tunc suspensio habet rationem meræ pœnæ, non jam censuræ; nam censura non potest imponi ob delicta omninò præterita (2), sicut diximus *num. 8.* Quæritur 2. an Episcopus suspensus à Pontificalibus incurrat irregularitatem, si ea exercet? Negant *Silv. Innoc. Abbas*; etc. dicentes quòd tunc Episcopus non exercet Ordinem sacrum; innitentes illâ sententiâ quòd Episcopatus non sit Ordo, licet opposita sit valdè probabilis cum *Bell. Sanch. Tourn.* et aliis (vide *Tom. III. Append. III. de Exam. etc. cap. II. n. 27. in fine*). Nihilominus negari non potest quin tale exercitium sit actus Ordinis sacri, sin distinctus, saltem extensus. Quòd si Episcopus suspensus celebraret Missam solemnem cum Pontificalibus, dicimus quòd peccaret, sed non incurreret irregularitatem, quia celebrando non exercet actum substantialem Ordinis episcopalis, sed solius sacerdotalis, à quo non est suspensus (3).

65. — Suspensus non toleratus invalidè exercet juris-

(1) *N. 313. v.* Est certum. — (2) *Lib. 7. n. 314.* — (3) *ibid. Dubit. 2.*

dictionem. Toleratus verò exercet validè, sed illicitè, si requisitus non est ab aliis; *Busemb. Salm.* etc. (1). Alii autem, etiamsi clericus esset nominatim suspensus, probabiliter dicunt ut *Suar. Castrop. Holzm. et Salm.* non teneri sub culpa gravi ad eum vitandum, et subjungunt esse omninò illicitum fidelibus audire Missam sacerdotis suspensi (2).

66. — Suspensio alia fertur ad tempus, alia in perpetuum. Alia est à beneficio, aut ab aliqua functione ipsius: alia ab officio, quæ comprehendit tam suspensionem ab Ordine, quàm à jurisdictione. Notandum 1. quòd suspensus absolutè, intelligitur suspensus tam à beneficio, quàm ab Ordine; *Laym. Busemb.* etc.; adeò ut suspenso tunc interdictum est quodlibet exercitium Ordinis, et jurisdictionis. Sed notandum cum *S. Thoma* (3), quòd suspensus ab Ordine, non proindè est suspensus à jurisdictione; et ita etiam dicunt cum communi *Suar. Nav. Tourn. Fagnan.* etc. quòd suspensus ab officio, non ideò est suspensus à beneficio, modò supplere faciat per alios functionibus officio debitis. Excipitur tamen si delictum sit enorme, *cap. 10. de Purg. Canon.*, aut si reus permaneret per annum suspensus, *cap. Cum bonæ, de ætat. et qualit. etc.* Notandum 2. quòd suspensus à beneficio non est suspensus ab officio. Quare tenetur ad Horas canonicas, et ad alia onera officii, licèt privatus sit fructibus. Hoc tamen non intelligitur, quando suspensio est ob delictum omninò præteritum, sed quando est imposita ob contumaciam, à qua suspensus possit libenter liberari; *Suar. Fill. Coninc.* etc. communiter. Imò dicunt *Tourn. Avil. Renzi,* etc. quòd si beneficiatus est occultè suspensus, et adimplet onera, potest sibi retinere illam partem fructuum, quæ spectaret ad substitutum (4). Suspensus autem à beneficio à proprio Episcopo, non intelligitur suspensus ab aliis beneficiis quæ extra dioccesim haberet, modò Episcopus non exprimeret; quia tunc, licèt illa beneficia non subdantur Episcopo, est tamen subjecta persona suspensi: *Tourn. Pont. et Renzi* (5). Dicimus præterea, cum sententia probabiliori *Suar. Laym. Antoine,* etc. contra *Bonac.* quòd si suspensus acquirit novum beneficium, collatio potest rectè irritari, sed non est nulla ex se, cùm id non sit expressum in lege; imò ex *cap. Cum bonæ, de ætat. et qualit. etc.* oppositum deducitur (6). Notandum 3. quòd

(1) *Ibid.* v. 4. Suspensus. — (2) n. 138. et seq. — (3) *Suppl. q. 22. a. 5.* — (4) *Lib. 7. n. 316.* — (5) *Ibid.* Dubit. 2. — (6) *Ibid.* Dubit. 3.

suspensio à beneficio non est interdictum præsentare, et conferre alia beneficia, licèt jus ei competat ratione ipsius beneficii; *Busemb.* etc. (1). Notandum 4. quòd, suspensâ communitate, non intelliguntur suspensæ personæ illius; sed sola communitas, quoad officia, et beneficia, quæ in communi illa possidet; *Bonac. Salmant.* etc. cum *S. Thoma*, etc. commun. Et si particulares exercerent functiones communitati vetitas, peccarent utique, sed non incurrerent irregularitatem, nam talis prohibitio non esset propriè censura; *Suar. Castr. Ronc. Salm.* etc. Quòd si suspensio est imposita tam communitati, quàm personis, tunc non incurrunt innocentes, *cap. 2. de Constit.* (2). Notandum 5. cum *Nav. Bon. Salm. Busemb.* etc., quòd si Prælati diceret oretenùs, *Ego te suspendo*, hæc potiùs dicenda esset prohibitio quàm suspensio; nam non præsumitur velle in hoc ille peccare, cùm vetitum sit Prælati suspendere sine scriptura (3). Notandum 6. quòd ex veriori, et communissima sententia *Suar. Sot. Laym. Sanch. Salm.* etc. (contra *Nav.*), suspensio totalis, nempe ab omni usu officii, aut ab aliquo illorum ad tempus notabile, non incurritur, nisi per peccatum mortale; secùs autem, si suspensio esset partialis, aut totalis ad breve tempus, v. gr. per aliquot dies, aut per hebdomadam, aut esset ferendæ sententiæ (4). Notandum denique quòd Episcopi, et omnes confessarii possunt absolvere à suspensione imposita ad tempus, aut conditionatè; tempore illo elapso, aut verificatâ conditione, ipsa ex se cessat (5). Qui verò desideraret scire suspensiones in particulari quæ in Ordinandos latæ sunt, videat in *Append. III. de Examine*, etc. num. 81. Suspensiones autem generales in jure adnotatæ sunt in Opere (6).

67. — II. De *depositione*, et *degradatione*. *Depositi*o, et *degradatio* non sunt censuræ, sed sunt suspensioni similes; hæc differentiâ tamen, quòd illæ auferunt jus radicale ad beneficia, et prohibent usum Ordinis in perpetuum, quod quidem non efficit suspensio. *Depositi*o alia est verbalis, et hæc propriè dicitur *depositio*, quæ relinquit privilegium Canonis, et fori: alia est realis, et hæc propriè dicitur *degradatio*, quæ privat exercitio officiorum, et privat beneficiis et privilegio Canonis, et fori, cum certa solemnitate, et ad semper, sine spe restitutionis. Dictum est, *exercitio*, quia Ordo non potest tolli: undè degra-

(1) *Ibid.* t. 6. *Suspensus*. — (2) *n.* 517. v. *Quando*. — (3) *Ibid.* v. 10. Si prælati. — (4) *Lib.* 7. *n.* 521. — (5) *n.* 522. — (6) *n.* 518.

datus tenetur ad votum castitatis jam emissum, et ad Horas canonicas, et invalidè contraheret matrimonium (1). Degradatio non potest celebrari nisi ab Episcopo, sed depositio potest fieri etiam ab ejus vicario: in depositione potest dispensare Episcopus, sed in degradatione solus Papa. Depositio non potest fieri nisi in casibus expressis in jure, et in delictis atrocioribus; degradatio autem fit tantùm in criminibus gravissimis, nempe hæresis manifestæ, calumniæ in proprium Episcopum, sodomix frequentatæ (2), et similium.

68. — III. De *interdicto*. Interdictum est censura quæ prohibetur usus divinatorum officiorum, aliquorum Sacramentorum, et sepulturæ ecclesiasticæ. Dividitur interdictum in locale, personale, et mixtum. Per locale prohibentur divina officia in loco dumtaxat: per personale certis personis aut communitati prohibentur: mixtum denique afficit immediatè et locum et personas. Dividitur etiam interdictum in generale, et particulare. Quando interdictum est generale, interdictâ civitate, interdicuntur etiam suburbia, et etiam ecclesiæ exemptæ Regularium, et tunc omnes tenentur illud servare etiam Episcopus, qui illud tulit, excepto Pontifice. Licitum est tamen civibus, qui causam non dederunt interdicto, aliò ire ad assistendum divinis officiis. Interdictâ parochiâ, interdictæ intelliguntur omnes capellæ, et cœmeterium contiguum; *cap. Si licitas, de sent. excomm.* (4). Interdicto populo, non interdicti intelliguntur clerici, peregrini, studentes, quia isti non sunt partes populi; DD. cum communi. Contrâ interdicto clero, non intelliguntur interdicti laici, *cap. Si sententia, de sent. excomm. in 6.*, nec Religiosi, nisi haberent officium, aut beneficium in illo populo, nec alii clerici qui ibi nullum habent officium. Ab interdicto generali personali eximuntur 1. Episcopi (qui exempti sunt etiam à suspensione generali). 2. Infantes, et amentes rationis expertes; sed hi etiam privantur sepulturâ. 3. Innocentes; sed tunc, cum domicilium alibi collocant. 4. Exteri, licèt ibi diutiùs incolant (4).

69. — Effectus interdicti sunt I. prohibitio divinatorum officiorum (intelliguntur illa quæ à clericis tantum exerceri possunt. et in loco deputato), quibus assistere nequeunt nec interdicti ob culpam aliorum. Clerici tamen qui non sunt interdicti possunt celebrare, sed clausis valvis, sine sonitu campanarum, et expulsis interdictis (modo

(1) N. 323. et 324. — (2) n. 326. et 327. — (3) Lib. 7. n. 330. — (4) n. 331.

denuntiati sint), *cap. Alma Mater, de Sent. excom. in 6.* Et si interdicti nolunt exire, debet cessari à celebratione sub pœna irregularitatis; sed advertunt *Suarez, Holzlm.* et *Mazzot.* hoc currere, quando celebratur in loco interdicto. Permittitur autem celebrare in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ, et in Octava Corporis Domini (1). II. Prohibitio administrandi Sacramenta, exceptis Baptismo (qui potest dari etiam solemniter), Confirmatione, et Pœnitentiâ, quæ omnibus permittuntur, præter eos qui dederunt causam aut favorem interdicto. Eucharistia autem potest præberi moribundis, et etiam Extrema-Unctio, ut dicunt *Suarez; Croix*, et *Dicastill.* contra *Salm.* et *Sanchez.* Item *Coninch.* et *Laym.* permittunt etiam matrimonium, et hoc est probabilius (contra *Suarez*) ex *c. Capellanus, de Feriis*, ubi dicitur quòd matrimonium possit contrahi quovis tempore (2). III. Prohibitio sepulturæ; sed clerici, modò non sint nominatim interdicti, possunt sepeliri in ecclesia, etiam cum Missa; si autem ecclesia esset specialiter interdicta, possunt etiam in illa sepeliri, sed sine Missa. Sed laïci non possunt sepeliri in ecclesia, et si fortè ibi sepulti sunt, exhumari debent (3). IV. Clerici qui violant interdictum in materia gravi, peccant graviter, et exercendo Ordinem incurrunt irregularitatem. Ita etiam Religiosi qui incurrunt insuper excommunicationem ipso facto. Laïci verò peccant mortaliter, si recipiant Sacramenta contra interdictum personale; sed si violant tantùm locale, v. gr. assistendo divinis officiis, probabilius dicunt *Laym. Bus. Sol. Silvest.*, etc. quòd peccant tantum venialiter, modò ipsi non sint specialiter interdicti (4).

70. — Possunt interdictum ferre omnes Superiores, qui possunt excommunicare. Ad interdicendum locum aut communitatem, requiritur peccatum nimis atrox, commissum à capite, vel à principalibus illius. Interdictum tamen ad breve tempus, et in ordine ad unum, vel alterum usum, potest incurri etiam ob peccatum veniale (5). Interdicta localia, et personalia in generali à jure communi lata et non reservata, possunt auferri ab Episcopis. Alia verò ab Episcopis lata, tantùm possunt ab ipsis, vel a Papa auferri. Ab interdictis autem de jure personalibus, et particularibus non reservatis, possunt absolvere quilibet confessarii approbati (6). Hic denique notandum, quòd

(1) N. 333. — (2) *Lib. 7. n. 314.* — (3) n. 335. — (4) n. 336. — (5) n. 337. — (6) n. 338. et 339.

cessandum est à *Divinis* in ecclesia, et pro interdicta ipsamet habenda est, cum ibi permittatur afferri stratum cuicumque personæ, quæ non sit regiâ dignitate fulcita, juxta Decretum quod retulimus *Tom. I. Tr. IV. n. 39.*

71. — IV. De *cessatione à Divinis*. Hæc definitur: *Prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis, et ab ecclesiastica sepultura.* Putant autem *Suar. et Fill.* posse Episcopum unum prohibere effectum, et non alium. Hæc cessatio non est interdictum, nec censura, nec imponitur per modum medicinæ ad removendam contumaciam, sed solum in signum mœroris, aut ad reparandam aliquam gravissimam injuriam Deo, aut Ecclesiæ irrogatam: et tenentur illud servare omnes cives illius loci, cui imponitur. Et dicunt communiùs *Sanch. Bon. Salm.* et alii, quòd tempore talis cessationis clerici privantur privilegio ipsis concessio tempore interdicti; conceduntur tamen illa Sacramenta, quæ permittuntur tempore interdicti. Cessatio imponitur ab eo qui potest imponere censuras, præcedente monitione: et ab ipsomet potest tolli, aut suspendi per aliquod tempus (1).

CAPUT III.

DE IRREGULARITATE.

PUNCTUM I.

Quid et quotuplex sit irregularitas.

Definitio 72. An irregularitas sit censura 73. Divisiones irregularitatis 74.

72. — IRREGULARITAS, licèt non esset censura, quia tamen cum ea valdè assimilatur, ei propterea annectitur; et definitur: *Est impedimentum canonicum susceptionem Ordinum sacrorum, et susceptorum usum impediens.* Itaque irregularis non potest nec Ordinem suscipere, nec susceptum exercere.

73. — Quæritur an irregularitas sit censura? Affirmant *Sot. Bon. Covar.* et multi alii, dicentes essentiam censuræ, nempe esse pœnam ecclesiasticam, æquè competere censuræ, et irregularitati. Alii autem communiùs, et probabiliùs, ut *Suar. Bon. Castr. et Salm.* cum aliis apud ipsos, id negant, dicendo esse illam impedimentum, sive inhabilitatem; et probant ex *cap. Quærenti, de verbor. signif.* ubi

(1) *Lib. 7. n. 340.*

interrogatus Innoc. III. quid intelligendum nomine censuræ? respondit: *Quòd per eam non solùm interdicti, sed etiam suspensionis, et excommunicationis sententia valeat intelligi.* Igitur præter has tres, nulla alia pœna dici potest censura (1). Et licet sit pœna, non est tamen medicinalis, nempe ad impedienda peccata futura; nam hæc imponitur ob peccata præterita, et est pœna merè punitiva.

74. — Dividitur irregularitas in eam quæ provenit ex *delicto*, et eam quæ provenit ex *defectu*. Item in *totalem*, quæ omni Ordine suscipiendo, et suscepti exercitio privat: et *partialem*, quæ tantùm aliquo Ordinis ministerio, vel solo ascensu ad Ordines superiores privat; v. g. si sacerdos esset manu carens, vel cæcus, esset inhabilis ad celebrandum, sed posset excipere confessiones.

PUNCTUM II.

Effectus irregularitatis.

Effectus 75. An irregularis possit acceptare beneficia 76. An possit accepta retinere 77.

75. — IRREGULARITAS I. inhabilem reddit ad suscipiendos Ordines, etiam primam Tonsuram, ut communiter DD. II. Impedit exercitium jam susceptorum, *cap. fin. de Temp. Ord.* ideòque irregularis illicitè, sed validè absolveret, etc. III. Impedit à recipiendis beneficiis.

76. — Sed quoad beneficia, quæritur 1. an nulla sit collatio beneficii facta irregulari, qui est inhabilis ad functiones ipsius beneficii? Sententia communior, et probabilior affirmat, et probatur ex *cap. 2. de Cleric. non ord. ministr.* et præsertim ex Trident. *sess. 22. cap. 4. de ref.* ubi dicitur: *Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem, et cæteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio.* Et ratio est quia beneficium datur propter officium, et qui est inhabilis ad Ordinis jam suscepti exercitium, debet judicari etiam inhabilis ad beneficium; ita dicunt *Suar. Bon. Tourn. Cabass. Salm.* cum aliis multis. Oppositam sententiam defendunt *Innoc. Silv. Laym. Viva, Elbel, Roncag. Diana, et Salm.* cum *Felin. Anchar. Giball.* et idem *Suar.*; sicut etiam *Bus.* rectè eam vocant probabilem: quia non est imponenda pœna, ubi nulla lex expressa habetur, et cum nullus adsit textus

(1) *Lib. 7. n. 341. r. Quær.*

evidens qui declaret irregularem incapacem beneficiorum, ideòque dicunt *Suarez, Tourn. Bon.* (1), quòd licèt peccet graviter in recipiendis, aut in retinendis illis sine dispensatione, tamen si per alios satisfecit beneficii oneribus, non tenetur ad restitutionem. Et respondent ad Canones, quòd ipsi illicitam declarant beneficii collationem irregularibus, non autem invalidam, et ad Tridentinum respondent, dicendo quòd ibi invalida declaratur collatio facta inhabilibus, sed tales non reputantur irregulares quoad validitatem. Sed hìc advertendum quòd licèt hæc sententia sit probabilis, tamen quia prima etiam est probabilior, stante communiore sensu DD. qui, ùt ait *Laym.*, est optimus interpret legum, qui ita interpretati sunt textus suprà citatos, non potest ideò in beneficii possessionem se intrmittere, quia nemo cum opinione probabili potest in possessionem alterius rei se ingerere (2). Sed contrà si bonà fide beneficium accepisset, obtentà dispensatione, potest illud retinere, quin in dispensationis petitione mentio facta esset de beneficio (3).

77. — Quæritur 2. an irregularis juxta præfatam sententiam possit sibi retinere beneficium? Quoad beneficia priùs obtenta, nulli dubium est, quin possit; nec debet eis à judice privari, si irregularitas provenit ex infirmitate, uti habetur ex *c. Ex parte, de Cler. ægrot.* Sed si irregularitas proveniret ex delicto, debet privari à judice; sed interim, nisi dispensationem obtineat, debet aut illud renuntiare, aut resignare saltem in favorem tertii; quia qui non potest licitè beneficii oneribus satisfacere, nec potest licitè illud sibi retinere; ita *Suar. Castr. Salm.* cum multis aliis (4).

PUNCTUM III.

Quomodo incurritur irregularitas.

Irregularitas debet esse expressa in jure 78. *Qui dubitat an sit irregularis* 79. *Qui dubitat an sit homicida* 80. *Quid requiritur ad irregularitatem ex delicto* 81. *Si delictum est omninò occultum* 82. *An requiratur scientia legis* 83. *An scientia irregularitatis* 84. *Quomodo tollenda est irregularitas in genere* 85. *De dispensatione* 86. *Quomodo tollitur irregularitas ex defectu* 87.

78. — IRREGULARITAS non incurritur nisi expressa sit in jure; *cap. Is qui, de sent. excomm. in 6.* ubi dicitur: *Cùm*

(1) *Lib. 7. n. 345.* — (2) *Ibid. in fine, et lib. 3. n. 761.* — (3) *Lib. 7. n. 342.*
— (4) *Ibid. v. Quær.*

id non sit in jure expressum, etc. Ideòque non debet extendi ultra casus expressos. Nomine *juris* intelliguntur tantùm jus pontificium, aut Concilia approbata à Papa. Hinc infertur quòd in materia irregularitatis non valet argumentum à *simili* nec à *majori ad minus*, ut communiter advertunt DD. Advertit tamen *Laym.* quòd in dubio an aliqua irregularitas sit nec ne expressa in jure, in hoc standum est communi sensui DD. et consuetudini (1).

79.— Quæritur 1. an habendus sit irregularis qui dubitat esse talem? Nomine dubii hìc intelligitur negativum, quia in positivo, ante diligentiam, quisque se debet existimare irregularem; *Sanchez, Suar. Castrop. et Salmant. cum Coninc. ex cap. illud, de Cleric. excomm.*, modò (dicunt *Salm. cum aliis DD. cit.*) non adsit aliqua gravis et urgens necessitas, v. gr. initiandi Ordinibus, aut beneficium suscipiendi: adhibitâ sufficienti diligentia, potest teneri pro non irregulari; *Suar. Castrop. et Salm. cum aliis.* Itaque difficultas restat in dubio negativo, et respondetur: quòd si dubium est juris, nempe an adsit vel nentalis lex quæ irregularitatem tali facto affingit, tunc in nullo foro censendus est irregularis, tùm ex dictis num. præcedenti, tùm quia in dubio nemo spoliandus est suo jure; ita commun. DD. *Sanch. Suar. Castr. Tourn. Hab.*, etc. (2). Si dubium est facti, nempe an commiserit tale delictum (homicidio excepto, de quo num. sequenti), duæ adsunt sententiæ. Prima affirmat cum *Concin. Tourn. Hab.* etc. ratione acceptâ ab homicidio, de quo in *cap. Ad audientiam, de Homic.* dicitur: *Cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Et ex hoc regulam statuunt generalem, in omni materia sequendam esse tutiorem. Secunda sententia communis, et verior negat, et hujus sententiæ sunt *Suar. Cabass. Ronc. Castrop.*, etc. et *Salm. cum multis aliis.* Ratio est quia odia sunt restringenda, et in dubio nemo damnandus est. Ita ex *Reg. Favorabiliores, ff. de Reg. Jur.* et ex *c. Cùm sunt, eod. tit. in 6.* ubi dicitur: *Cùm sunt jura partium obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori.* Et ratio deducitur ab eo quod mox diximus; nam dùm dubitatur an dispositio de homicidio valeat ad alias materias, jam dubium est juris, in quo dubio etiam adversarii concedunt non incurri, dùm in præfato *cap. Is qui, de sent. excomm. in 6.* declaratur quòd nulla irregularitas incurritur,

(1) *Lib. 7. n. 345.* — (2) *Lib. 7. n. 346.*

nisi expressa sit in jure, et ad *cap. Ad audientiam* respondetur, quòd ibi voluerit Pontifex decentiæ motivo uti, quæ tanti Sacrificii dignitatem decet, ut ab altari repellatur qui dubitat esse homicidam: et quòd hoc erat decentiæ, et non præcepti apparet ex *cap. Petitio tua, de Homicidio*, ibi dicitur: *Cùm sit consultius in hujusmodi dubio (homicidii) abstinere, quàm temerè celebrare.* Qua de re quod in hoc loco consilii erat, voluit Pontifex ut in alio capite in præceptum transiret (1).

80. — Quæritur 1. an dubitans se esse homicidam, debeat semper censi irregularis? Alii dicunt in foro externo se gerere debere uti irregularem, non autem in interno; ita *Innoc. Salm. Sanch.*, etc. Alii verò dicunt universaliter in neutro foro censendum esse irregularem, *Host. Arm. Tab.*, etc.; sed communis et verior *Castrop. Bonac. Bon. Sanchez*, et *Salm.* cum multis aliis, tenet censendum esse irregularem in utroque foro. Nam ratio adducta in *cap. Significasti, c. Ad audientiam*, et in *penult. de Homic.*, nempe quòd in dubio tutior pars eligenda est, utrumque forum comprehendit. Notandum primò quòd hoc currit quando homicidium est certum et solum dubitatur an actio percussoris fuerit causa illius. Si verò dubitatur an homicidium factum sit, nec ne, tunc valde rationabiliter dicunt *Pichl. Elbel, Dian. Tamb. et Spor.* non esse censendum irregularem. Ideòque dicit *Diana*, cum *Navarro, Menochio*, et *Quarant.* quòd si medicus venam secuerit prægnanti, ut illa abortiretur, et postea ignorat an abortus nec ne evenerit, non est censendus irregularis, quia habetur in *lib. 1. §. item illud, ff. Ad Syllam*, quòd non procedendum est ad pœnam, nisi constet de delicti corpore. Secus autem si pharmaca essent ita efficacia, ut communiter ab eis soleat effectus consequi; ita *Navarr. Mascard. ex l. ult. de Fide instrum.* vide dicta *Tom. I. Tr. VIII. n. 22.* Notandum 2. quòd dubitans de homicidio debet uti talem se gerere in duobus effectibus, nempe in abstinendo à celebrando, et in petenda dispensatione: quare infertur 1. quòd laïcus non incurreret talem irregularitatem; *Salm. et Roncagl.* 2. Quòd clericus non incurrit privationem beneficiorum; *Sanch. Suar. Roncagl. Salm. et Castrop. cum Panor.*, etc. 3. Quòd dubitans de mutilatione non est censendus irregularis; *Sanchez, Bon. Ronc. Salm. et Suar.* contra *Nav. et Henr.* (2).

81. — Ad incurrendam irregularitatem ex delicto, actus

debet esse externatus, et mortalis; quia irregularitas est pœna gravis cui difficulter relaxatur. Undè infertur, 1. quòd si actus ob aliquam circumstantiam excusatur à peccato mortali, excusatur etiam ab irregularitate. 2. Quòd præceptum sub pœna irregularitatis ad grave peccatum obligat. 3. Quòd actus debet esse exterior; ideòque cùm dicitur dispensare in irregularitate mentali, intelligitur occulta; *Castrop. Conc. Aver.* et communis cum *Salmant.* 4. Quòd actus debet esse consummatus (1).

82. — Quæritur hic 1. an ob delictum externè consummatum, sed omninò occultum, incurratur irregularitas? Tres adsunt sententiæ, sed verior affirmat de omni delicto; quia Ecclesia sibi reservat delicta etiam occultissima, ut est hæresis occulta omninò (ut dictum est num. 53. in fine). Et quòd reverà ob delicta occulta incurritur irregularitas, apparet ex *Trid. sess. 24. cap. 6. Liceat*, ubi conceditur Episcopis facultas absolvendi ab irregularitatibus occultis, et inter ista fit mentio hæresis, et homicidii occultorum, et sicut pro hæresi et homicidio occultis incurritur excommunicatio, ita pariter dicendum de aliis criminibus (2). Quinam autem possint dispensare in his, vide *Tract. XX. de Priv. Tom. III. n. 51. 52. 106. et seq.*

83. — Quæritur 2. an ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia legis ecclesiasticæ prohibentis? Sententia probabilior, et communissima (contra *Suarez, Azor. Holzm. et Felin.*) affirmat cum *S. Antonin. Ronc. Castr. Navar. Silv. Sanch.*, etc. et *Salmant.* cum multis aliis; quia talis irregularitas habet rationem pœnæ; et cùm sit pœna, requiritur scientia saltem legis prohibentis. Et hoc probatur ex *cap. Proposuisti, Dist. 42.* ubi Innoc. I. decrevit non deponendos fore quosdam clericos incontinentes, quia ignorabant Constitutionem Siricii Papæ: undè *Castrop. Viva et Salm.* cum aliis affirmant, quòd si quis etiam ignoraret homicidio affixam esse irregularitatem, et homicidium committeret, non fieret irregularis: non ratione delicti, quia requiritur scientia; non ratione defectûs hanc enim incurrunt tantùm ministri justitiæ, vel cognitionis causæ, vel executionis pœnæ. Nihilominùs quoad homicidium, sententia satis probabilis et tenenda est quòd incurrit, quia hæc irregularitas non tantùm respicit delictum, aut defectum, sed etiam indecentiam; quæ postulat ne admittatur ad sacrificandum in altari Dei

(1) N. 548. — (2) Lib. 7. n. 549.

Agnum mansuetissimum per manus ministri sævi, et crudelis; ideòque Trid. sess. 14. c. 7. *de reform.* antequam reservet irregularitatem ex homicidio, adducit rationem quòd repellendus est ab altari homicida: *Cùm etiam* (sunt verba Trid. mutuata à cap. 21. *Exod.*) *qui per industriam occiderit proximum suum...*, *ab altari avelli debeat.* Quis non videt Concilium ostendere ipsiusmet naturæ legem expostulare hujusmodi ministros etiam per vim expellendos esse ab altari (1)? Hoc non obstante, non audeo reprobare sententiam oppositam, dùm hic casus non est expressus in jure.

84. — Quæritur 3. an ultra scientiam prohibitionis ecclesiasticæ, requiratur scientia irregularitatis? Duplex est sententia: prima est *Suar. Laym. Croix, Tournel. Pont. Sot. Vasq.*, etc., quæ negat, quia irregularitas non est pœna medicinalis, sed inhabilitas, sive pœna merè punitiva; quare sufficit ut talis pœna sit imposita à lege illi actui, et ut reus scienter et culpabiliter illum patraverit. Secunda sententia etiam probabilis affirmat; nam irregularitas ex delicto cùm sit vera pœna, et extraordinaria, ideòque cùm prævideri non possit, ac præcognosci solet saltem in confuso pœna ordinaria, non censetur Ecclesia tanto rigore velle ignorantiam punire (2); et sic tenent *Silvest. Sanch. Ronc. Boss. Coninch. Sayrus, Cornejus, Rodriguez;* et *Salmant.* putant probabilem hanc sententiam æquè ac primam; et *P. Suarez* etiam probabilem vocat.

85. — Irregularitas multifariam tolli potest. I. Si cessat causa, cùm irregularitas est ex defectu, v. gr. ætatis, ignorantia, etc. *Suarez, Laym. Tourn.* etc.; cùm verò irregularitas provenit ex infamia, si hæc est popularis, per emendationem tollitur, *Can. 4. et 18. Dist. 56.* Si infamia est facti, tollitur per loci mutationem; *Tourn. et Ronc.*; sed si infamia est juris, nempe per judicis sententiam, pro hac requiritur dispensatio. II. Si proveniret ex delicto, tollitur per Baptismum; undè qui ante Baptismum commisisset homicidium, non erit ampliùs irregularis; *Salm. cum Coninch. et Laym.* III. Per Pontificis dispensationem. IV. Per professionem religiosam (3). Quando et quibus in casibus possunt dispensare Episcopi et Regulares, vide *seq. Tract. XX. de Priv. n. 51. et 106. et seq.*

86. — Plura notanda sunt circa dispensationem. I. Dispensatio Pontificis sine causa est valida, sed illicita; ab inferiore autem est invalida. II. Qui plures irregularitates

(1) N. 350. — (2) *Lib. 7. n. 351.* — (3) n. 352.

ejusdem speciei incurrit, in dispensatione sufficit exprimere se pluries illam incurrisse. III. Si prælatus, qui facultatem habet dispensandi, scienter admittit irregularem ad beneficium, censetur dispensare cum illo; *Bonac. Salm.* cum aliis, etc. (1).

87. — In irregularitate ex defectu solus Papa potest dispensare, et ille qui de hoc speciale privilegium habet. Irregularitas ex defectu natalium potest tolli per professionem religiosam, quoad Ordines, sed non quoad prælaturas; ita commun. DD. tùm ex *cap. 1. de Fil. presbyt.*, tùm ex concessionibus Gregor. XIV. Clem. VIII. et Pauli V. Dicunt autem *Diana, Barbos. Castrop.*, etc. quòd Prælati regulares possunt dispensare ad prælaturas in Capitulis generalibus aut provincialibus. Per *prælaturas* non venit Episcopatus; *Bonac.* et *Tourn.* Præterea omnes DD. (excepto *Soto*) dicunt verum non esse per professionem in religione approbata auferri omnes irregularitates (2). Quoad alias facultates Regularium, vide *Tract. XX. de Priv. num. 106. et seqq.*

PUNCTUM IV.

Quænam sint irregularitates ex delicto.

I *Ob Sacramentum* 88. II. *Ob violationem censuræ* 89. III. *Ob exercitium solemne, etc.* 90. IV. *Ob illicitam Ordinum susceptionem* 91. V. *Ob delicta enormia* 92. VI. *Ob homicidium* 93. *De homicidio voluntario* 94. 95. et 96. *De mandantibus, consilium dantibus, etc.* 97. et 98. *De coöperantibus* 99. *De ratihabentibus* 100. *De non impediens* 101. *De homicidio casuali* 102. ad 103. *Qui occidit ob defensionem* 106. *Qui occidit ad tuenda bona* 107. *De homicidio in rixa* 108. *De mutilatione* 109. et 110. *De dispensatione, remissivè* ad 111.

88. — PRIMA oritur ob Sacramentum Baptismi non ritè susceptum; ideòque irregularis est, 1. qui sine necessitate recipit Baptismum ab hæretico, *can. Placuit, q. 4.*; sed intelligitur si illum recepit in adulta ætate; nam contrà declaravit S. C. Conc. 21. Maji 1761. non esse irregularem puerum qui baptizatus fuit ab hæretico. 2. Filius hæretici, *c. Statutum, de hæret. in 6.*; sed si postea parentes ad catholicam Fidem conversi sunt, tollitur irregularitas; *Suar. D. 43. Sect. 3., etc.*, et ita declaravit S. C. præfatò die. 3. Qui differt Baptismum usque ad periculum mortis, *c. Si quis, D. 57.* 4. Qui scienter bis baptizatur solemniter, et hanc incurrunt tam rebaptizatus, si est adultus, *cap. 4.*

(1) N. 353. v. Hic notand. — (2) Lib. 7. n. 354.

Confirmandum. Dist. 50 quàm rebaptizans, juxta communem DD. ex c. *Ex litterarum*, ubi declaratur irregularis acolythus assistens rebaptizationi. Excusant DD. si hoc fieret metu, sed nemo excusat si id faciat ex ignorantia culpabili, *can. Quibus, de Conseq. D. 4. (1).*

89. — *Secunda* est ob violationem censuræ, cùm qui ligatus est censurâ, solemniter exerceret Ordinem sacrum. Dictum est *solemniter*, v. gr. si diaconus cantaret Evangelium cum stola et manipulo, aut si Capitularis hebdomadario fungens in choro, cantaret: *Dominus vobiscum*. Et si is esset innodatus duplici censura, unam incurreret irregularitatem duabus æquivalentem, sed in postulatione dispensationis exprimi debet, *Tourn.*, etc. (2). Advertendum quod non fieret irregularis qui solâ excommunicatione minore ligatus esset, *cap. Si celeb. de Cler. exc. min.*; nec qui exercet minores Ordines, etiam solemniter: *Laym. Nav. Salm.*, etc.; et de hoc non ampliùs videtur dubitandum post Bullam. *Etsi pastoralis* Bened. XIV. (in tom. 1.) de Dogm. et Rit. ab Italo-Græcis, etc. ubi § 7. n. 9. dicitur: *Promoti ad primam Tonsuram vel ad alium quemcumque Ordinem sine dimissoriis, etc. suspensi sint; et si suspensi in sacris Ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares sicut et Latini*. Nec qui concionatur, nec qui exercet actus jurisdictionis, nempe excommunicandi, confessarios approbandi beneficia conferendi, assistendi aut licentiam assistendi matrimonio alteri dandi, officium cantandi, aut vota dispensandi (3). Nec fit irregularis qui celebrat in ecclesia polluta; fit autem qui in interdicta celebrat, c. *Is qui, de sent. exc. in 6.* Contrâ advertendum quod Episcopus, aut alius sacerdos qui cogeret censuratum ad celebrandum, fieret irregularis, c. *Illud, de Cler. exc. min.* Sed ab ipsa possunt dispensare Prælati regulares, licèt esset publica; et etiam cum sæcularibus ex privilegio Martini V. et Julii II. (4).

90. — *Tertia* est quando clericus exercet Ordinem sacrum quem non habet, *cap. I. de Cler. non Ord.*, putà si quis clericus diaconatu non initiatus Evangelium cum stola cantaret, baptizaret solemniter, etc. An autem si laicus tales functiones exercet, dictum est quod probabiliter non incurrit irregularitatem (5).

91. — *Quarta* incurritur propter Ordines non ritè susceptos; undè 1. est irregularis qui ordinaretur ab Epi-

(1) *Lib. 7. n. 356.* — (2) *n. 357.* — (3) *n. 342. ad 2. et n. 358.* — (4) *Ibid. v. Notand. II. et III.* — (5) *Lib. 7. n. 359.*

scopo suspenso, hæretico, schismatico, aut simoniaco, *c. Quod quidem, et can. Statuimus 1. q. 1. et c. 1. et 7. de Schism.* ubi dicitur quòd ad hujusmodi ordinationes requiritur dispensatio. Et constat etiam ex cit. Bulla *Etsi pastoralis* Bened. XIV. §. cit. num. 15, ubi dicitur quòd Ordinati ab Episcopis schismaticis, non ministrent, *nisi cum ipsis super irregularitate auctoritate sanctæ Sedis apostolicæ fuerit dispensatum.* 2. Qui cum excommunicatione, aut suspensione, initiatur Ordinibus sacris, aut se promoveri facit ab Episcopo non proprio, aut ordinatur per saltum (*Avila, Nav. Bon. et Bus.* dicunt tamen quòd iste tantùm suspensus est ab exercitio Ordinis recepti per saltum) aut ante ætatem, aut sine litteris dimissorialibus, et hæ ordinationes appellantur à DD. furtivæ. Advertunt tamen *Suar. Castr. et Salm.* quòd hæ potiùs dicendæ sunt suspensiones, ne ad Ordines superiores ascendi possit; affirmant tamen hanc absolutionem impetrandam esse à Papa, Hinc ob furtivam ordinationem fiunt irregulares, 1. qui ordinatur sine approbatione Episcopi, *cap. 3. de eo qui furt.* 2. Qui eodem die plures Ordines reciperet, quorum unus esset sacer, sine dispensatione Papæ, *c. 2. et 3. eod. tit.* 3. Qui recipit Ordinem sacrum post matrimonium ratum, invitâ uxore, *Extrav. Antiqua, de voto (1).*

92. — *Quinta* incurritur propter enormia crimina, si sint notoria, quæ à jure inducunt infamiam, prout sunt adulterium, incestus, perjurium in judicio, hæresis, concubinitus, sodomia, etc. *c. Infames 6. q. 1.* Ad incurrendam hanc irregularitatem oportet ut crimen sit notorium notorietate facti, et juris. Dicitur notorietas facti, cum delictum est ita evidens, ut non possit ullâ tergiversatione celari: ideòque requiritur ut saltem sit notum decem personis. Infamia juris habetur, aut rei confessione, aut judicis sententiâ, saltem criminis declaratoriâ; *Sanch. Castr.* cum aliis (2). Hæc irregularitas tamen tollitur per Baptismum, aut per emendationem notoriam saltem per tres annos (3). Sed si infamia provenit propter judicis sententiam, potest ab ipsomet per aliam sententiâ tolli, quâ reo fama amissa restituitur (4).

93. — *Sexta* oritur ex homicidio, aut ex injusta mutilatione. Ex homicidio tam si sit voluntarium, nempe directè volitum, aut indirectè in causa proxima homicidii, ut dando venenum; quàm si sit casuale, nempe volitum in causa, sed non proxima homicidii, modò istud sit

1) N. 360. et 361. — (2) n. 365. — (3) Lib. 7. n. 564. — (4) *Ibid.* r. Episcopus.

prævisum, et negligentia graviter culpabili non impeditum. Advertendum hic quòd quicquid dicitur de homicidio, totum valet de mutilatione (1).

94. — Quoad homicidium *voluntarium*, certum est esse irregulares omnes qui sunt causa immediata mortis alicujus, *c. Si quis, de Homic. et Trid. sess. 14. c. 7.*

95. — Quæritur 2. an homicida, antequam percussus moriatur, si se pœnitet, excusetur ab irregularitate? Negatur cum sententia veriore *Sanch. et Viva (contra Salm.)*, causa enim physica, quæ voluntariè posita est, necessario operatur; undè propinato veneno, non ampliùs est in ejus potestate efficere ne illud mortem inferat. Ideòque rectè *Suar.* non excusat mandantem ab irregularitate, si casu mandati revocatio non pervenit ad mandatarium (2).

96. — Quæritur 2 an sit irregularis qui fuit primus ad vulnerandum lethaliter, si vulneratus postea sit occisus ab alio? Affirmant *Fagn. Cov. et Ugol.* argumentum sumentes ex *cap. Significasti*, ubi Papa respondit non esse percussorem irregularem, si leviter percussit; secùs verò, si lethaliter. Sed negant *Laym. Bon. Avil. Coninch. Mol. et Escob.* cum *Henr.* dùm *cap. Significasti* non obstat nostro casui; nam ibi agebatur quòd ambo percusserant, et nesciebatur cujus vulnere mors evenisset, ideòque respondit, si primus leviter percusserat, non erat irregularis. Sed casus noster est quòd licèt primus lethaliter percusserit, mors tamen certè illata fuit ab alio; undè in jure cùm nulla adsit decisiò, ideò potest excusari. Hoc nihilominùs non currit, si sciretur quòd secundus tantùm mortem accelerasset, sed etiamsi iste non percussisset, ille utique mortuus esset: v. gr. si primus gravissimè vulnerasset eum in capite, etc., tunc non posset ab irregularitate excusari (3).

97. — Sunt etiam irregulares omnes mandantes et consilium dantes, *cap. Si quis viduam, Dist. 50. cap. Significasti*, et *cap. Sicut, de Homic.* Sed mandans et consilium dans non fiunt irregulares, si homicidium alia de causa patratum fuisset, *Sanch., Viva* (4). Quando autem dubitaretur an mandatum, aut consilium fuerit causa efficax homicidii, multi DD. ut *Sanch. Salas, Nav. Salm.*, etc. non excusant; tùm quia possidet mandatum, aut consilium, donec contrarium non probatur, tùm ex *cap. Ad audientiam*, quòd in dubio homicidii tutior pars sequenda est, ut, si postea dignoscatur homicida, evitetur indecentia,

(1) N. 565. et 566. — (2) n. 568. — (3) Lib. 7. n. 569. — (4) n. 570.

et scandalum; et ita de mandante aut consulente dici debet. Sed excusant *Diana*, *Sporer*, et *Tamb.* quia leges loquuntur de illis qui certè sunt homicidæ causâ mandati aut consilii, non autem de illis de quibus dubitatur an sint causa illius, undè videtur quòd hæc secunda sententia non possit dici improbabilis (1).

98. — Sed si consilium antequam executioni datum sit, revocatum esset, licèt *Nav.* et *Bon.* cum *Azor.* velint etiam incurri, quia licèt illud sit revocatum, etiam influit; attamen *Suar.* (qui dicit esse commune) *Silv. Filib. P. Nav. Avil. Salas* eum excusant, quia ut excusetur consilium dans sufficit, ut sicut suo consilio concurrat moraliter in homicidium, ita, eo revocato, influxum moralem removet; et tunc homicidium potiùs imputatur malitiæ executoris, quàm consiliiarii; modò tamen revocatio sit homicidæ notificata antequam crimen patraretur; et pariter, modò consilio suo non insinuaverit motiva, aut modum illud exequendi, quia tunc probabiliùs incurritur; licèt, hæc ultimâ limitatione non obstante, improbabilem non censeo oppositam sententiam *Suar.*, juxta dicta *Tom. I. Tr. X. n. 48.* (2).

99. — Incurrunt etiam omnes coöperantes, ut homicidium celerius, audacius, aut securius fiat: ideòque irregulares sunt 1. qui excitant ad citius patrandum homicidium eum qui jam paratus erat ad illud committendum, quia reverà directè est causa cur homicidium pro illo tunc fiat (3). 2. Omnes qui ad homicidium se excitant, licèt unus occidat. 3. Omnes qui præliantur in bello injusto, si ibi aliquis pereat, licèt quis certò sciat se non vulnerasse, nec sclopetum explosisse. 4. Qui ministrat arma aut pecunias ad homicidium, aut bellum injustum patrandum. 5. Accusatores, testes et iudices injusti. 6. Qui verbis, aut suâ assistentiâ homicidæ animum præbet (4).

100. — Quæritur 1. an sit irregularis qui ratum habet homicidium patratum in suâ gratiam? Negatur cum sententia communi et veriøre *Suar. Bon. Escob. Avil. et Salm.* cum aliis, contra *Nav.*, etc., quia in nulla lege reperitur talis irregularitas; verum est quòd ratihabitio æquivalet mandato quoad culpam, sed non expressa est in lege, prout expressa est excommunicatio in eos qui ratam habent clericorum percussionem (5).

101. — Quæritur 2. an sit irregularis, qui cum possit homicidium impedire, culpabiliter non impedit? Certum

est quòd si obligatio est charitatis, etiãsi odio id negligat, non fit irregularis; ita communiter *Suar.*, *Bon.*, etc. Dubium restat, si teneretur ex justitia, nimirum ex pacto aut officio, v. g. medici, qui ad id recipit stipendium; advocati qui tenetur defendere reum; custodis viarum, etc. Multi DD. ut *Ronc. Hurt. Vasq. Turr. Diana*, etc. negant huñc fieri irregularem, quia negativè influit in homicidium; alii verò communiùs, ut *Nav. Suar. Castr. Bon. Esc.* cum aliis, et *Salm.* cum pluribus aliis affirmant; quia qui ex justitia tenentur, et possunt defendere, videntur esse veri homicidæ, si non physicè, saltem moraliter. Hoc non obstante prima sententia etiã videtur probabilis, ex principio generali: quia ex sacris Canonibus non constat esse irregulares, nisi solos homicidas, mandantes, consiliatores, et qui positivè concurrunt. Præterea *Tourn*, et *Escob.* excusant patrem, si suã negligentia in cunis puer fuisset mortuus deducentes ex *c. Quesitum, de pœnit. et rem.* ubi declarantur irregulares dumtaxat patres qui scienter negligunt impedire puerorum suffocationem in cunis (1).

102. — Quoad homicidium *casuale*, fit irregularis qui aliquã suã actione prævidet periculum mortis alterius, et culpabiliter negligit prospicere tali periculo; DD. communiter et apparet ex *Clem. Si furiosus, de Homic.* Dictum est *culpabiliter*, quia cum hæc irregularitas sit ex delicto, requiritur peccatum mortale, ut communiter *Suar. Bon. Tourn. Conc.*, etc. (2).

103. — Qui vero daret operam rei licitæ, adhibitã sufficienti diligentia, ne accideret homicidium, non fieret irregularis, licet indè accidat mors; ita communiter DD. cum *S. Thoma* (3): et patet ex *cap. Joannes, c. Dilectus*, et *c. Ultimo, de Homic.* Secùs autem, si sufficiens diligentia negligatur; *cap. Presbyterum*, et *cap. Ad audientiam, de Homic.* Dicitur sufficiens illa diligentia, quæ adhiberi solet à quolibet prudente, juxta facti qualitatem. Et advertendum quod negligentia debet esse culpabilis mortaliter, ut comm DD. et probatur ex *cap. Quesitum, de pœnit. et rem.* et ex *c. fin. de Homic.* Vide dicta *n. præc.* 81. (4). Hinc infertur non esse irregularem 1. magistrum qui moderatè verberat discipulum, et patrem qui verberat filium, si casu accidat mors; secùs verò, si excederet graviter, *cap. Presbyterum*, et *cap. fin. de Homic.* 2. Qui equitando equum ferocem, casu puerum occidit, *cap. Dilectus I. de Homic.* 3. Qui animal ferox cautè custoditum tenet, si illud casu

fugit, et aliquem necat; secùs, si illud in via teneret, aut suâ negligentia fugeret; *Salm.* cum aliis. 4. Qui tectum reficiens, postquam viam præterredientes admonuerit, tabulas aut lapides projiceret; *Salm.* etc. 5. Qui bonâ fide infirmo aliquid cibi, vel potûs præberet, aut si ab uno ad alium lectum eum transferret, aut eum volveret, etc. et infirmus decederet; ita communiter omnes. 6. Si sacerdos jubet incisionem alicujus membri, jam à medico præscriptam, modò illam non faciat per seipsum, *Cabas.* Imò *Conc.* excusat clericum qui chirurgum coadjuvat ad membri incisionem. Et *Nav.* et *Cov.* (et *Salm.* putat probabile) dicunt non esse hunc irregularem, licèt in animo habeat ut infirmus citò deficiat; quia licèt peccatum mortale adsit, deest tamen actio externa graviter injusta. Ego autem subjungo, modò adhibeatur diligentia ad vitandum mortem (1). 7. Medicus, si casu è vivis decedit infirmus ob pharmacum ei præstitum, *c. Ad aures, de ætat. et qualit. Ord.* Et hoc procedit, etiamsi esset clericus vel monachus; modò I. sit peritus; aut bona fide id faciat, præbendo aliquid infirmo in remedium, aut levamen. II. Si est clericus, modò medeatur sine incisione vel adustione, *c. Sententiam, Ne Cler. vel Monac.* et si, non obstante incisione, aut adustione, infirmus vi mali aut ob aliam causam obiret, eum ab irregularitate excusant *Castr.* et *Salm.* cum aliis. Imò communiter dicunt *Castr.* *Tourn.* et *Salm.* cum multis aliis, quòd si nullus alius peritus adesset, poterit tunc clericus, vel monachus sine peccato et ab irregularitate immunis incisionem facere, et ignem applicare. Et etiamsi clericus esset beneficiatus, si incisionem aut adustionem sine necessitate adhiberet, non censetur irregularis juxta sententiam veriore *Tourn.* cum *Pontas,* *Giball.* *Bon.* et *Mol.* (contra *Nav.* et *Panorm.*), quia in *c. Sententiam* fit mentio de solis clericis in Sacris (2).

104. — Si quis unquam daret operam rei illicitæ, sed non periculosæ mortis, adhibitâ sufficienti diligentia, non fit irregularis, licèt aliâ viâ peccet, v. gr. si quis induceret alium ad furandum sine periculo; et iste mero casu occideretur, quia tunc non est causa homicidii, cum nec directè illud voluerit, nec indirectè illud præviderit; ita communiter DD. contra *Palud.* et *Gabrin.*, qui citant *S. Thomam* 2. 2. q. 64. a. 8., sed perperam, nam ibi Sanctus intelligit de eo qui aliquid homicidii periculosum facit, ut videre est ex respons. ad 1. et 4. Et Canon. *Cler.*

(1) n. 382. v. 4. Qui infirmo, et fusiùs 384 et lib. 3. n. 398.—(2) Lib. 7. n. 38.

jacen. et c. Eos verò, D. 50. intelliguntur de homicidio casuali, sed directe vel indirectè volito, ut deducitur ex Clement. de Homicid. (1).

105. — Majus dubium restat, an fit irregularis, qui dat operam rei illicitæ, sed mortis periculosæ, sit mors evenit? Duæ sunt opiniones probabiles. Prima affirmat, et hanc tumentur *Suar. Navar. Mol. Conc. Avil., etc. inducti ex cap. Tua nos, de homicidio*, ubi irregularis declaratur monachus peritus, qui incisit apostema cujusdam mulieris, quæ suâ incuriâ obiit. Sed secunda sententia, quam docent *Castrop. Tourn. Laym. Spor. Tamb. Elbel, Bonac. Salm.* cum aliis pluribus, probabilius dicit, quòd si opera esset ita periculosa, ut ex illa plerùmque eveniat mors, (ut est accendere bombardam), tunc incurritur irregularitas; quia quantalibet diligentia adhibeatur ad mortem vitandam, non potest effici ut illa opera proximè periculosa, talis non sit. Idem currit de eo qui præliatur in bello, aut inducit alium ut se periculo mortis temerè exponat. Secùs autem, si opera rarò mortem inducit, et debita diligentia adhibeatur, quia tunc homicidium non est voluntarium, nec in se, nec in causa. Ad textum *Tua nos*, respondetur, quòd monachus irregularis declaratus fuit, quia incisione per *c. Sententiam* vetità usus fuit. Nec obstat *c. Continebatur, de Homic.* quòd opponitur, ubi irregularis declaratus fuit quidam diaconus qui ferendo latentem falcem, et cum altero ludendo fuit causa, ut hic eam amplexans à falce feriretur, et mortem subiret; quia is diaconus habitus est irregularis in foro externo, cum judicatum fuerit eum in debita diligentia defecisse; quare *Suar. Bonac.* dicunt, quòd si iste illud periculum non animadvertisset, in conscientia non tenebatur ad se tenendum irregularem (2).

106. — Non est irregularis qui occidit ut se defendat, quando est moderata defensio, *c. Significasti, §. fin. de Homic. et c. Clement. Si furiosus, eod. tit.* ubi dicitur: *Et idem (nempe non incurri irregularitatem) de illo censemus, qui mortem aliter evitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* Et licèt adversari videatur *Trid. sess. 14. cap. 7.* dùm requirit dispensationem pro homicidio casuali, etiam pro defensione patrato; attamen dicitur cum *Ronc. Salm.* et cum *Decr. S. C. Concil.* intelligi de eo qui excedit, ut exprimitur in cit. *Clement.* Præterea *Suar. Ronc. Less. Bonac. Filliuc. etc.* excusant etiam

(1) N. 586. — (2) *Lid. 7. n. 387.*

qui occidit injustum invasorem innocentis; dùm irregularitas ex homicidio contrahitur ob peccatum mortale, ut deducitur ex *cap. Ex litteris, de Homic.* Probabiliter autem dicunt *Ronc. Suar. Salm.* etc. esse irregularem illum qui conviciis et percussionibus provocaret aliquem, prævidendo periculum invasionis, si postea ob defensionem occidit aggressorem: quia tunc jam ponit actionem proximè periculosam. Ita etiam si adulter prævidendo aggressionem, adit concubinæ domum, ubi (postquam in se invasum est) ut se defendat occidit virum illius; aut si vir occideret uxorem, et adulter prævidisset hoc damnum (1).

107. — Quæritur 1. an sit irregularis qui occidit pro defendendis libertate, honore, pudicitia aut bonis temporalibus? Duæ adsunt sententiæ. Prima est affirmativa, quam tenent *Laym. Tourn. Spor. Navar. Silv. Armil. Fag.* etc. et probant ex *cap. Suscepimus*, in quo declaratus fuit irregularis quidam monachus qui occidit duos latrones; et etiam ob defectum lenitatis. Negat tamèn sententia communiór et probabilior, quam tuenlur *Suarez* (qui vocat communem) *Less. Castr. Filliuc. Bonac. Holzm. Elbel, Ronc. Barbosa, et Salm.* cum multis aliis. Et probatur ex *cap. Quia te, D. 50.* ubi quidam Episcopus captivus factus à Sarracenis, ad suam libertatem tuendam occidit multos, et postea declaratus fuit immunis ab irregularitate ab Urbano II.; et *Boverius* ad annum 1571. n. 6. et *Raynaud.* asserunt quemdam Capuccinum nuncupatum P. Anselmum de Petramellara à Turcis captum, qui, se ut ipse liberaret, septem Turcas interfecisset, à S. Pio V. immunem ab irregularitate declaratum fuisse. Item ex *cap. Interfecisti*, ubi ab irregularitate eximitur qui occidit *ad defendendum se et sua*, illud et significat *vel*, aliàs nemo posset defendere se solum, nisi etiam defenderet bona simul: et frustra Pontifex apposuisset illud *sua*, si dumtaxat ob vitæ defensionem evitaretur irregularitas. Et clariùs ex *cap. Dilecta, de sententiis excomm.* ubi Papa declaravit licere cuidam decano defendere bona sua à violentiis cujusdam domini temporalis, et temporalibus viribus (nempe armis) et gladio spirituali, rationem adducens, legibus permissum esse *vim vi repellere et defensare*; undè observatur quòd Papa censebat eadem ratione, quâ quis potest defendere se ipsum, posse defendere etiam bona. Igitur sicut qui pro suâ defensione occidit, non fit irregularis; ita nec pro tuendis bonis; modò non excedatur,

(1) *Lib. 7. n. 588.*

et sint magni valoris (Vide *Tom. I. Tract. VIII. num. 15.*). Et etiam assistit ratio, dùm talis irregularitas non esset ex delicto, quia sine peccato, ùt probatum est in *Tr. VIII. n. citat.*, nec ex defectu, quia hæc incurritur tantùm à ministris publicis justitiæ, à militibus in pugna offensiva, et à clericis qui exercent medicinam cum incisione, et adustione, ùt dictum est. Ad *cap. Suscepimus*, respondetur quòd monachus excessit in defensione, nam postquam furtum de latronum manibus vindicavit, ille voluit eos vinctos ad Abbatem conducere, cùm jam poterat eos dimittere ubi bona jam nactus erat (1).

108. — Quæritur 2. an reputandum sit casuale homicidium commissum in rixa? Ita censetur à *Diana*, et *Salm.* cum *Machado*, *Henriq. Rodrig.*, etc., quia homicidium voluntarium propriè est illud quod ex proposito commissum est, et per insidias, ùt loquitur *Trid. per industriam, et insidias (sess. 14. c. 7. de Reform.)*; sed probabiliùs negant *Suar. Navar. Holzm. Spor. Tamb.* et *Diana*, cum *Hurtad.*; nam *Trid.* post verba allata, subjungit: *Qui suâ voluntate homicidium perpetraverit, ... nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit.* Qui in rixa occidit, jam occidit sua voluntate, et ex proposito (licèt commotus subitâ irâ), et perpetrat homicidium quod facere intendit. Verba *per industriam, et per insidias* explicat *Glossa* in *c. 1. de Homic.* (undè *Trident.* transcripsit verba in *cit. cap. 7.*) hoc modo: *Per industriam*, id est, *non casu.* Et idem Concilium seipsum declarat, dum post verba allata quæ à *cap. 1. de Homic.* mutuata sunt, explicat eorum sensum, subjungens, *suâ voluntate, et ex proposito*, ad differentiam casualis, de quo prosequitur sermo in secunda parte.

109. — Incurritur irregularitas etiam per mutilationem, *c. Significasti; de Homic. et Clem. Furiosus, eod. tit.* Sed hic fit dubium, quid intelligatur sub nomine mutilationis membri? communissimè, et probabiliùs dicunt *Bon. Castr. Conc. Habert, Tour. Cabass. Nav. Av.* et *Salm.* cum pluribus aliis, quòd intelligitur illa pars corporis, quæ proprium officium habet distinctum ab aliis, ùt oculus ad videndum, manus ad operandum, pes ad ambulandum, lingua ad loquendum, etc., ideòque cætera, quæ inserviunt ad ornamentum, non reputantur membra, ùt dentes, ungues, capilli, aures (nam sublatis cartilaginibus, etiam auditur), nasus, digitus quicumque sit; *Bonac.*

(1) *Lib. 7. n. 389.*

Castr. Tourn. et Salm. cum aliis pluribus. Et si in *can. Qui partem*; *Dist. 55.* declaratur irregularis quidam qui sibi digitum recidit, id factum fuit ad puniendam sævitiam in propriam personam; *Tourn. Bonac. Castrop. et Salm.* cum multis aliis, et constat ex ipsomet textu (1).

110. — Quæritur 1. an sit irregularis, qui alteri abscindit testiculos, aut aliam corporis partem? Negant *Bonac. Aver. et Cornejus*, quia illi non sunt membra, sed partes membri; sed probabilius affirmant *Ronc. Castr. et Salm.* cum *Diana*, quia testiculi jam propriam operationem habent, nempe elatorare semen aptum ad generandum (modò hæc abscissio sit injusta); secùs verò si tantùm unum abscindat, quia uterque ad eandem operationem concurrat. Esset irregularis qui abscinderet mulieri unam mamillam, quia officium unius est independens ab alterius. Idem docent *Suar.* et alii apud *Vivam* de eo qui abscinderet alteri medietatem manûs; *Tournely* tamen id negat, quia in *cap. 2. de Cler. ægrot.* qui duos digitos amisit, et medietatem manûs, non dicitur mutilatus, sed debilitatus, et communiter dicunt, quòd qui debile alteri redderet membrum, licèt inhabilem suo muneri redderet, non fieret irregularis; *Navar. Gibal. Suar. Av. Salmant.* cum multis aliis, et *Croix* cum aliis; imò *Castr. Nav. et Covar.* etiamsi membrum restaret mortuum; sed huic adversantur valdè probabiliter *Suar. Cabass. et Salm.*, quia tale membrum, licèt materialiter non sit mutilatum, reverà tamen est abscissum formaliter; dùm non est ampliùs animatum; sicut contrà probabiliter dicunt *Salm.* quòd qui abscinderet hujusmodi membrum aridum, non fieret irregularis. Nec qui excæcasset aliquem, quin oculum foràs obrueret, quia non esset mutilatio, *Busemb. Dian. et Megala.* In his irregularitatibus ex mutilatione, quando est secreta, potest dispensare Episcopus, cùm tantùm ei vetitum sit in homicidio voluntario; *Suarez, Bonac. etc.*

111. — Quoad dispensationes super hic irregularitatibus, vide *Tract. seq. de Privil. n. 51. et 106. (2).*

(1) *Lib. 7. n. 565. et 415.* — (2) *n. 580. et 581.*

PUNCTUM V.

De irregularitate ex defectu.

- I. *Ex defectu animæ* 112. *De lunaticis, et obsessis* 113. *De illiteratis* 114. *De neophytis* 115. II. *Ex defectu corporis, et* I. *De cæcis.* 116. II. *De surdis.* 117. III. *De mutis* 118. IV. *De claudis* 119. V. *De iis qui manu carent* 120. VI. *De feбри laborantibus* 121. *De deformibus* 122. *De leprosis* 123. *De monstrosos* 124. *De eunuchis* 125. III. *Ex defectu natalium* 126. *ad* 128. *De expositis* 129. IV. *Ex defectu ætatis* 130. V. *Sacramenti, nempe bigamiæ. De bigamia vera* 13. *De interpretativa* 132. *Qui ducit corruptam* 133. *Qui contrahit cum ea invalidè* 134. *Si vir cognoscit uxorem adulteram.* 135. *Qui contrahit duo matrimonia* 136. *Si vir accusat uxorem, et reddit debitum, etc.* 137. *De similitudinaria* 138. *Quomodò tollitur irregularitas ex bigamia.* 139. VI. *Ex infamia.* VII. *Ex defectu libertatis. De servis* 140. *De conjugatis* 141. *An conjux possit ingredi religionem, alio relicto in sæculo* 142. *De curiæ addictis, militibus, etc.* 143. VIII. *Ex defectu lenitatis; circa bellum* 144. *Circa judicium* 145. *et* 146. *De dispensationibus* 147. *De facultatibus sacræ Pœnitentiariæ* 148.

112. — PRIMA est ex defectu animæ, ex quo sunt irregulares omnes amentes, phrenetici, epileptici, sive lunatici, et obsessi. Quoad amentes (et idem de cæteris) distinguendum: aut talis defectus suboritur post Ordinationem, et tunc, cessato defectu per diuturnum tempus plurimorum annorum, Ordinarii judicio poterit ministrare in susceptis Ordinibus *Suar. Nav. Silv. S. Bonav. Bonac.* et multissimi alii: si adhuc non est ordinatus, non poterit ampliùs ordinari, si origo dependet à causa permanente, nempe ab organorum læsione, quia hujusmodi relabuntur, *c. Maritum* 2., *D.* 33. Secùs si defectus ab aliqua accidentali causa proveniret, ut à feбри, vulnere, aut ab aliqua transeunte passione; *Suarez, Bonac. Ronc.*, etc. (1).

113. — Idem dicendum de lunaticis, et obsessis; si morbus præcessit Ordinationem, sunt perpetuò irregulares, *can. Communiter, Dist.* 33. Advertit *Cabass.* quòd si talis morbus accidit in impubertate, et postea perfectè ab illo convaluit in pubertate, possit ordinari, quia asserit *Hippocrates*, quòd epilepsia sæpè in pubertate perfectè curatur; sed si accideret in pubertate, præsertim post annum 25, desperatur quasi posse convalescere. Ex cit. *c. Communiter* habetur, quòd si per annum sit liber sive à morbo,

1) *Lib.* 7. n. 398.

sive à dæmonis vexatione, judicio Episcopi potest ad Ordinis suscepti administrationem admitti. Imò dicunt comm. DD. *Suar. Nav. Laym. S. Antonin.*, etc., quòd si talis morbus rarò accidit (nempe semel in mense), nisi infirmus in terram cadat, nec spumet, adjuncto sibi sacerdote jejuno, poterit privatim celebrare (1).

114. — Illitterati qui sufficienti doctrinà pro Ordinibus præditi non sunt. Pro *prima Tonsura* saltem legere et scribere sciant; *Trid. sess. 23. cap. 4. de Reform.* Pro *Ordinibus minoribus*, sciant linguam latinam, *loc. cit. cap. 11.* Pro *subdiaconatu, et diaconatu*, ultrà litterarum humaniorum peritiam, requiritur scientia eorum, quæ sunt necessaria ad præfatorum Ordinum exercitium; *ib. cap. 13.* Pro *sacerdotio* requiritur scientia ad docendum populum ea quæ sunt necessaria ad salutem, et ad Sacramentorum administrationem; *ibid. c. 14.* Sed quoad Regulares vitæ contemplativæ addictos, sufficit eos grammaticam callere; secùs irregularitas est de *jure divino*, adeò ut nec Papa possit in hoc dispensare (2). Vide in *Append. III. n. 35. et 36. de Exam. Ordinand.*

115. — Neophyti, illi nempe qui in adulta ætate recenter sunt baptizati. Sed si elapso aliquo tempore, Ordinarius eos sacris Ordinibus judicat idoneos, possunt ordinari: *Suar. in 3. D. Thom. p. Disp. 43. Sect. 3. concl. 2. n. 6. et 7. Sanch. in Dec. l. 2. c. 28. n. 11. Bonac. apud Thesaur. Decis. S. C. tract. 1. part. 97.* Sed putat *Toletus*, quòd post 10 annos non sunt amplius irregulares (3).

116. — *Secunda* est ex defectu corporis. Et hæc duobus ex capitibus incurritur, aut quia ad exercitium Ordinis ineptus quis redditur; aut quia aliis notabilem indecentiam aut horrorem affert; ita DD. comm. cum *S. Thoma* (4). Hinc ex primo capite est irregularis cæcus omninò, *c. cult. D. 55.* Sed in hoc notanda sunt plura: 1. quòd si quis jam sit sacerdos, et constet eum non posse errare, potest dispensari à Papa ad celebrandum, prout 23. Augusti 1725. S. C. dispensavit cum quodam parcho Florentino, ut celebraret cum assistentia sacerdotis (5). 2. Quòd si quis caret visu oculi sinistri, est irregularis, ut docent DD. communissimè. Nonnulli tamen excipiunt si dexter oculus sit aptus ad legendum Canonem, imò dicunt posse huic prospici incommodo aptando Missale juxta me-

(1) *Lib. 7. n. 599.* — (2) *Lib. 6. n. 791. v. Quær. II. et III. et l. 7. n. 461* — (3) *Lib. 7. n. 402.* — (4) *Suppl. q. 59. a. 6.* — (5) *Lib. 7. n. 404.*

dium altaris; *Laym. Dian. Croix* et multi alii, et *P. Suar.* id vocat practicè probabile. 3. Quòd cæcutiens est irregularis ad suscipiendos Ordines, sed ad susceptorum exercitium potest cum eo dispensari, ut possit celebrare Missam de beatissima Virgine diebus festivis, et defunctorum in feriis (1). *Lambertinus* loco cit. dicit quòd pro omninò cæco non dispensatur, ne ad primam quidem Tonsuram, ut habilis fiat ad beneficium. 4. Quod visu debilis, si potest perspicillis uti, aut si obliquè intuetur (vulgò *Guercio*) non est irregularis. DD. communiter.

117. — II. *Surdus* qui penitus non audit; ita communiter DD. ex *can. 7.* qui appellatur *Apostolorum*, ob indecentiam quòd non possit audire vocem ministri. Hanc indecentiam tamen negant *Henriq. Præpos. Gobat.*, nam potest ex aliis signis percipere quid minister responderit, sed communissima est contraria; concedunt tamen *Bonac. Tambur. Conc. Castrop. Laym. Nav. et Salmant.* cum aliis, quòd si surditas sacerdoti supervenerit post sacerdotium, faciliùs toleratur defectus, sicut de cæcutiente. *Surdaster* vero excusatur ab irregularitate (2).

118. — III. *Mutus*, sive talis omninò sit, sive verbum proferre nequeat, quin aliquid omittat, *Tourn. et Holzm.*, et *Salm.*; addunt etiam si loqui nequeat nisi cum magna difficultate. Et idem dicit *Holzm.* de eo qui loquelam valdè præcipitem habet. Balbutientes aut dentibus carentes non sunt irregulares, modò risui, aut contemptui aliis non sint; *Navar. Tamburin. Coninch. Sayr. Filliuc. Præpos.*, etc. (3).

119. — IV. *Claudus*, aut qui tibiis caret, aut qui sine baculo non potest ad altare accedere, *can. Nullus Episcopus 54. de Consecrat. D. 4.* Hoc explicatur à Glossa: *Si sine baculo non possit sustentari in altari*, et ita explicant reliqui AA. Cæterùm non est irregularis, qui hoc non indiget, *can. Si quis. 10. D. 55.* aut qui sit distortis tibiis, quia talis defectus veste talari abscondi potest: *Tournely, Croix, Salmant.*, etc. Excipit *Laym.* modò non sit valdè deformis. Qui utitur tibiâ ligneâ, et jam reperitur sacerdos, cum possit indecentia reparari, Ordinarii iudicio benè potest celebrare; *Tambur. Silv. Rosel. Major et Gibal.* (4).

120. — V. Qui caret manu, aut digitis omnibus, aut pollice tantùm, *cap. ultim. de corpor. vitiat.*; idem dicunt *Busemb. Ren. Tambur. Filliuc. Bon. Suar.*, etc. si careret

(1) *Lambert. Notif. 4. n. 5. et cit. n. 401.* — (2) *Lib. 7. n. 4)5.* — (3) *Lib. 7. n. 406.* — (4) *n. 407.*

indice aut pollicis parte, non autem solis unguibus, *cap. Thomas eod. tit.*; aut si illi digiti sint adeò debiles, ut non possit Hostiam elevare, vel eam frangere, *cit. c. Thomas*. Si autem careret indice, et jam esset ordinatus, potest adhibere digitos posteriores, aut in necessitate potest iis etiam ministrare Eucharistiam (1). Si verò tribus posterioribus digitis careret, etiam esset irregularis (secùs si duobus); ita *Anacl. Holzm. Cajet. Nav. Tourn. et Pontas*. Notat tamen *Tourn.* quòd si quis careat indice, poterit dispensationem impetrare (2).

121. — VI. Qui laborat feбри continuâ (non autem quartanâ aut levi), aut gravi capitis dolore, adeò ut non posset celebrare sine periculo graviter errandi aut deficiendi, *Bon. Sayr. Sot. Avil.* Item paralyticus, cujus manus ita tremunt, ut adsit periculum effundendi calicem; *Bus. Conc. Castr.*, etc. Qui patitur talem tussim, ut periculum adsit in communicando, et præsertim expuendi sanguinem; *Bon. Ugol. Majol.* etc. Abstemius qui in periculo est vomitûs; *Tourn. et Concina*: et cum isto nec Papa dispensare potest (3).

122. — Ex secundo capite, quòd incurratur irregularitas ex vitio corporis, deformitatem, aut horrorem afferente, *c. Presbyterum, de Cler. ægrot. et seq.* fiunt irregulares I. illi qui carent aliquo membro, v. gr. naso, *c. Penult. de corp. vit.*, aut habet illud valdè distortum, aut valdè aduncum, aut valdè elevatum; *Tamb. Bonac. Viva*, etc. Ille cui oculus obrutus est, *c. ult. D. 55*. Probabiliter tamen dicunt *Sylv. Tourn. Pont. Ronc.* cum *Tamb.*, etc. quòd tollitur talis irregularitas, si possit oculo crystallino reparari. Ita pariter qui caret auriculis, nisi talis deformitas capillis, aut aliter tegatur; *Bus. Diana, Bon. Salm. et Tourn.* cum aliis (4).

123. — II. Leprosi, *cap. Tua nos, de Cleric. ægrot.* propter scandalum et abominationem populi; undè in privato celebrare possunt; *Castr. Salm. Bon.* cum aliis; ita etiam qui habet labia corrosa, vel ad instar leporis abscissa; *Tamb. Tourn. et Viva*. Ita pariter laborans morbo gallico foris apparente; *Tourn. et Holzm.*, aut habens faciem valdè maculatam; *Laym.* (5).

124. — III. Monstruosi, nempe qui gibbam habent valdè enormem; *Bus. Anacl. Bon.*, etc. Pigmæi, sive nani, staturâ ita breves, ut ad risum moveant, præsertim si capite sint nimis grandi; *Tamb. Ren. Tourn.*, etc., aut si non possent

(1) N. 408. — (2) *Ibid.* — (3) n. 409. — (4) *Lib. 7. n. 410.* — (5) n. 411.

tantum brachia distendere, quantum opus esset ad altaris ministerium. Æthiopes qui apud nos risum afferrent, *Tourn.*, etc. Hermaphroditum; licet dicant *Tolet. Escob.* cum *Tourn.* contra *Conin.*, quod si hic defectus est occultus, et praevaleret sexus virilis, non inducit irregularitatem. Notandum cæteroquin quod si hi defectus superveniunt Ordinibus sacris, potest sacerdos exercere illos actus quos potest, v. gr. si sacerdos est cæcus, potest confessiones audire, etc. *cap. 7. de Cler. ægrot. (1).*

125. — Eunuchus qui morbi causâ abscissus est, aut in infantia, vel propter injuriam alterius, aut à domino, non est irregularis. Sed irregularis est si se ipse abscindere fecit, aut etiam ab aliis ipso consentiente, licet zelo castitatis, *cap. Si quis à medicis, c. Si quis 4. D. 55.* et alia *cap. De corp. vitiat. (2).* Putant probabile *Palaus, Tamb. et Pelliz.* contra *Suar. Molin. et Sayr* quod si quis sibi abscinderet testiculos ad vocis conservationem, non fit irregularis, dicentes quod textus allati loquuntur de abscissione, aut sectione, quæ intelligi potest, si abscindantur virilia omnino (3).

126. — Tertia irregularitas provenit ex defectu natalium. Et ex hoc sunt irregulares omnes illegitimi, *cap. 1. et ultim. de Fil. Presb.*, licet sint occulti; communiter DD. (4). Possunt hi legitimari per subsequens matrimonium, modò non sint spurii; nempe nati tempore quo validè non poterat matrimonium contrahi, v. gr. quia tunc temporis matrimonio unus illorum cum alia ligatus erat, *c. Tanta, qui filii, etc.* Sufficit tamen ad legitimandam prolem, et ad reddendam immunem à tali defectu natalium, quod matrimonium contrahi poterat tempore nativitatis; ita probabiliter *Sanch. Pont. Anacl. Bon. et Salm.* cum multis aliis contra *Suar. et Tourn.* ex *cap. Tanta*, ubi dicitur: *Si vivente uxore aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, nam tò susceperit, respicit verius nativitatem, quàm conceptionem (5).* Et novissimè *Bened. XIV.* hanc sententiam amplissimâ dissertatione in forma epistolæ responsivæ, incip. *Redditæ Nobis (6).* ad Archiep. S. Domin. in insula Hispaniola illustraverit, et sic de hoc casu §. 3. suum sensum aperit: *In qua controversia satis ardua cum inveniantur textus textibus contrarii, cum doctores doctoribus adversentur, si à Nobis judicium interponendum foret, non aliter id à Nobis fieret, quàm secundum sententiam in tribunalibus,*

(1) N. 412. — (2) n. 416. — (5) *Lib. 7. n. 418.* — (4) n. 420. — (5) n. 422. — (6) *Bullar. suo tom. 1. in Ordine 215. in edit. Mechl. t. 3. p. 5.*

et curia illius regionis receptam, in qua esset pronuntian-
dum. In §. 4. procedit ad aliud dubium, quod ita resolvit :
*Sed...quum certum sit matrimonium inter illius parentes ritè
contractum, incertum verò tempus, quo filius conceptus,
et in lucem editus fuit: filium hunc legitimum censere-
mus, cum iudex in dubio debeat in bonum, et commoda
prolis propensus esse.* His positis, sic ego pro prima sen-
tentiâ argumentor. Igitur si in dubio iudex in bonum
prolis judicare debet, ubi talis casus nullâ tribunalium
sententiâ decisus reperitur, cum simus in dubio ob te-
xtuum, et doctorum discrepantiam, potiùs proles judicanda
est legitima, quàm illegitima, siquidem etiam in hoc casu
certum est eam in matrimonii constantia editam fuisse,
et incertum an debeat attendi tempus conceptionis, an
verò ortûs.

127. — Hinc notandum 1. cum *Salm.* quòd si filius na-
turalis ordinatus esset ante matrimonium parentum adulte-
rorum, poterit ritè ministrare, secuto eorum matrimo-
nio, sine dispensatione. 2. Quòd talis legitimatio fit per
matrimonium ratum dumtaxat, cit. *c. Tanta*. 3. Quòd filii
nati ex matrimonio irrito ob impedimentum occultum,
sed valido putato, saltem ex una parte conjugum, legitimi
censentur; ita DD. communiter ex *c. Cum inter 2. Qui filii
sint legitimi*, et *c. Ex tenore, eod. tit.* Secùs autem si ambo
parentes erant in mala fide, *c. Cum inhibitio, §. Si quis,
de Claud. desp.* 4. Quòd filii nati ex matrimonio contracto
in gradu prohibito, omissis proclamationibus, nec acce-
dente Episcopi dispensatione, licèt contracto coram pa-
rocho, et testibus, censentur illegitimi, non obstante
quòd in bona fide, aut ex ignorantia illud contraxissent,
c. Cum inhibitio, eod. tit. §. Si quis (1).

128. — Filii legitimantur I. per professionem religio-
sam, ut dictum est *n. 85*. II. Per Pontificis dispensationem,
qui solus potest cum illegitimis dispensare, et concedere
legitimationem, quoad omnes effectus; communiter DD.
cum *Sanch. Castr. Salm.*, etc. (2). Quid possint circa hoc
Episcopi, et Prælati regulares, vide *Tr. XX. de Priv. n. 51.
et 106*.

129. — Quæritur an filii expositi (nempe nati ex paren-
tibus ignotis) sint irregulares? Affirmant multi, prout
Tourn. Fill. Bon., etc. quia vehementes adsunt conjecturæ
hos esse illegitimos, dum numquam videntur parentes
(quantumvis egestate laborent) eo esse animo crudeliori,

[1] *Lib. 7. n. 425. 424. et 425.* — [2] *n. 426. et 427.*

ut velint propriam prolem exponere; inauditum enim hucusque est, quòd prægnans mater partum suum in ecclesiam baptizandum non conferri curaverit, et quòd post Baptismum, si observaretur deesse filium matri, justitia de hoc non inquireret. Secunda sententia tamen probabilior est cum *Cast. Pont.* et *Salm.*; et *Suar.* vocat probabilem; nam ut aliquis sit irregularis, debent constare eum esse illegitimum, sed expositi sunt dubiè tales, dùm aliquando paupertate oppressi parentes filios exponunt. Et AA. citati asserunt Greg. XIV. anno 1591. in favorem cujuslibet confraternitatis pro expositis erectæ declarasse tales expositos non fore habendos illegitimos, donec tales non probarentur; *Gibal.* apud *Tourn.* (1).

130. — *Quarta* ex defectu ætatis: sed de hoc loquemur in *App. III. de exam. Ordinand. n. 43. et 44.*

131. — *Quinta* ex defectu *Sacramenti*, aut significationis matrimonii, quod significat conjunctionem Christi unici sponsi cum Ecclesia unica sponsa, et contrahitur per *bigamiam*, in quantum, quia bigamus, qui carnem suam cum pluribus divisit uxoribus, talem unionem non repræsentat. Et talis irregularitas constat *ex toto tit. de bigamia.* Definitur bigamia: *Est matrimonii multiplicatio.* Et est trifariam: vera, interpretativa, et similitudinaria. I. *Vera* est quando successivè unus duxit plures uxores, et cum omnibus matrimonium consummavit, modo quo dictum est *Tractatu XVIII. n. 68. c. Præcipimus*, et *cap. Debitum de Bigam.* (2).

132. — II. *Interpretativa* habetur cùm quis contraxit et consummavit matrimonium cum vidua jam priùs à primo viro cognita, et licet cum ista invalidè contraxisset, ut habetur *ex c. A nobis, de Bigam.*, aut cum corrupta ab aliis, *c. ultim. D. 51.* aut cùm cognoscit propriam uxorem, postquam hæc adulteravit, *c. Si cujus*, et *c. Si laicis, D. 39.*, aut si quis contraxisset, et consummasset duo matrimonia, unum validum, invalidum alterum. De hac ultima specie textus non reperitur aliquis, sed adest commune DD. judicium *ex c. Nuper, cum S. Th.* (3). Super hac Bigamia tres occurrunt quæstiones.

133. — Quæritur 1. an sit irregularis qui bona fide contrahit cum corrupta? Affirmant communiter DD. cum *S. Th.* (4) (contra *Sa, Ledesma*, etc.) quia cùm hæc sit irregularitas ex defectu significationis Christi cum Ecclesia sua unica

(1) *Lib. 7. n. 452.* — (2) *n. 456.* — (3) *Suppl. q. 66. a. 2.* — (4) *Loc. cit. a. 5. ad 5.*

sponsa, bona fides non efficit quin viri caro cum corrupta divisa sit, licèt credat illam esse virginem (1).

134. — Quæritur 2. an fiat irregularis qui contrahit invalidè cum corrupta ob aliquod impedimentum dirimens? *Prima* sententia est affirmativa, et hanc tenent *Suarez* (qui vocat communem) *Tourn. Cov. Cornejus*; ita etiam *Fagnanus* (2) cum *Host. Joanne Andrea*, *Card. Brut.* et omnibus cæteris (ut ipse dicit) de clerico non in *Sacris*, et cum *Silv.* et *Nav.* de laïco. Et probatur ex *cap. A nobis, de Bigam.*, ubi declaratus fuit irregularis subdiaconus qui contraxerat cum vidua, inter quos (dixit *Inn. III.*) licèt non fuerit vinculum maritale contractum (stante inhabilitate eorum), cum eo tamen tanquam cum marito viduæ dispensare non licet, non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere seculo. Ubi jam observatur quòd talis subdiaconus non fuit declaratus irregularis, quia post contractum conjugium spirituale per Ordinem sacrum, contraxit conjugium carnale, sed quia se conjunxit cum vidua, quam ob causam habitus fuit tamquam maritus viduæ propter affectum intentionis, etc. *Secunda* sententia negat talem irregularitatem, et hujus sunt *Sanch. Nav.* et *Salm.* cum quadam *Decis. S. C.* apud *Farinacium*, dicendo quòd talis subdiaconus habitus fuit irregularis, quia contraxit duo matrimonia, unum spirituale, et alterum carnale, licèt invalidum. Ad hanc rationem probatio primæ sententiæ pro responsione etiam valet (3). *Contrà* irregularitas ab adversariis intellecta contrahitur à subdiacono, licèt contraheretur cum virgine, ut dicemus *n. 140.* Ad decisionem *S. C.* respondemus, quòd decisiones allatæ à *Farinacio* fuerunt declaratæ incertæ à *Greg. XIV.* ann. 1621. (4). Et notandum hic quòd die 29. Aug. 1631. de mandato *Urbani VIII.* fuit declaratum à *S. C.* non esse præstandam fidem *Decret. S. C.* nisi illa authenticè constarent; nempe cum subscriptione *Cardinalis Præfecti* (5).

135. — Quæritur 3. an sit irregularis qui uxorem adulteram cognovit, quando adulterium est occultum? Negant *Henr.* et alii apud *Elbel:* ex *c. Si cujus D. 34.*, ubi dicitur: *Si evidenter fuerit comprobatum uxorem adulterium commisisse.* Sed nos affirmamus cum communi apud *Elb.*; et sic sentiunt *Tourn.* et *Ronc.* cum *Suar. Ugol.* et *Filliuc.* Et hoc currit etiamsi uxor vi oppressa fuisset. Ratio est

(1) *Lib. 7. n. 459.* — (2) *In 2. part. 1. Decret. c. Nuper à nobis, de bigam n. 15. et 44.* — (3) *Lib. 7. n. 449.* — (4) *Ap. Croix l. 1. n. 219.* — (5) *Vide Po est'os l. 1. n. 21.*

eadem casûs primi quæsiti; ideòque parùm refert utrùm vi oppressa sit, aut vir non sit culpæ reus, dùm semper reverà adfuit divisio carnis; ita *Fagn.* (1). cum *Ugol. Host.*, etc. dicens: *Non agitur hùc de vitio ordinandi, sed de defectu Sacramenti, quem etiam ignorans potest pati.* Ad textum respondetur quòd verba si *evidenter comprobatum, etc.* tantùm probant, quòd si vir non est certus de adulterio uxoris, non est censendus irregularis (2), licèt maritus adulterii inscius esset, tamen in se est irregularis (3).

136. — Ex hoc infertur 1. quòd idem dicendum est ob eamdem rationem cum *S. Thoma* (4), *Suarez, Tourn. Conc. S. Antonin.* et multissimis aliis communissimè de eo qui contrahit duo matrimonia invalida (5); licèt in bona fide, ùt deducitur ex præfato *c. A nobis*, explicato *num. 132.* Fit. 2. etiam irregularis qui fictè contrahit secundum matrimonium ad copulam extorquendam: ita *Suar. Tourn.* et *Salm.* cum aliis contra *Palauum* qui innititur verbis *propter effectum intentionis*; sed nos dicimus quòd hæc verba non significant, quòd ille subdiaconus verè cogitasset verum contrahere matrimonium, dùm illum latere non poterat id effici non posse, sed quòd affectum habebat in executionem illud ponere. Itaque idem est desiderare matrimonium impossibile in effectum ponere, ac fingere illud efficere, quòd efficere non intendit (6).

137. — Glossa in *can. Si cuius, D. 34.* proponit casum; Si vir adulterii accusaret uxorem, et lite pendente, quæsitus esset de debito conjugali, an reddendo fieret irregularis? Respondetur quòd dato quòd vir non est certus de uxoris adulterio, cum certè teneatur reddere, tunc ille (ait Glossa) *potius dicitur cognosci ab uxore, quàm cognoscere ipsam*, ideòque reddendo non fieret irregularis. Hâc ratione ductus puto idem dicendum de viro qui bonâ fide contraxit cum corrupta ùt in *n. 135. et 136.* si reddit, et non petit: ac de eo qui reddit uxori occultè adulteræ.

138. — III. Bigamia *similitudinaria* contrahitur per matrimonium (licèt nullum, et licèt cum virgine) contractum post voti solemnis emissionem, sive religionis, sive Ordinis sacri. Hæc bigamia inducit irregularitatem, quoties matrimonium consummatum est, *c. 13. Quotquot*, et *Can. 23. Monacho 27. q. 1.* ubi dicitur: *Si postea uxori fuerit sociatus, nunquam ecclesiastici gradûs officium sortitur.* Dicunt *Hurtad. abb.* et *Archid.* quòd hæc irregularitas

(1) *Fagn. In 2. part. 1. Decretal. exp. Nuper à nobis de bigam. n. 5. — (2) Lib. 7. n. 442. — (3) n. 445. — (4) Suppl. q. 66. a. 2 — (5) Lib. 7. n. 445. — (6) n. 447.*

contrahitur tantum à monachis; sed communissimè DD. docentur incurri etiam à clerico in Sacris, ex *cap. 1. Qui Cler. vel Mon.*, ubi dicitur quòd Episcopus possit dispensare cum diacono qui uxorem duxerat, ad ministrandum, etc.; et *c. 2. eod. tit.* ubi præcipitur Episcopo ne permittat subdiacono, qui matrimonio jungitur, ministrare. Sed putat *Sanch.* hanc irregularitatem potius ex delicto, quàm ex bigamia. Attamen non esset irregularis qui Sacris non initiatus matrimonium cum moniali contraheret, quia leges loquuntur de eo qui matrimonio jungitur post proprium votum (1).

139. — Hæc irregularitas bigamiæ non tollitur per Baptismum, *can. Si quis viduam, D. 34.*; ita commun. cum *S. Thoma* (2). Potest tamen dispensare Papa ex gravi causa; *Sanch. Conc. Salm.* cum aliis; et *Tourn.* cum communi affert *Lucium III.* jam dispensasse (3). Quid autem possint Episcopi, et Regulares, vide *seq. Tr. XX. de Privil. n. 51. et 106.*

140. — *Sexta* oritur ex infamia. Sed de hac sat actum est *num. 81. et 82. Septima* ex defectu libertatis; hinc sunt irregulares 1. servi, nempe mancipia donec libertate donentur. Sed si servus, sciente et non contradicente domino, ordinetur (licèt primâ Tonsurâ,) eodem actu libertatem acquirit, *can. Si Servus*, et *can. Nulli, D. 54.*; potest tamen eum donare libertate, cum conditione, ut ei inserviat in iis quæ clericali statui non repugnant, et deducitur ex *cap. Nullus, de serv. non ord.* Sed si, in scio domino, ordinatus esset, remanet servus, modò non sit in Sacris, et modò ab Episcopo, aut à coöperantibus duplum non reddatur domino; sed si isti essent impotentes, servus, etiamsi diaconus, remanet servus, et si est sacerdos, tenetur inservire in iis quæ statum decent, et celebrare pro domino: modò dominus id cognoscendo per annum non dissimulet (4).

141. — II. *Uxorati*, si uxores non consentiunt, et voto castitatis non se adstringunt, *cap. ult. de Temp. Ord. in 6. et Extrav. Antiq. de Voto*; et etiamsi matrimonium esset ratum dumtaxat; quia tantum permissum est infra duos menses ingredi religionem, *ead. Extrav.*: probabile tamen est, quòd si ordinatus esset in Sacris non teneretur ad ingrediendam religionem, cum hoc sit onus nimis grave; *Sanch. Aver. Salm. Sanct. Antonin.* etc. (5).

142. — Quæritur an maritus possit initiari Sacris, aut

(1) *Lib. 7. n. 448. et 449.* — (2) *Suppl. 7. 66. a. 4.* — (3) *Lib. 7. n. 450. et seq.* — (4) *n. 455.* — (5) *Lib. 6. n. 812.*

religionem ingredi cum uxoris licentia, si illa religionis statum non amplectitur? Alii AA. negant, innixi *cap. Conjugatus, de Conver. conjug.*, ubi dicitur quòd maritus ordinari non potest, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus; igitur dicunt sufficere si uxor castitatem voveat; dùm textus dicit continentiam (non jam religionem) profitente. Sed omninò negandum, cùm id luculenter sit expressum in *cap. Cùm sis, eod. tit.*, ubi dicitur: Ignorare non debet SS. Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir, uxore sua, aut uxor, viro ejus non assumente religionis habitum, debeat ad religionem transire. Idem respondit Nicolaus Papa in *can. Scripsimus 27. q. 2.* de uxore regis Lotharii, dicens: Non hoc aliter fieri posse, nisi eandem vitam conjux ejus ac Lotharius elegerit. Et ad textum oppositum respondetur, quòd verbum profitente, intelligendum est de professione solemni. Cæterùm omnes conveniunt quòd si uxor est juvenis, non potest in sæculo remanere, si vir religionem ingreditur; contrà si illa est ætate propectâ, idem textus *Cum sis*, concedit quòd possit remanere in sæculo, simplex votum castitatis emittendo.

143. — III. Curialistæ qui tenentur servire curiæ sive juramento. sive stipendio, prout sunt judices, advocati, etc. per illud tempus quo ea officia durant, *c. 1. 2. et 3. D. 15.* modò licentiam à Papa, aut à consuetudine non obtinuerint, ut possint ea munia exercere, prout sunt regii consiliarii in causis civilibus; *Laym. Castrop. Suar. Salm.*, cum aliis (1). IV. Milites pro eo tempore quo juramento adstricti sunt. Item thesaurarii, depositarii publici, et alii qui rempublicam administrant. Item excubiæ regis, et cæteri omnes qui aliquo severitatis munere, aut turpi funguntur, aut ministrum egerunt in causa sanguinis (2).

144. — Octava est ex defectu lenitatis, nempe ex licita mutilatione, vel occisione in bello offensivo licèt justo. Sed ad incurrendam hanc irregularitatem, oportet ut occisio manu propriâ sit facta; *Busemb. Holzm. et Lambertinus*, ex *cap. Dilectus*, et *cap. Significasti, de Homic.* Dicunt *Busemb.* et *Bonacin.* quòd qui in bello justo hortaretur ad occidendum istum vel illum, fieret irregularis; sed probabiliter contradicunt *Salm.*, quia textus loquitur de eo qui occidit vel mutilat, non verò de eo qui hortatur. Sed si bellum est justum, et non est offensivum, sed defensivum, occidens non fit irregularis, *cap. 2. de Imm. eccl. et Clem. un. de Homic.* In bello autem injusto

(1) *Lib. 7. n. 456.* — (2) *Ibid.*

sufficit, ut unus occidatur, ut omnes fiant irregulares; omnes DD. cum *S. Thoma* 2. 2. q. 64. a. 8. (1). Hic notandum clericum (modò fuerit in Sacris, aut beneficiatus, et etiam in conflictu bombas emisit) esse irregularem, si militat, etiamsi juret se ne unum quidem læsisse, ut apud *Lambertin.* legere est *Notif.* 101. n. 19.

145. — Defectu lenitatis fiunt irregulares iudices, et omnes qui coöperantur in iudicio justo ad mortem, vel mutilationem rei activè, efficaciter, et proximè, per actionem naturâ suâ ad id ordinatam; *Clem. Si furiosus, de Homic.*, cap. *Cler.* et cap. *Sententiam, de Cler. vel Mon.* Dictum est *activè*, id est qui sunt ex parte occidentium, non verò ex parte occisi, ut esset confessarius hortans reum ad ferendam mortem, etc. (2). Dicitur *efficaciter*, quia qui bajulat ligna, ut cremetur cadaver, non est irregularis: nec qui assistit; et licèt in dicto cap. *Sententiam* vetetur clericis hujusmodi suppliciis adesse, tamen dicitur hic Canon vel esse abrogatus, vel non obligare sub gravi; *Bonac. Salm. et Tourn.* vocant communem. Imò *Navar.* et *Avil.* excusant minoristam ab omni culpa (3). Dicitur *proximè*, nam non est irregularis qui gladios cudit, aut vendit, aut qui hortatur ut puniantur rei, aut alius qui non ut minister necessarius, sed remotè concurrat; undè valdè probabiliter dicunt *Suar. Reginald. Laym. Avil. Busemb.* etc. non esse irregularem confessarium, qui diceret iudici talem reum esse morte dignum. Dicitur tandem *per actionem suâ naturâ ad mortem ordinatam*; hinc non est irregularis confessarius, qui diceret carnifici: *Functus sum meo officio, te non impedio quominus tuum faciās*; nec iudices ecclesiastici qui degradatum curiæ sæculari tradunt, nec clericus accusator in causa criminali, modò protestetur se non intendere pœnam sanguinis; *Bonac. Busemb. Tambur.* etc. (4).

146. — Contrà sunt irregulares 1. iudex ejusque assessores, scribe sententiam scribens (non autem qui illam transcribit), et cæteri omnes, qui sententiam exequuntur (5). Secùs qui sententiam aliis committunt, cap. *ult. Ne Cler.* etc. nisi jubeant ut detur sententia mortis in tali causa, vel ut expediant talem causam mortis; *Castr. Salm.* cum aliis. 2. Testes voluntarii, qui ultrò se offerunt, licèt protestentur; ita communiter DD.; et idem dicendum de advocatis, et procuratoribus accusatoris, nisi

(1) *Lib.* 7. n. 459. et 460. — (2) n. 461. et 462. — (3) n. 463. — (4) *Lib.* 7. n. 464. ad 468. — (5) n. 461.

coacti sint ad eum tuendum, *Salm.* cum iisdem. 3. Accusatores criminis capitalis vindictam petentes criminales; et si iste erit clericus beneficiatus aut in Sacris, præter irregularitatem, peccat mortaliter ex *cap. Sent.* ubi vetitum est clericis se in causam sanguinis ingerere. Non erit irregularis, qui accusat reum solummodo, ut sibi compensentur damna, semper adhibitâ protestatione se nolle pœnam sanguinis, *c. Prælati, de Homic.*; et hoc tam in causa propria, quam in causa cognatorum usque ad 4. gradum, aut domesticorum, aut propriæ ecclesiæ; *Suar. Castr. Conc. Salm.* cum *Bon.* et aliis. Et hoc valet etiamsi protestatio simulatè fieret, *Suar. Bonac. Castrop.* et *Salm.* cum multis aliis; et etiamsi illam faciat post accusationem, sed ante sententiam. *Bon. Sayr. Pelliz.* et *Salm.* (1).

147. — Dispensationes super irregularitatibus ex defectu omnes reservatæ sunt Pontifici, quoad sæculares; quoad regulares verò, vide *Tract. XX. de Priv. n. 106. et 107.*

DE FACULTATIBUS SACRÆ POENITENTIARIÆ.

148. — Non parùm conferre judicavi hic adnotare principales facultates sacræ Pœnitentiariæ, ad hoc ut confessorium non fugiat, pro quibus casibus possit ad illam recurri. Benedictus XIV. 13. Aprilis 1744. per Bullam quæ incipit *Pastor bonus*, (quæ est 95. in suo Bullar. tom. 1. et in edit. Mech. tom. 2. pag. 209.) confirmavit plures facultates ab aliis Pontificibus concessas, et alias ipse adjecit sacræ Pœnitentiariæ. Itaque in præfata Bulla habetur posse sacram Pœnitentiarium I. absolvere à quibuscumque casibus et censuris, etiam Bullæ Cœnæ, Regulares pro utroque foro; sæculares verò tam ecclesiasticos, quàm laicos etiam in utroque foro à censuris publicis latis à jure; et etiam ab homine, si expirata sit jurisdictio judicis, vel si lator censuras illas reservavit Sedi apostolicæ, modò judici, et parti satisfecerint. Quòd si pars injustè refutet satisfactionem oblatam, potest Pœnitentarius convenientem satisfactionem arbitrari. II. Posse absolvere hæreticos occultos, modò nullos actus extrinsecos fecerint, ex quibus potuerint alii dignoscere eos ut hæreticos; item publicos hæreticos, casu quo non est opus complices denunciare. Posse etiam absolvere principes, administratores rerum-publicarum, et Episcopos, ac alios Prælatos à casibus pu-

(1) N. 468. in fine.

blicis Bullæ Cœnæ. III. Posse dispensare in occultis irregularitatibus et inhabilitatibus, etiam ex homicidio voluntario, non tamen ut post homicidium possint promoveri ad Episcopatum. Idem etiam ab inhabilitatibus, et irregularitatibus propter hæresim, modò fuerint penitus occultæ. IV. Posse dispensare cùm homicidis, et aliis, ut valeant profiteri in religione approbata, et fieri deindè etiam sacerdotes. V. Cum malè promotis, ut omissos Ordines possint clam suscipere, non servatis interstitiis, et temporibus, non autem sacros unâ die. VI. Posse dispensare cum occultis simoniacè ordinatis. VII. Posse convalidare titulos beneficiatorum cum occulta inhabilitate obtentorum. VIII. Posse partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem. IX. Posse cum Gallis, Belgis, Polonis, et ulterioribus remittere fructus malè perceptos, componere verò cùm Italis, Hispanis, etc. et cum pauperibus etiam remittere. X. Posse remittere partem de malè ablatiis, vel retentis, si dominus sit incertus, casus occultus et delinquens pauper, reliquum erogando in pauperes vel pia opera, in locis, si fieri potest, ubi illa ablata sunt. XI. Posse absolvere qui munera acceperint à Regularibus, modò non excedant decem scutos, vel etiam si excedant, factâ priùs restitutione, vel præstitâ obligatione satisfaciendi. XII. Cum puellis quæ virgines non sunt posse dispensare, ut fruantur legato virginibus relicto, in casibus tamen occultis, et in foro conscientiæ; vel cum virginibus, ut intrent monasterium mulierum Pœnitentium. XIII. Posse relaxare juramenta, quæ non sunt in favorem alterius. XIV. Posse vota simplicia etiam castitatis dispensando commutare, aut implementum differre. XV. Dispensare, commutando in alias preces, vel alia pia opera, super recitationem divini officii. XVI. Dispensare in occultis cum Regularibus à quibusvis irregularitatibus, inhabilitatibus, et pœnis; non autem in publico defectu natalium quoad Generalatum; in publicis verò nonnisi auditis Superioribus. XVII. Posse absolvere apostatas à censuris, cum reincidentia si non redeant intra præfinitum tempus, dilatâ dispensatione super irregularitate, si quam contraxerint, usque ad actualem reditum. Posse etiam concedere, ut ipsi transeant ad alium ordinem. XVIII. Posse concedere transitum ad religionem laxiorem, modò ibi vigeat regularis observantia; non tamen ad ordinem S. Benedicti antiquioris observantiæ; neque ad consimiles congregationes cujuscumque ordinis. Idem quoad Moniales ultra montes. XIX. Posse absolvere, et dispen-

sare super defectibus, et censuris, etiam ob clausuræ violationem. XX. Item concedere confessarium Monialibus (*vide dicta de hoc. lib. 6. num. 576.*) XXI. Vacante Sede apostolicâ, habere facultatem in foro conscientiæ etiam in casibus, à quibus vivente Pontifice non habebat; tamen cum reincidentia, si ad novum Pontificem petentes non se præsentent; hancque facultatem post Cardinalis Pœnitentiarii ingressum in Conclavem transire ad signaturam. Alia quæ pertinent ad matrimonii materiam, *vide l. 6. n. 1144.* Alia minùs scitù necessaria observare potes in citata Bulla, *Pastor bonus.*

Demùm hic nota, quòd, cùm litteræ S. Pœnitentiariæ committuntur magistro theologiæ, vel Decretorum doctori, possunt eas exequi confessarii Societatis Jesu designati à Generali, vel Provinciali de ejus licentia, ut concessit Gregorius XIII. 3. Apr. 1582. Et idem possunt lectores jubilati ordinis Minorum, ex concessione Innocentii XI. 27. Nov. 1679. Ac ideò idem possunt omnes Regulares in privilegiis eorum communicantes; ita refert *Elbel t. 3. Conf. 20. p. 506. num. 513.*

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.

THE
DEPARTMENT OF THE INTERIOR
BUREAU OF LAND MANAGEMENT

QUARTERLY

OF THE

ROBERTS-BRENTNAY



BOSTON COLLEGE



3 9031 01139621 5

71198

Boston College Library
Chestnut Hill 67, Mass.

Books may be kept for two weeks unless a shorter time is specified.

Two cents a day is charged for each 2-week book kept overtime; 25 cents a day for each overnight book.

If you cannot find what you want, inquire at the delivery desk for assistance.



11-46

